This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

UNIVERSITY OF VIRGINIA LIBRARY
X030225024
Digitized by Google

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF VIRGINIA

FROM THE HERTZ BOOKS
PRESENTED BY
THOMAS RANDOLPH PRICE
AND THE
NEW YORK ALUMNI

Digitized by Google

F. W. CHRISTERN
762 BROADWAY NEW-YORK
FOREIGN BOOKSELLER

Digitized by Google

Digitized by Google

SCRIPTURAE LINGUAEQUE PHOENICIAE

MONUMENTA QUOTQUOT SUPERSUNT

EDITA ET INEDITA

AD AUTOGRAPHORUM OPTIMORUMQUE EXEMPLORUM FIDEM EDIDIT

ADDITISQUE

DE SCRIPTURA ET LINGUA PHOENICUM COMMENTARIIS

ILLUSTRAVIT

Friedrich Heinrich
(GUIL.) GESENIUS.

PARS PRIMA

DUOS PRIORES DE LITTERIS ET INSCRIPTIONIBUS PHOENICIIS LIBROS CONTINENS.

Phoenices primi, famae si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Lucan. Pharsal. III, 220. 221.

LIPSIAE
SUMPTIBUS TYPISQUE FR. CHR. GUIL. VOGELII.
MDCCCXXXVII.

Digitized by Google

PJ
4195
.G5
1837
157585
v.1-2

Digitized by Google

REGIAE

ACADEMIAE LITTERARUM

BORUSSICAE

ET

REGIAE

SOCIETATI ASIATICAE

MAGNAE BRITANNIAE ET HIBERNIAE.

HUNC LIBRUM

VERECUNDE OFFERT

SCRIPTOR.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Pauca sunt litteratae antiquitatis monumenta, quae maiore suo iure virorum in eo studiorum genere versantium oculos in se convertant, quam exiguae istae, quae inscriptionibus numisque continentur, Phoeniciae Punicaeque linguae reliquiae. Etenim quum unicae hae sunt Phoenicum atque Carthaginensium, populorum rebus gestis longe clarissimorum, litterae, tum maxime ipsa signa studia nostra excitant, quae sic primum inventa omni omnium gentium litteraturae originem dedisse constat. Quo factum est ut, quum primi Barthelemyus et Swinton huius scripturae rationes indagare coepissent, certatim alii nova monumenta conquirerent, alii conquisita interpretarentur. Quanquam hac interpretantium opera, si paucos (in his Bayerum, Akerbladium) excipias, tam parum ista studia incrementi ceperunt, ut haud raro iudicii infirmitate dicam an perversitate, quum praesertim certa principia deessent, infra Barthelemyum relaberentur. Quare, si Swintonis interpretationes ineptas, Pellerinii et Dutensii vagas coniecturas consideres, ut Fourmontii nugas taceam, non est profecto quod mireris, omne hoc studiorum periculorumque Phoeniciorum genus ab Eckhelio, elegantissimo rerum antiquarum existimatore, „taediorum Phoeniciorum“ nomine appellatum et tantum non sannis exceptum [1]), adeoque ea, quae a Barthelemyo verissime observata erant, iniquius iudicata esse: nec magis profecto severo sed subtilissimo illi censori probata fuissent, quae nuper in explicandis inscriptionibus Numidicis in lucem edita sunt interpretationum monstra, in quibus nescias utrum magis mireris insolentem idiomatis ex omnibus dialectorum latebris conquisiti formam an orationem contortam argumentumque ineptum monumento

1) Vide Eckhelii Doctr. num. vett. T. III p. 406 et Prolegomena ad disputationem de numis lingua Punica inscriptis ibid. p. 396 — 404.

Digitized by Google

publico prorsus indignum [2]). Et quid dicamus de miro et singulari interpretum tum in singulis litteris definiendis tum in integris monumentis legendis dissidio? [3]) quid de eorundem circa dialectum Phoeniciam, quam alii puram hebraicam, alii ex omnibus dialectis Semiticis mixtam existimarunt, dissensu? quid denique de interpretationibus nuper admodum in medium prolatis, quas si legas, in Fourmontii fere tempora recidisse tibi videaris?

Tam exiguorum autem in his litteris progressuum tantaeque interpretum et discordiae et licentiae praeter ipsius rei difficultatem quattuor potissimum caussas esse intelleximus. Atque *una* quidem, licet levior, caussa in ipsa subsidiorum ad hoc studium necessariorum ratione posita fuisse videtur. Ut enim facile apparet, neminem vel de litterarum in his monumentis potestate vel de dialecti formis orationisque formulis et argumento recte iudicare posse, quin omnia vel certe plurima illa monumenta (quae profecto non multa sunt) viderit et perpenderit: ita paucissimis tantum viris doctis, qui in hoc argumento elaborarunt, id contigisse videtur, quo factum est, ut alii quasi certatim de subsidiorum

---

2) Cf. Silv. de Sacy iudicium, in *Journal des Savans* 1829 p. 736 sqq.

3) Ut paucis exemplis defungamur, inscriptio *Tripolitana prima* eaque bilinguis (no. LXIV tab. 27 p. 213 sqq.), quam Ali-Beyus arcui triumphali Romano in provincia Leptitana infixam litterisque Latinis AVG. SVFE. (i. e. Augusto Sufetes) suppositam invenit, ab Hamakero legitur: כצלות לבצרת דחעלות *ut precatio propter defectum canalium*, a Lindbergio: גת למלכת במקם עלם *torcular reginae in loco perenni*, ab Arrio (p. 465): כן לאלפן ראם עלא *locus ducum Romae excelsae:* quum ex certis scripturae legibus non aliter legi possit quam: שת למלכת רם קם עלם (ר) *principatus imperii Romani stat in aeternum.* — Epigraphen numi Tarsensis egregie conservati (v. num. Tars. A. tab. 36 pag. 279 sqq.). Hamakerus legit et interpretatur: מזרך זך על עבדן נרת וחלך *piaculum sincerum a servis solvendum est felicitas et beatitudo perennis*, Lindbergius: מזרך זך על עבדלן בצר חלך *diadema purum super Abdlano in angustiis vitae*, Am. Peyron: מזכא זא על עבדזהר וג חלך *victoria haec super Abedeserum principem Ciliciae.* — Titulum Carthaginensem tertium integerrime conservatum (tab. 16 cf. p. 164 sqq.) postquam Hamakerus, princeps eius editor, ita explicaverat, ut *tabulam votivam numinibus Tholath* et *Tholad propter vindemiam oblatam* contineret, Koppius inde effecit *epitaphium Hassadi, filii Abamel, a lugente familia positum*, Hugius V. Ven. *memoriam pueri Baali-Homen ex voto immolati;* donec unus Quatremerius ad veram sententiam prope accederet. Cf. de numis Panormitanis pag. 294, de Gaulitanis p. 303 not., de Abderitanis p. 310.

Digitized by Google

quae sibi praesto fuerint, paucitate conquerantur, alii qui inopiam fateri nolint re ipsa eam abunde prodant. Namque tum ipsa monumenta tum doctorum hominum in ea commentarii tam multis in operibus et sumptuosissimis et aegre parabilibus atque alia omnia continentibus dispersa erant, ut non sine multo labore sumptuque non mediocri in unum conferri possent. In uno Koppii libro: *Bilder und Schriften der Vorzeit* T. I. II, quod plurimorum nostrae aetatis Palaeographorum primarium nisi unicum subsidium et adiumentum fuisse videtur, praestantiorum quarundam (septendecim, ni fallor) inscriptionum sylloge reperitur, ab aliis nulla necessitate repetita: sed neque locupletem neque satis fidam esse hanc supellectilem, facile fatebuntur, qui sciant, ultra octoginta inscriptiones nunc ex terrae gremio emersisse, Koppiumque quidem optima, quae ad manum erant, exempla expressisse, sed ne unius quidem autographum vidisse, nedum delineando imitatum esse. *Secunda*, eaque multo gravior, caussa in inscriptionum exemplis non satis accurate editis cernitur. Ne enim de apographis dicam, quae vel raptim fere et negligentius vel ex autographis male habitis facta sunt, eas adeo monumentorum editiones, de quarum fide et integritate nemo fere dubitaverat, ita comparatas esse inveni, ut, qui his figuris inhaererent, non possent non in iis explicandis oleum et operam perdere. Quae hac de re ante hos fere novem annos conquestus erat cel. Quatremère [4]), equidem nuper iniquius fere et non sine aliqua veritatis superlatione dicta esse, in exempla certe ab Humberto et Hamakero edita cadere non posse existimavi [5]): sed mox his ipsis monumentis accurate examinatis meliora edoctus intellexi, non aliam ob caussam Hamakerum in errores incurrisse, quam quod exempla ei primum tradita minus accurate picta fuerint. Idem deinceps permulta alia confirmarunt monumenta et ipsa non mediocri cura, quamvis a viris scripturae Phoeniciae

4) *Mémoire sur quelques inscriptions Puniques*, Paris 1828, p. 13: „*Il est certain, que l'extrême imperfection des copies forment un obstacle presque insurmontable pour l'explication de ces monumens.*“

5) *Allgem. Litt. Zeit.* 1835 (mense Augusto) T. II p. 445: „*Was das Graphische betrifft, so möchte bei einer Copie, die von einem gewissenhaften Sachkenner, wie Hr. Hamaker, geliefert worden, die Anwendung jener obigen allgemeinen Klage nicht Statt finden..... Man wird also annehmen können und müssen, dass die von einem solchen Herausgeber, der den Stein selbst vor sich hatte, mitgetheilten Züge, wirklich auf dem Steine sichtbar sind, keine mehr und keine weniger.*“

Digitized by Google

ignaris, delineata: quid? quod ne unum quidem monumenti iam editi autographum vel certe ectypum examinavi, quin plura in eo animadverterim a superioribus editoribus neglecta [6]); imo plus semel ea, in quibus ego quippe ex exemplis editis pendens diu haeseram, vixdum inspecto autographo sine negotio legere contigit. Duplex autem potissimum detrimentum apographa ista minus accurata doctrinae palaeographicae attulerunt. Unum, quod huiusmodi exempla legi prorsus non poterant: alterum idque gravius, quod lecta quidem sunt, sed falso lecta, quo factum est, ut unus error ex litteris male pictis lectisque profectus mox alios generaret, ex quibus mira quaeque opinionum portenta nascerentur. Exemplo sint, quae de numinibus חלד *Tholad* et חלת *Tholath* atque de Tholadi attributo בעל חמלא commentus est b. Hamakerus, et quae idem ex inscriptionis Tuggensis (no. 56) apographo Borgiano mirabilia exsculpsit [7]). *Tertium* Phoenicii studii impedimentum in eo positum fuisse censeo, quod uberiore et critica Palaeographiae Phoeniciae expositione adhuc caruimus, quae tum superiorum observationes iusto ordine dispositas exhiberet tum maxime novis augeret, vastas huius doctrinae lacunas ab aliis relictas expleret, et ita stabiliora eius fundamenta iaceret. Non pauca quidem scite observavit Koppius (v. II, 215 sqq. et quae ibi laudantur), alia assidue congessit Lindbergius (ad inscr. Melit.). Sed quae Koppius dedit inchoata magis sunt quam perfecta, ex paucis tantum monumentis ab ipso tractatis petita, neque recte disposita, ita ut ipsi auctori non satisfacerent (pag. 218). Paullo copiosior est, quam Lindbergius quasi aliud agens coacervavit materiam palaeographicam: sed haec quoque in multis iisque difficillimis huius doctrinae locis, velut in litteris Numidicis, lectorem deserit, apto ordine caret, aliisque nonnullis laborat erroribus, qui ex falsa quarundam epigrapharum lectione profecti late per omnem doctrinam serpunt. Praeterea tum plures leges a Koppio recte constitutae ab aliis, qui interpretamentis somniisque suis adminicula quaererent, impune sollicitatae, tum fictae litterarum figurae ex monumentis male delineatis lectisque in tabulas receptae sunt: eoque res devenit, ut cuivis commento et cuivis

---

6) Vide ad Melit. 1. Athen. 1. 2. Cit. 2. Carth. 1 — 3. 5. 8. Numid. 1. 2. 3. 4. Tripol. 1. 2, gemm. no. 67 ter. num. Marath. Heracl. al.

7) Vide quae disputavimus p. 114 sqq. 170 sqq. 185 sqq. (adde append. 3), cf. Hamakeri distr. p. 36 sqq.

Digitized by Google

in legendo libidini ex hoc illove alphabeto veri quandam speciem comparare possent homines semidocti. *Quarta* denique res, quae doctorum de monumentis Phoeniciis iudicium mirum in modum turbavit, est renovata illa de dialecti Phoeniciae et Punicae facie dissensio [8]). Nam postquam inde a Bocharto tantum non omnes in eo consenserant, linguam Phoeniciam paucis exceptis ipsam linguam Hebraeam esse, nuper exstitit Hamakerus „perversam istam et temerariam opinionem" ex animis eruditorum eradicaturus, quod ita effecit, ut ex variis inscriptionibus a se explicatis varii coloris textum exsculperet ex omnium dialectorum Semiticarum formis compositum: et nemo ullus surrexit, qui erroris caussam aperiret atque ostenderet, illam dialecti Phoeniciae formam fictam esse talique horum monumentorum interpretatione niti, in qua vix unius alteriusve litterae potestas recte definita sit. Quanquam fatendum est, hoc ab iis tantum non frustra tentari potuisse, qui monumentorum, quae Hamakerus male legit, ipsi probabilem explicationem ex solius linguae Hebraeae analogia petitam dare possent.

Quae quidem omnia iccirco a nobis disputata sunt, ut intelligerent harum rerum studiosi, quid nobis ipsis omnem hanc materiam de integro retractaturis praestandum censuerimus, ut tandem minuatur opinionum diversitas rerumque Phoeniciarum studiis suus habeatur honor locusque.

Namque *primum* id agendum putavi, ut omnia, quotquot ex ingenti illo litterarum Phoeniciarum naufragio servata et ad hunc diem e terrae gremio egressa essent, monumenta sive edita sive inedita undique conquisita et in unum corpus collecta exhiberem [9]). Eo maiorem enim operam

---

8) Eckhel l. c. p. 399: „Praecipuae causae tantorum dissidiorum in explicandis monumentis Phoeniciis sunt, quod deest scientia vera, saltem maguam partem, cum *alphabeti*, tum *linguae* Phoeniciae."

9) Omnium monumentorum Phoeniciorum corpus olim molitum esse Gabrielem Fabricium Romanum, cuius opus „de Phoeniciae litteraturae fontibus" Romae 1803 prodiit, testis est Akerbladius in Comment. Societ. Reg. Gotting. Vol. XIV p. 226: „Nulla est spes, ut opus Fabricianum, quod prolixitate laborat, his temporibus [1807] in urbe tot calamitatibus afflicta edatur." Non magis perfecta, imo ab ipsis scriptoribus abiecta, sunt similia *F. P. Bayeri*, *Murrii* Norimbergensis, *O. G. Tychsenii* consilia, quae memorat Bellermannus, de inscr. Phoeniciis pag. 4: sed etiamnunc exspectatur cel. Lindbergii liber „de numis et inscriptionibus Phoenicio-Punicis, Hauniae, sp. Schubothe in commiss.", quem in libris mox edendis iam anno 1834 in Weidmanniano librorum Lipsiae venalium indice recensitum vidi.

Digitized by Google

impendi, ut supellectilem litterariam, quantum in me esset, augerem et locupletarem, quo magis intelligebam, superiorum observationum et tenuitatem et ambiguitatem praecipue in monumentorum paucitate sitam fuisse [10]). Itaque factum est, ut expulsis et Pseudophoeniciis et adulterinis monumentis, de quibus peculiari capite agere placuit (lib. II, cap. 9) [11]), *septem et septuaginta* inscriptiones vere Phoenicias lapidibus gemmisque insculptas [12]), in his *novem* hucusque incognitas [13]) ex Museis Londinensibus, Neapolitano et Berolinensi, et *sexaginta* fere numorum epigraphas in unum comportaverimus. Unam inscriptionem, quam Panormi penes principem

---

10) Eckhel p. 402: „Quum ergo ex his manifestum sit, parum propitia hactenus Minerva huic disciplinae datam operam, quaeri iure potest, sitne aliqua super spes, fore ut plus lucis his Phoeniciorum reliquiis adfundatur? Aio, superesse exiguam, nisi *ex terrae sinu proferantur monumenta copiosiora* et quae oblato faciliore et certiore sui explicatu magis nos etiam de linguae [et scripturae] Phoeniciae natura certos reddant."

11) Pseudophoeniciis etiam annumerandae sunt 1) inscriptio, quam perill. *de Hammer* in sepulcro prope Paphum Cypri repertam exhibet in *topographische Ansichten der Levante* p. 90. Qualescunque sunt illae litterae, Phoenicias non esse spondeo: prope autem accedunt ad scripturam, quae in numis Pamphyliae reperitur, vid. Cilic. U (tab. 37). 2) duae inscriptiones ab ill. *Schoemanno* mihi missae ab Anglo homine, ut ferebatur, ex imperio Tunetano allatae monstrosis illae figuris humanis partim alatis, partim bestiarum capita habentibus ornatae. Ut dicam quod sentio, hoc monumentum, si modo genuinum est, eiusdem originis esse videtur, atque illud quod p. 246. 247 not. ** a me commemoratum Montefalconius Aegypto tribuendum censebat, et vas fictile in insula Melita 1767 effossum, quod *Castellus de Turre Mucia* exhibet p. 298 (ed. 2 p. 324). 3) Gemma gnostica Graece inscripta apud Hamakerum, Miscell. tab. 4 no. 28 b et p. 163. Cf. nos p. 334 not. †.

12) Inscriptionibus no. 1—70 addendae sunt 1) no. 40 bis, 67 bis, 67 ter. 2) Carth. 11. 12. 13. Numid. 8, de quibus agitur appendice secunda (p. 449 sqq.); 3) inscriptio in latere Babylonico no. 77, quam vere Phoeniciam esse monstravimus p. 461. Contra ex horum numero eximenda Carth. 10 no. 55, quam tituli Tuggensis apographum, idque pessime factum, esse postea animadvertimus (p. 464). — Consulto autem omisi *septem* inscriptiones Melitenses a *Castello de Turre Mucia* p. 294. 295 (ed. 2 p. 319. 320) exhibitae, quippe quae, Phoeniciae quidem sed tam male vel insculptae fuerint vel (quod malim) descriptae sint, ut legi prorsus non possint. Quanquam fatendum est, etiam in nostra sylloge nonnullas esse (Cit. 9. 19. 27. 28), de quarum interpretatione desperandum erat.

13) Inscriptiones vere Phoeniciae ineditae sunt Carthag. 11. 12. 13 (v. append. 2). Numid. 5. 6. 7. 8, gemm. 67. 67 bis, quibus accedit *decima*, Aramaeo-Aegyptiaca no. 72, *undecima* Libyca no. 85. Numi inediti sunt in moneta Ptolemaidis litt. I, in Marathensibus litt. H. I. K, in Ciliciis litt. K. M. Q. R.

Digitized by Google

de Trebbia in bove aureo exstare et a Lancio קבר מתר-חי צרי (sepulcrum Mitrachai Tyrii) lectam esse acceperam, ad hunc diem nancisci non potui, neque igitur indicare possum, quid de eorum suspicione, qui eam suppositiciam putaverunt, iudicandum sit. Alia inscriptionum fragmenta, eaque paucas tantum litteras continentia, quae in idolis Sardicis ab ill. Alberto della Marmora reperta et a cel. Arrio mihi missa sunt, in hoc libro edere neque volui neque potui, quum mihi significatum esset, ab ipso ea inventore brevi editum iri. Aramaeas inscriptiones in Aegypto repertas, quae perperam vulgo Phoeniciis annumeratae sunt, pro consilii mei ratione fortasse omittere poteram: sed rationibus rite subductis eas recepi et singulari capite tractavi (lib. II cap. 8), partim ut his titulis recte explicatis appareret, quomodo et scriptura et dialectus horum monumentorum a vere Phoeniciis differret, partim ut memorabili hoc scripturae genere palaeographiam et Phoeniciam et Hebraeam illustraremus. Quod et inscriptiones et numos secundum regiones disposuimus, in quibus vel insculpta vel cusa sunt haec monumenta, ipsius rei ratio flagitabat. Quum vero unius alteriusve lectorum nostrorum interesse possit scire et uno in conspectu videre, ubi locorum autographa horum monumentorum nunc asserventur, eorum certe sive Museorum sive bibliothecarum, in quibus marmora Phoeniciis litteris inscripta exstant, indiculum contexere visum est: numorum enim exempla fere in omnibus, quotquot sunt, numophylaciis amplioribus et publicis et privatis reperiuntur.

Athenis in Museo est Athen. 3.

Berolini in Museo sunt gemmae no. 67. 70.

In Museo ducis *de Blacas* — fragmenta Blacassiana no. 74. 75.

Calari in Sardinia — inscr. Sard.

Carpentoracti (Carpentras) in bibliotheca episcopali — inscr. Carpentoract. no. 71.

Duggae in regno Tunetano — inscr. Tuggensis no. 56.

Hagae Comitum in Museo — no. 68.

Hauniae in Museo Regio — Carth. 5 et Numid. 2.

Londini 1) in Museo Britannico Numid. 5 et Tripol. 2. — 2) in Museo Societatis Asiaticae Numid. 1. — 3) in Museo militari et nautico Athen. 1. — 4) in Museo Rogersiano monum. aegypt. aram. no. 72. — 5) in collectione Sir Thomae Readii. Carth. 11. 12. 13 (v. append. 2). — 6) prope Londinum in horto regio *Virginia-Water* Tripol. 1. bilinguis.

Digitized by Google

Lugduni Batavorum in Museo academico — Carth. 1—4. 6—8. Numid. 3. 4 et multa monumenta illitterata, quae breviter recensui p. 210.

Marsalae in Sicilia in palatio publico — no. 44 (v. pag. 463).

Melitae in Museo bibliothecae — alterum exemplum monum. Melit. 1 — et ibidem Melit. 3. 4.

Monachii in Museo Demidoffii comitis — no. 67 ter.

Neapoli in Museo Borbonico — Numid. 6. 7.

Oxonii in bibliotheca Bodlejana — inscr. Cit. 2.

Panormi in Museo gymnasii — no. 43. (Ibidem penes principem de Trebbia est inscriptio in bove aureo, quam modo memoravi).

Parisiis 1) in *Cabinet des antiques* est inscr. Melit. 2. Athen. 2. later babylonicus no. 72. 2) in bibliotheca Mazariniana Melit. 1 (unum exemplum). 3) in collectione Turpinii comitis, Carth. 9.

Turini in bibliotheca — fragm. no. 73.

Ceterum ne in posterum quoque plena omnium, quae innotuerunt, monumentorum sylloge in hoc opere desideretur, simulatque vel nova emerserint monumenta vel iam cognitorum emendatiora nobis tradita fuerint exempla (utriusque enim rei nobis multiplex spes facta est), ea in spicilegiis ad hoc opus concinnandis et edere et, quoad fieri poterit, explicare propositum est.

2. Quum autem maioris etiam momenti, quam monumentorum multitudo, sit *exemplorum integritas*, plus etiam operae dedimus, ut eorum quoque, quae diu edita essent, quam integerrima exempla exhiberemus, ubicunque fieri posset, ad ipsorum autographorum fidem emendata. Qua quidem in re a laudatissimis quibusque Palaeographis neglecta ut et mihi et idoneis rei arbitris pro viribus satisfacerem semelque coniecturarum licentiae finem imponerem [14]), ante hos fere octodecim menses Lugdunum Bata-

14) Licet enim *vitia in ipsis autographis* a quadratario commissa a lapidibus non omnino neque magis abesse putandi sint, quam a libris manu scriptis, tamen in iis statuendis parci erunt sobrii harum rerum existimatores. Plura etiam, quae nobis vitiosa et mero lapidarii errore orta videantur, rectius cuidam sive in litteris pingendis sive in verbis scribendis negligentiae, quae fere in usum et consuetudinem abierat, tribuenda sunt. Ac prioris quidem generis exemplum habes Numid. 1 lin. 4 litt. 1 cf. pag. 200, posterioris in נמעי Carpent. lin. 4, cf. שמען pro שעמן (Simeon) in numis Maccabaeis. — Coniecturae, quae ipso lapide inspecto statim abiicienda erat, exemplum memoravimus p. 130 inf.

Digitized by Google

vorum atque Londinum, ubi multa eaque praestantissima monumenta asservari sciebam, adii, atque tum autographa diligentius examinavi, tum ectypa partim sulphurea et gypsea partim chartacea (ex charta quadam crassiore non glutinata, *plate-paper* Angli vocant, madefacta affabre confecta) facienda curavi, quae postea, quum domum rediissem, summa cura et industria me moderatore delineavit *Gustavus Veesenmeyerus*, Pauli filius, Ulmensis, iuvenis artis palaeographicae et ipse peritissimus, de cuius studiis et philologicis et theologicis eximia quaeque sperare iubeo rempublicam litterariam. Quum Parisios quoque adeundi consilium abiicere iuberet anni tempestatisque iniquitas, monumentorum ibi asservatorum ectypa miserunt perill. *Rochettius* et *E. G. Schultzius* Regiomontanus: Hauniensium exempla tum chartae impressa tum commentariis illustrata *Hohlenbergius* V. Ven., Neapolitanorum imagines e gypso expressas *Zahnius* Professor, architectus nobilissimus. Quae quidem nova exempla ubi compararem cum his, quae iam ante aliquot annos ad exemplorum editorum fidem in usum futurae editionis septem tabulis forma maxima inscribenda curaveram, tam multis vitiis haec inquinata reperi, ut ea ad unum omnia publica luce indigna et abolenda censerem, quam quidem iacturam doctrinae emolumento libenter gratificatus est redemptor, vir non magis honestus quam liberalis [15]). In iis tantum inscriptionibus, quarum autographa vel omnino periisse videntur, ut Erycina et pleraeque Citienses, vel in ipsa Africa remanserunt, ut Tuggensis, Gerbitana, vel in maris internis insulis, ut Sicilia, Sardinia, Melita, asservantur, ego quoque ex apographis pependi, quorum fides non ubique certa est: quanquam horum quoque nonnulla apographa nactus sum exemplis editis vulgaribusque accuratiora [16]). Si forte bina exempla praesto erant, suis quaeque virtutibus insignia, ut in Tuggensi, Turinensi, Carpentoractensi, nonnullis Citiensibus, utraque dedi, ut intelligerent lectores, quomodo in textu inscriptionis ad plurium exemplorum fidem constituendo versatus essem. — In numorum (quorum exempla permagno numero exstant) epigraphis edendis non eodem modo mihi

15) Inscriptionum iam editarum exempla a nobis ad autographum emendata dedimus in Melit. 1. 2. Athen. 1. 2. Cit. 2. Carth. 1. 2. 3. 4. 5. 8. Numid. 1. 2. 3. 4. Tripol. 1. 2, Babylonica no. 77, gemmis no. 67 ter, 70. — Atheniensis *tertiae* accuratius exemplum a Ludov. Rossio iam diu est quod petii, sed nondum impetravi.

16) Vide Melit. 3, Porteriana exempla Cit. 4. 21. 23, prae ceteris tituli Tuggensis tertium exemplum tab. 48 editum.

Digitized by Google

satisfeci: nec dubito, quin is, qui otio ad hoc dato et necessaria palaeographiae doctrina instructus omnia Europae, maxime Hispaniae, numophylacia publica et privata excusserit, nostram epigrapharum syllogen variis modis et augere possit et emendare. Feci tamen, quod potui, ut consilii mei rationibus starem. Musei igitur Britannici numophylacium et locupletissimum et lectissimum diligenter perlustravi omniumque numorum, quae consiliis meis inservire poterant (in quibus prae ceteris egregia Marathensium, Panormitanorum et Heracleensium exempla memoranda sunt), ectypa a Doubledayo accurate facta in patriam attuli. Parisiensis enim numophylacii, cuius ectypa Mionnetiana domi habebam, maximam partem iam anno 1825 meos in usus, qua est ἀκριβείᾳ et rei palaeographicae scientia, recognoverat Hohlenbergius v. cl. epigraphas a Mionneto editas ad ipsos numos (quos integros delineavit) emendans, recens acquisitos addens: quibus ill. Rochettius nuper admodum ex Caramania advectorum syllogen adiecit (p. 286). In edendis autem his numismatis non in eo acquiescendum putavi, ut solas epigraphas exhiberem ad exemplum Mionneti, Hamakeri al., sed plerumque totius numi imaginem depingendam curavi, partim ut imaginibus atque emblematis hic illic adiuvetur interpretatio videantque lectores, qua arte (rudiore an elegantiore) moneta cusa sit; partim ut ipsi lectores nostri iudicent, quae litterae ad hanc illamve epigraphan, quaeque signa ad epigraphan, quae ad imagines atque ornamenta pertineant, et quid ea in re a nonnullis editoribus peccatum sit [17]). Atque similes ob caussas etiam in monumentis lapideis edendis plerumque ita versati sumus, ut inscriptionem, si modo per libri nostri formam liceret, propria sua magnitudine exhiberemus [18]), adiiceremus autem totius monumenti faciem in minus contractam.

---

17) Vide quae disputavimus de numis Marathensibus p. 272—274. Ita saepius duae epigraphae in ipsis numis duobus diversis locis positae apud Mionnetum in unam lineam coaluerunt velut tab. 22, no. 14. 15. 16, tab. 25, no. 71 sqq. Alibi singulae epigraphes voces sedem inter se mutarunt, ut tab. 23, 3: לצר אם אדנם pro לצר אם אדנם, et tab. 24, 55. 56. 57. — Numum Cilic. K. examinans, ipse aliquamdiu dubius haesi, utrum quosdam superioris epigraphae ductus ad litteras an ad cornu cervini ramos pertinere putarem.

18) *Maximi* moduli litterae Phoeniciae quas viderim, eaeque paene tres digitos altae, sunt in inscriptione Tripolitana bilingui, quippe quae arcui triumphali infixa ita insculpenda esset, ut procul legi posset: nec multo minores esse videntur, quibus titulus Tuggensis scriptus est (vide p. 184 lin. 16). Contra *minimi* moduli sunt, quae in Alexandri numis Accensibus exstant, quae inermi-

Digitized by Google

Multas in difficultates incurrere eum, qui probam et integram ne dicam omnibus numeris absolutam harum epigrapharum delineationem exhibere velit, id facile fatebuntur, quicunque hoc in genere vires suas periclitati sunt: nec magnopere mirandum est, in hoc negotio tam saepe peccatum esse. In numis enim saepe tum eximia litterarum parvitas, velut in Accensibus, Panormitanis, tum detrita multorum exemplorum conditio obstare solet, quominus litterarum ductus certo dignoscantur: in lapidibus contra magna saepe ex eo oritur difficultas, quod inscriptionis area vel aspera est et inaequalis vel tempestate adesa, ut vel ipsum lapidem examinanti difficile sit dictu, utrum haec illave linea a statuarii stilo profecta an casu orta sit [19]). In utroque genere praeter oculorum aciem satis incorruptam subinde arte adiutam nobis multum profuit lumen idque perclarum et acutum monumentis ab omni parte admotum: quo efficiebatur, ut litterarum ductus etiam minus alte incisi vel detriti, qui luce diurna utentis aciem fere effugere soleant, iacta umbra in faciem prodirent. Praeterea memoratu non indignum est, praecipuam quandam apographorum discordium caussam in ipsa litteras incidendi ratione positam esse. Pleraeque enim ita insculptae sunt, ut quaevis linea crassior fossulam quasi triangularem referat, quae in lapidis superficie lata in imo fundo in simplicem lineam coeat: quo factum est, ut ii, qui stili meatus in ima fossula delineando imitarentur, plures litterarum aliter pingerent atque hi qui omnem earum crassitiem imitandam censerent. Quod ut semel luculento aliquo exemplo monstrarem in tab. *undecima* Citiensis secundae duas delineationes dedi, quarum una hanc altera illam rationem sequitur: in aliis plerisque posteriorem rationem secutus sum.

---

bus oculis vix cerni atque dignosci queant. Equidem ipsa sua magnitudine dedi inscriptt. Melit. 1. 3. 4. Athen. 1. 2. Sard. Cit. 2. Carth. 1—9. Numid. 1—5. Carpentoract. (v. 71 a), no. 72—75, numosque et gemmas fere omnes; plus minusve in minus contractae sunt Melit. 2. Carth. 11—13. Numid. 6—8. Tripol. 1. 2. Babyl. no. 77, in maius auctae sunt gemm. 67—70 et numi numorumque epigraphae nonnullae, ut Sid. U—X, numi Vagenses et Sigenses aliique a Pellerinio petiti. De nonnullorum modulo mihi non constat, velut Athen. 2 et Citiensium, quanquam Porteriana horum exempla fortasse veram magnitudinem referunt: parvos enim fuisse hos lapides, ex Oxoniensi apparet.

19) Sic in Athensiensi prima lin. 1 litt. 5 plures, qui lapidem mecum examinabant, dubii erant, utrum superior litterae linea arte facta an lapidis vena esset. Ubi ex ectypis iudicandum est, subtiliora eiusmodi discrimina prorsus pereunt.

Digitized by Google

3. *Doctrinae palaeographicae* descriptionem, quamvis haec operae nostrae in explicandis titulis epigraphisque positae quasi summam contineat et absoluta demum omnium monumentorum interpretatione scribi posset, nihilominus commentariis nostris in ipsa monumenta anteponendam putavimus, quum alias ob caussas tum ut hi qui ad hoc studiorum genus primum accederent (qui utinam multi sint!) iusta atque legitima ad hanc doctrinam institutione non carerent. Hanc autem ita disponere visum est, ut lectoribus singularum litterarum Phoeniciarum quasi historiam ante oculos ponerēmus, in qua a nativis, plenis et legitimis figuris profecti ad negligentiores et depravatas pregrederemur, singulis autem figuris monumentorum locos adscriberemus, quibus illae invenirentur et ad quos de incertiorum figurarum potestate a nobis disputatum est, ut in caussis dubiis lectores rationem a nobis initam examinare suisque oculis cernere et iudicare possent. Aliam huius doctrinae tradendae rationem ii secuti sunt, qui, velut Swinton, Bayerus, litterarum figuras secundum regiones dispositas exhibuerunt: et erunt fortasse, qui hunc modum multis comprobatum etiam a nobis exspectent. Quum vero, ut ex tabulis nostris intelligent lectores, in antiquioribus monumentis variarum regionum litterae reapse non multum (minus certe, quam antiquiores a recentioribus) inter se differant: rationibus rite subductis illam viam praeferendam duximus (p. 15), praesertim quum ex iis quas nos suppeditavimus copiis facili negotio litterarum tabulas secundum regiones disponere possit, qui velit. Ne Numidicae quidem s. Punicae recentioris scripturae leges nuper a me inventas (p. 8. 49 sqq.) in hoc libro separatim tractare placuit, quum etiam haec litteratura nonnisi eiusdem generis diversa quaedam species appellanda sit, cuius aliae figurae ipsae Phoeniciae sunt, aliae Numidis peculiares ex antiquioribus Punicis contractae passim, etsi raro, etiam in vetustioribus monumentis reperiuntur [20]). In universa autem hac doctrina quid superioribus acceptum referam, quid a me vel novis exemplis firmatum vel additum emendatumque sit, id quum hoc loco persequi et ambitiosius videri possit et a praefationis consilio alienum tum facile intelligent, qui nostras litterarum tabulas cum

20) Ex vulgari scriptura Phoenicia Numidiae litteratura servavit litteras *Gimel*, *He*, *Tet*, *Jod*, *Ain*, *Phe*, *Zade*, *Resch*. Ex figuris, quae huic scripturae propriae sunt, *Aleph* praeter numos Cossurenses reperitur iam in nonnullis Citiensibus (Cit. 20, 1. 33, 1) et Athen. 3; *Chet* Cit. 8, 1, *Caph* in num. Malacae, *Mem* in num. Cilic. *I bis*, *Samech* Athen. 1, 1.

Digitized by Google

Koppii et Lindbergii alphabetis, quae superiorum facile praestantissima sunt (p. 16. 17), comparare volent.

Praeter litteras Phoenicias et Numidicas etiam *Libycarum* litterarum rationibus, quae hucusque prorsus incognitae erant, expediendis operam dedimus non irritam (p. 192 sqq. 459 sqq.) novumque et memorabile aliquod litteraturae genus in lucem protraximus, in cuius originibus et historia illustrandis iam porro ingenium exerceant Palaeographi. Quam disputationem si quis a nostro certe consilio alienam putet, is reputet velim, Libycam Tuggensis inscriptionis partem adeo in Punica eius parte legenda huiusque textu constituendo magnae utilitati fuisse. Praeterea autem nostra intererat, novo atque luculento hoc specimine lectoribus monstrare, qua ratione nos in signorum ignotorum potestate indaganda usi essemus: quae quidem omnino eadem est, qua in numeris ignotis quaerendis utuntur mathematici, ut ab his, quae data sint, proficiscentes ea colligendo, componendo et inter se comparando ad ignota investiganda perveniant (cf. lib. I §. 11). Ceterum quid caussae sit, quod commentariis de Palaeographia Phoenicia alios etsi breviores de Palaeographia comparata (lib. I §. 44—55 et corollaria ad §§. 12—32) addiderimus, id infra copiosius disputatum (lib. I §. 44) hoc loco repetere non attinet.

4. Denique ut instaurata illa de *Phoeniciae Punicaeque linguae facie* controversia tandem et semel componeretur, duplicem viam et rationem ingrediendam putavimus. Una erat, ut ostenderetur, in monumentis non solum Phoeniciis et Punicis sed etiam *Numidicis* (quarum dialectus viris doctis hucusque incognita fuit) certo et legitimo modo lectis et explicatis non aliam linguae speciem reperiri, quam quae cum Hebraea per omnia fere conveniret, atque tantum non omnia, quae pro Arabismis, Syriasmis, Samaritanismis venditata essent, falsa harum epigrapharum et lectione et interpretatione niti: quod tum separatim (lib. IV §. 2. 3) tum maxime in ipsis commentariis a nobis factum est. Altera, ut examinatis et explicatis ceteris linguae Phoeniciae Punicaeque reliquiis, quae apud veteres scriptores servatae sunt, doceretur, etiam has non aliam linguae formam nobis referre. Hanc igitur ob caussam operi nostro quartus liber addendus erat mere philologici argumenti, qui, praeterquam quod illum de quo diximus errorem refelleret (id enim vix tantae molis erat), omnes huius linguae reliquias, quotquot aetatem tulissent, collectas et ad originem domesticamque scripturam revocatas exhiberet, ut ex utroque hoc fonte vera et genuina

Digitized by Google

linguae Phoeniciae imago habitusque cognosci posset. Itaque in his et colligendis otium insumsi et explicandis ingenium exercui: totiusque quaestionis haec summa fuit, ut intelligerem, et nobilissimum Plauti locum et glossas nominaque propria Phoenicia, Punica et Numidica non aliam dialecti speciem offerre quam quae in monumentis haberetur, utrumque igitur linguae Phoeniciae fontem egregie se invicem et confirmare et illustrare (lib. IV §. 1.3). Quod ut etiam his, quibus linguae magis quam scripturae rationes cordi sunt, ob oculos poneremus, tum *grammaticas* linguae *leges* ex utroque illo fonte diligenter exposuimus (lib. IV, c. 4), tum ex loci Plautini interpretatione tribusque vocum appellativarum et propriarum Lexidiis *indicem* confecimus (qui numero *prior* est), qui universas veteris linguae opes contineret, id est *sexcentas* fere voces, quae cum Hebraeis prorsus fere conspirant. In ipsis autem illis reliquiis philologice et critice tractandis et ad analogiam Semiticam revocandis nemo, uti spero, diligentiam nostram desiderabit, et reperientur fortasse in his commentariis nostris haud pauca, quae tum futuris quorundam scriptorum (velut Plauti, Dioscoridis, Hesychii) editoribus, tum Historicis, Geographis et Latinae linguae Lexicographis profutura sint. Praeter linguam Punicam in Africa etiam aliam viguisse ex Punica et Libyca mixtam, quam propterea *Libyphoeniciam* appellavimus, ex duobus eius monumentis (Plaut. Poen. V, 1 vers. 11—16 et inscr. Tugg. parte altera, litteris Libycis scripta) monstravimus, quae, licet non omni ex parte explicari possint, tamen ita comparata sunt, ut omnino de linguae indole iudicium facere possimus (v. p. 195. 196. — 373. 374. — 459 sqq.). Ceterum his, quae libro quarto de grammatica Punici sermonis indole disputavimus, h. l. pauca de universo orationis genere addere liceat. Quod enim ex paucis orationis Punicae reliquiis apud veteres servatis, veluti foederis inter Poenos et Romanos iuncti tabulis (Polyb. 7, 9), colligi poterat, sermone eos usos esse gravi, tumido, grandiloquo, Poenorum moribus accommodato, titulisque magnificis delectatos esse, id etiam monumentis nostris confirmatur quotquot vel orationem paullo longiorem et poëticam continent, ut inscr. Erycina, Tuggensis, Plauti canticum, vel certe urbium regnorumque itemque regum titulos exhibent, ut *regnum aeternum* de regno Numidiae (Numid. 1 lin. 2), *domus perpetua imperii* de metropoli (num. Iubae min. p. 316) al. cf. de num. Iubae maioris p. 314, matris nomine in numis Phoenices propriae p. 163. Videant igitur eruditi, sitne peculiare illud orationis genus

Digitized by Google

a tumore verborumque ampullis nobile, quod in Tertulliani, Arnobii, Appuleii aliorumque Africanorum scriptis reperitur et *sermonis Afri* nomine celebratur, ex eo maxime repetendum, quod hi scriptores lingua vernacula imbuti fuerant ad verborum pompam admodum proclivi. Accedebat sane rhetorum Carthaginensium disciplina, sed haud scio an huius ipsius indoles ex eadem caussa, fervidiore quadam populi regionisque indole, ducenda sit.

In *interpretandis* titulis numorumque epigraphis quid a nobis praestitum sit, non nostrum est commemorare iique iudicent, qui nostram enarrationem cum superiorum interpretum explicationibus coniecturisque, quas ubique attulimus, comparaverint. Unum nobis dicere liceat, nullam interpretationem a nobis admissam esse, quin triplici huic legi satisfaceret: ut legitime lecta esset inscriptio, ut linguae dialectique legibus conveniret, et ut aptam talemque sententiam efficeret, quae monumenti naturae consentanea esset. Quod Koppius saepe horum monumentorum interpretibus inculcavit, ut in iis tractandis ante omnia Palaeographos agerent, dein Philologos, i. e. de sola lectione circumspicerent prius quam ad interpretationem progrederentur, id tempestive quidem ab eo praeceptum erat, ut immodicae cuidam in legendo temeritati finem imponeret: neque tamen negligendum erat, in multis inscriptionibus legendi lectaque intelligendi negotia non ita, ut Koppius volebat, a se invicem seiungi posse sed simul et eodem tempore exercenda esse, pluraque scripturae genera minus accurata et legitima sine aliqua coniectandi dexteritate, quae sine perfectissima linguae cognitione cogitari nequit, omnino legi non posse, sicut hodie epistolam sive arabicam sive germanicam fugiente calamo et negligentius scriptam nemo legat, quin etiam linguae peritus sit. Quocirca sicut in antiquissimis titulis Graecis Arabicisque legendis a solis Palaeographis nihil unquam et praestitum est et praestari potuit, iique soli feliciter versati sunt, qui, ut Boeckhius, Letronnius, Fraehnius, etiam in linguae scientia principatum tenerent: ita in Phoeniciis praestantissima quaeque nonnisi ab iis profecta sunt, qui a linguarum doctrina bene instructi ad palaeographiae studium accederent, in quorum numero post Barthelemyum ingenii acumine doctrinaeque elegantia reliquis palmam praeripuit Akerbladius.

Ipsum explicandi negotium in Phoeniciis saepe permultum et plus etiam quam in Graecis habere difficultatis, id facile nobis concedent, qui

Digitized by Google

considerent, non solum pleraque monumenta sine ulla verborum distinctione vocibusque in extremis versibus pro lubitu fractis (lib. I §. 38, 1) scripta esse, quale scribendi genus adeo in nostris linguis legenti negotium facessat [21]), sed eadem omnia (id quod difficultatem magnopere auget) etiam matribus quas dicunt lectionis prorsus carere (lib. I §. 40): solorumque Cuficorum monumentorum, quippe quae punctis diacriticis quoque destituta esse soleant, interpretatio fortasse plus etiam negotii habuerit. Non igitur est quod miremur, tum epigraphas esse, quarum lectio satis certa dubiae tamen interpretationis sit [22]), tum viros doctos, veluti Swintonem, qui in legendo quidem neque indiligentes neque infelices in explicando tamen invita Minerva versari soliti sint. Hac enim in re praeter subactam linguae et antiquitatis doctrinam omnia pendent ex ea ingenii et sollertia et felicitate, quam in Boeckhio, Letronnio admiramur, quae ubi deest nullis doctrinae copiis suppletur. Nos quidem eo in genere praeter Numidicae scripturae et compendiorum rationem inventam plurimum adiuvit locorum similium inter se collatio (lib. I §. 11), atque, ut verum fateamur, simulatque litterarum potestas recte definita esset, vera sententia saepius ultro se nobis obtulit quam diu et operose quaerendo inventa est. Nonnullos nodos mecum expediverunt Frid. Car. Brandtius Magdeburgensis et G. Veesenmeyerus Ulmensis, sagacis ingenii iuvenes, quibuscum tum in scholis tum privatim de his rebus disserere solitus sum. Ceterum eorum duntaxat titulorum explicationem omnino certam et exploratam appellare non dubito, quae bene et legitime scripta, bene conservata et accurate descripta sunt, v. c. Melit. 1. 2. Athen. 1. 2. Cit. 2. Carth. 2. 3. 8. 9. Numid. 2. 5. Tripol. 1 al., in his qui male habiti vel quorum exempla negligentiora sunt (Melit. 3. 4) praeter coniecturam admodum probabilem (quae quidem ipsa ad evidentiam saepe proxime accedit) nihil expectari posse, nonnullorum adeo, ut nunc sunt, interpretationem plane desperandam esse (Carth. 13. Cit. 9. 19. 27. 28), facile intelligent, qui horum apographorum conditionem reputent. Obscurae sunt etiam numorum nonnullorum epigraphae (Cilic.

21) Non omnes extemplo legebant hoc:

22) V. c. inscr. Melit. 2 (pag. 103 sqq. et pag. 462), Sardicam, epigr. numi Sidonii quattuor versuum, Tarsensis A, Gaulitanorum al.

Digitized by Google

H. K. N. P., incert. C. D. E), quae legi quidem possunt, sed ad certam urbem referri nequeunt iccirco quod ignoratur, quaenam urbs nomine Phoenicio in numismate conspicuo olim appellata fuerit. Quemadmodum autem in interpretationis evidentia aestimanda plura quasi monumentorum genera distinximus, ita etiam in *crisi exercenda* faciendum putavimus. Ubi enim vel in ipso monumento vel in ectypo diligenter facto litterarum ductus perspicuos sub oculis habebam, his solis inhaerendum atque a coniecturae temeritate prorsus abstinendum putavi, quum ipsum autographum vitiosum fuisse non sine gravi causa statuendum videretur: ubi vero ex pluribus pendebam apographis imperfectis et inter se dissentientibus, ut in titulo Tuggensi, in genuina tituli forma instauranda sane crisi coniecturali et combinatoria (Boeckhii vocabulo utor) [23]) utendum erat: nec desperamus fore, ut etiam harum coniecturarum nostrarum una alterave aliquando ipso monumento denuo diligentius examinato confirmetur [24]).

Quod ad *argumentum* horum monumentorum attinet, fallentur quidem, qui obscuris remotissimae antiquitatis locis multum luminis inde afferri nedum arcana eius reserari exspectaverint: verumtamen tum ex ipsis monumentis tum ex aliis linguae Phoeniciae reliquiis, quas libro quarto pertractavimus, fructus quidam non contemnendi in varias et sacrae et profanae antiquitatis disciplinas redundare censendi sunt, quorum nonnullos paucis attingere placet. Ac primum quidem *scripturae linguaeque Hebraeae* historia et rationes inde variis modis illustrantur. Scripturae enim Chaldaicae s. quadratae originibus magnam partem obscuris atque perplexis nulla re plus lucis affertur, quam litteratura illa Aramaea Aegyptiaca, in qua illius scripturae principium et quasi incunabula quam evidentissime oculis exponuntur. Praeterea tum singulae quaedam voces in V. T. et rariores et obscuriores crebriore earundem in linguae Phoeniciae reliquiis usu explanantur [25]), tum maxime ea linguae Hebraeae pronunciatio et conformatio grammatica, quae punctis masoreticis continetur, Punicae linguae pronun-

23) Corp. inscr. praef. pag. XIX.

24) In hac ipsa Tuggensi spes nos non fefellit, ut apparet ex exemplo Honeggeri (append. 3 pag. 45), quod textum a nobis constitutum praeter vers. 7 in plerisque confirmavit. Alias coniecturas postea ipsorum lapidum auctoritate firmatas v. ad Athen. 2. Carth. 2. 3 al.

25) Vc. חמנים iam dudum est quod ex his monumentis explicavi (praef. ad Lex. hebr.

Digitized by Google

ciatione [26]) egregie confirmatur. Ad *historiam* quod attinet, abiiciendum sane Drummondi commentum, qui inscriptione Melitensi secunda Hannibalis magni epitaphium haberi affirmabat (v. pag. 106): nihilominus non desunt in monumentis nostris, quae ad homines in historia minime ignobiles pertineant, velut inscriptiones Numidicae 1—4, quae ab Hiempsalis, Numidiae regis, familia profectae sunt, Tripolitana prima, quam ad Septimium Severum pertinere verisimillimum est: ne dicam de utriusque Iubae numis eaque moneta quae ad Ciliciae Asiaeque minoris historiam sub Persarum principatu spectat, velut Cilic. A. B. G. Non minimi etiam momenti hoc fuerit, quod ex singulari illa linguae, scripturae atque religionum inter Poenos Numidasque communione arcta utriusque populi propinquitas et necessitudo communisque origo satis certo effici potest [27]). Denique etiam *veteris geographiae* et *antiquitatis* studiosi non desiderabunt, quae rationibus eorum inservire possint, v. c. non paucarum Siciliae, Hispaniae, Africae urbium et locorum nomina Punica a veteribus scriptoribus non memorata, ut Panormi (מַחֲנַת), Gauli (אגן), Cossurae (אי בנים), quibus post nostras curas accesserunt nomina Heracleae (רש מלקרת *rûs Melcarth*), Motyes (ממוא), Insulae Syracusarum (אית, איא) cum Arethusae fonte (באר את), in Hispania Beli s. Belonis (בעלת), Malacae (מלכא), in Africa Vaccae (בקי), Sabrathae et al.; numina praecipua a Carthaginensibus et Numidis culta tum domestica, certe ex antiquitate tralaticia (תנת [non תלת, תלד], בעל חמן), tum ex Aegypto adventicia (אֶשְׁמֵן Aesculapius, אסר *Osiris*); munerum Carthaginensium vocabula

---

minus ed. 2 p. XXXI. Thes. ling. hebr. I, 490), cui nunc addenda sunt quae disputavimus p. 170 sqq. 451; מַזָּרוֹת *ἅπαξ λεγόμ.* Ioh. 38, 32 *siderum* significatu habetur in num. Cilic. A. B. G; משל (מָשָׁל) primo *imaginis* significatu est Numid. 4, 1; נציב *columna* in V. T. *ἅπαξ λεγόμ.* Gen. 19, 26, in cippis modo plene modo per compendium scriptum exstat (p. 353). — Adeo in linguae Punicae reliquiis, quae nominibus propriis continentur, nonnulla reperiuntur, quae vocibus quibusdam Hebraeis illustrandis cum fructu adhibeantur. Ad *ἅπαξ λεγόμ.* חֲנוֹת Mal. 1, 3, quod *domicilia* reddunt LXX. Syr. et a تَنَّا (habitavit) ducunt Lexicographi, conferendum est pun. *Thunu* (תְּנוּ *habitatio*) in *Thunudronum* תנו דרום habitatio austri (Südhausen), *Thunusida* תנו צירדה habitatio venationis (Jagdhausen) p. 417. 428. — מְבוּר (umbilicus) *fastigii*, *clivi* significatu apud Poenos habetur in n. pr. *Tubur*sica מבור שקה clivus fori, *Tubur*nica מבור יניקה al. — De מו (מוֹ) et fem. מות *aquae* significatione (ut in מוֹאָב) v. 223. 393. 418.

26) Vide lib. IV §. 27 sqq. maxime §. 31.

27) Vide *Palaeograph. Studien* p. 108. 109.

Digitized by Google

propria (משפט sufes Carth. 5, ספר scriba Carth. 3); de sacrificiis humanis apud Numidas testimonia Numid. 6. 7. 8, et quae huius generis plura sunt, quae quidem omnia, prout ea interpretationem historicam vel admittere vel poscere videbantur, pro consilii nostri ratione strictius quam verbosius illustravimus.

In fontibus subsidiisque litterariis, quae antiquitati Phoeniciae illustrandae adhiberi poterant, non infimum profecto locum occupasset *Sanchuniathonis* vel potius *Philonis Byblii* historia Phoenicia, quae tanquam in Lusitania (si Dis placet) inventa non sine magno strepitu in ephemeridibus annunciata, mox ex codice graeco, ut ferebatur, in compendium redacta cum praefatione Grotefendii in publicum emissa est [28]. Consultius tamen putavi, vel exiguam vel nullam huius libri habere rationem [29]: non quasi vel ipse censuerim vel alius quisquam internis argumentis evicerit, istas narrationes a rerum Phoeniciarum natura magnopere alienas esse (imo iis inerant, quae illius antiquitatis speciem satis feliciter imitarentur): sed quod (quum in huiusmodi caussa ambigua in externo codicis testimonio omnia sita esse existimarem) quotidie crescebat suspicio, eiusmodi codicem graecum, cuius a Grotefendio descripti adeo specimen ediderat Wagenfeldius [30], penes hunc editorem, cuius de eo narrationes falsitatis convictae essent ad unam omnes [31], neque nunc esse neque unquam fuisse. Nec profecto est quod huius cautionis me poeniteat nunc, ex quo graeca editio, quae his ipsis diebus mihi tradita est, in publicum prodiit [32]. Namque primariam illam de

28) *Sanchuniathons Urgeschichte der Phönizier*, in einem Auszuge aus der wieder aufgefundenen Handschrift von Philo's vollständiger Uebersetzung. Nebst Bemerkungen von Fr. Wagenfeld. Mit einem Vorworte von Dr. G. F. Grotefend. Hannover 1836.

29) Dubitantis sunt quae scripsi p. 263. 264, omnem caussam fere desperantis quae dicta sunt p. 342.

30) „Wie alt die Handschrift sey, mögen die Kenner aus dem beygegebenen Facsimile beurtheilen .... hier mag es genug seyn, zu bemerken, *dass die Handschrift sauber auf Pergament geschrieben, aus 127 grossen, 25 bis 35 Zeilen enthaltenden Quartseiten besteht.*" (Grotef. in Ephem. Hannov., v. Preuss. Staatszeitung 1836 no. 154 d. 4. Jun). Haec a Grotefendio non αὐτόπτῃ sed Wagenfeldii litteris credenti scripta esse, postea demum innotuit (v. Preuss. Staatszeitung no. 196 d. 16. Iul.).

31) Vide prae ceteris: *die Sanchuniathonische Streitfrage nach ungedruckten Briefen gewürdigt von C. L. Grotefend.* Hannover 1836. 28 pagg. Adde Preuss. Staatszeitung 1836, no. 216. 227.

32) Sanchuniathonis historiarum Phoeciae libros novem graece versos a Philone Byblio edidit latinaque versione donavit F. Wagenfeld. Bremae 1837. 208 pagg. 8.

Digitized by Google

codice quaestionem editor in praefatiuncula versutius quam prudentius scripta ne tetigit quidem (quo ipso caussam suam deseruisse censendus est): ipsiusque libri examen, ut alia multa taceam quae nuperrime exposuit Odofr. Müllerus [33]), tantum abest ut veteris cuiusdam codicis auctoritatem prodat, ut nova editio libro primo, quem solum diligentius examinare potui, Orellianam Sanchuniathonis fragmentorum editionem cum manifestis operarum vitiis tum in litteris tum maxime in accentibus admissis referat [34]).

Iam vero nihil superest, quam ut viris doctis bonarumque litterarum fautoribus, qui quum aliis beneficiis tum imprimis subministratis opibus ineditis de hoc opere meruerunt, quas gratias habeam, eas palam persolvam ex intimo pectore. In his prae ceteris grato animo memorandi sunt: in Borussia praeter academiam Regiam Borussicam Viri Excellentissimi *de Altenstein* et *Ancillon*, in Summis Borussici regni Administris, *Aug. Boeckh*, *Ed. Gerhard*, *E. H. Tölken* Berolinenses, *Fr. Ritschl* Vratislaviensis (p. 363); in aliis Germaniae partibus *C. O. Müller* Gottingensis (p. 182. 211), *G. F. Grotefendius* Hannoveranus (p. 74. 75), *Gust. Seyffarthus* (p. 225) et *E. F. Ferd. Beer* (p. 245. 363) Lipsienses, *Aug. Bähr* Heidelbergensis (p. 363); in Anglia praeter *Societatem Asiaticam* [37]) et *antiquitatis studiosorum Societa-*

33) Götting. Gelehrte Anzeigen no. 52.

34) V. c. *ἐκκριφέντες* p. 20, lin. 14, ut apud Orell. p. 28 pro *ἐκριφέντες*, *παρέδωσαν* p. 26 lin. 24, ut apud Orell. p. 40 lin. 4 (neque non Viger. et Rob. Steph.) pro *παρέδωκαν*, *εἴρασται* p. 25 lin. 12, ut apud Orell. p. 40, lin. 20 (et Vigerium) pro *εἴργασται*, ut recte R. Stephanus. Duo priora quidem exempla, quae vitiosa esse postea animadvertit editor, in Erratis corriguntur: sed nihilo secius ea novae editionis fontem produnt. Vide *Vorläufiges über den neuen Sanchuniathon*, in Allg. Litt. Zeit. Int. Blatt. no. 21.

37) Atque haec quidem Societas novarum etiam opum impetrandarum spem aperuit in *epistola encyclia nuper ultro ad Angliae proxenos in Africa data*, quam integram appono, ut hoc exemplo intelligant lectores, quanta officiorum liberalitate consilium nostrum in Anglia adiutum sit. *London, 27. Febr. 1836 Sir, The ..... Orientalist Dr. Gesenius, Professor of Hebrew in the University of Halle, in Prussia, who has been for many years engaged in enquiries respecting Coins et Inscriptions in the Phoenician and Carthaginian character, has formed the plan of uniting in a body, and commenting upon, as many of these ancient monuments as have hitherto been published, or have been found by him in the principal Museums and Collections of Antiquities in Europe, which he has most carefully examined for that purpose. The Committee of Correspondence of the Royal Asiatic Society, fully appreciating the importance of this plan for improving our knowledge of one of the most ancient languages of the East, bearing the nearest relation to the Hebrew; and entertaining at the same time the highest opinion of the talent already*

Digitized by Google

tem (Society of Antiquaries) ill. *Hawkins*, *Frid. Rosen* (p. 449. 456), *Thomas Yates* Londinenses, cel. *Reay* Oxoniensis (p. 126); in Francia perill. *Raoul-Rochette* (p. 102. 286. 462) et cl. *E. G. Schultz* Regiomontanus nunc Parisiis degens (p. 94. 102. 118); in Hollandia cel. *Conr. Leemans*, Musèi Lugdunensis custos primarius (p. 464); in Italia Excell. *Bunsen*, Borussiae Regis in curia Romana legatus; denique in Dania Ven. M. *Hagen Hohlenberg*, Professor Hauniensis, vir in paucis benignus et erga me officiosus, cui plurima fere in hoc genere beneficia debeo (v. pag. XII. 93. 102. 118. 126. 181. 202. 217. 228. 260). Me autem si litterarum Phoeniciarum reliquias et cum fide edidisse et eiusmodi commentariis illustrasse censebunt idonei harum rerum arbitri, qui partim Barthelemyo et Åkerbladio, primis harum litterarum statoribus, partim nostra aetate, quae in Phoeniciis explanandis quidem minus felix in simili tamen argumento Champollionis, Burnoufii, Lassenii praeclara merita vidit, non prorsus indigni sint, maximam me operae meae in his studiis collocatae fructum cepisse existimabo. Scribebam Halae Saxonum, idib. April. MDCCCXXXVII.

---

shewn by Dr. Gesenius in researches of this kind, is desirous of assisting him as much as possible in the execution of his work, by endeavouring to place further materials within his reach. With this view the Committee has requested me to draw your attention to the subject, as your residence in a country once occupied by Phoenician settlers may have afforded you opportunities of obtaining valuable information, by the communication of which to Dr. Gesenius, through this Society, you would render an important service to literature. The Committee would feel especially obliged to you for casts or accurate drawings of any ancient monuments, whether inscriptions or coins, bearing Phoenician characters, that you may have an opportunity of procuring; and such copies would have additional value if accompanied by some remarks as to the spot where the originals were found, or in whose possession they are. The Committee proposes to send, for Dr. Gesenius inspection and use, such documents as, in consequence of this letter, you may be pleased to favor it with; and after he has made use of them, to deposit the same in the Museum of the Royal Asiatic Society. I have the honor to be etc. (Signed) H. Harkness Secretary. Simili modo consilia nostra a *Societate Geographica Londinensi* promotum iri verbis eius mihi pollicitus est, qui ei nunc ab epistolis est, Cap. *Maconichi*. Utinam aliarum etiam regionum et Societates litterariae et viri docti, Museorum maxime praefecti, si quae forte Phoeniciae scripturae reliquiae (certe minores, veluti gemmae) apud eos delitescant, has nobis mittendo bonis litteris gratificentur!

Digitized by Google

ARGUMENTUM.

LIBER PRIMUS *Palaeographiam Phoeniciam* continens.

CAP. I. *Historia litteraria et bibliographia* §. 1—4 . . . p. 1 sqq.

CAP. II. *Quibus in regionibus et quo temporis spatio Phoeniciis litteris usi sint* §. 5—7 . . . p. 9

CAP. III. *De litteris Phoeniciis et Numidicis.*

§. 8. Varia alphabeta recensentur et examinantur . . . . . p. 15
§. 9. De nativa litterarum figura . - 17
§. 10. De variis nativae figurae sensim mutatae caussis . . . . . - 18
§. 11. De litteris ignotis indagandis - 19
§. 12. Aleph littera . . . . . - 19
§. 13. Beth littera . . . . . - 21
§. 14. Gimel littera . . . . . - 22
§. 15. Daleth littera . . . . . - 23
§. 16. He littera . . . . . - 25
§. 17. Vav littera . . . . . - 26
§. 18. Sain littera . . . . . - 27
§. 19. Chet littera . . . . . - 28
§. 20. Tet littera . . . . . - 30
§. 21. Jod littera . . . . . - 30
§. 22. Caph littera . . . . . - 32
§. 23. Lamed littera . . . . . - 33
§. 24. Mem littera . . . . . - 35
§. 25. Nun littera . . . . . - 37
§. 26. Samech littera et §. 27. Ain littera . . . . . - 39
§. 28. Phe littera . . . . . - 41
§. 29. Zade littera . . . . . - 42
§. 30. Koph littera . . . . . - 43
§. 31. Resch littera . . . . . - 44
§. 32. Schin littera . . . . . - 46
§. 33. Tau littera . . . . . - 47
§. 34. Litterae fractae, finales cet. . - 48
§. 35. De Numidica scriptura separatim - 49
§. 36. De litteris connexis . . . - 52
§. 37. De notis siglisque . . . . - 53
§. 38. De verborum distinctione . - 54
§. 39. Num signa vocalia habuerint Phoenices . . . . . - 56
§. 40. De defectiva scribendi ratione apud Phoenices usitata . . . . - 56
§. 41. Quorsum currat scriptura Phoenicum . . . . . - 59

CAP. IV. *De scriptura Aramaea Aegyptiaca* §. 42. 43 . . . p. 59

CAP. V. *De variis litteraturae generibus ex Phoenicia ortis*

§. 44. Palaeographiae comparatae ratio et utilitas . . . . . - 62
§. 45. Litteraturarum ex Phoenicia ortarum stemma . . . . . - 63
§. 46. 47. 48. Prisca Graecorum scriptura . . . . . - 65
§. 49. De antiquissima Italiae scriptura - 70
§. 50. De antiquissima Persarum scriptura . . . . . - 74
§. 51. Scripturae Hebraeorum antiquior 78
§. 52. Scriptura Samaritanorum . . - 79
§. 53. Palmyrenorum litterae . . - 80
§. 54. Scriptura Sassanidarum et Zendica . . . . . - 83
§. 55. Scriptura Aethiopica . . . - 84

CAP. VI. *De signis numeralibus Phoenicum* §. 56—59 . . - 85

LIBER SECUNDUS. *Inscriptiones Phoenicias* illustrans . . - 90

CAP. I. *Inscriptiones Melitenses* . - 91
I. Inscriptio Melitensis prima bilinguis . . . . . - 92
II. Melitensis secunda . . . . . - 102
III. Melitensis tertia . . . . . - 107
IV. Melitensis quarta . . . . . - 109

CAP. II. *Inscriptiones Athenienses* - 111
V. Atheniensis prima . . . . . - 113
VI. Atheniensis secunda . . . . - 119
VII. Atheniensis tertia . . . . . - 120

CAP. III. *Inscriptiones Citienses* . - 122
VIII. Citiensis prima . . . . . - 125
IX. Citiensis secunda s. Oxoniensis - 126
X. Citiensis tertia . . . . . - 133
XI. Citiensis quarta . . . . . - 134
XII. Citiensis quinta . . . . . - 135
XIII. XIV. Citiensis sexta, septima - 137
XV. Citiensis octava . . . . . - 138
XVI. XVII. Citiensis nona, decima - 139
XVIII. Citiensis undecima . . . - 141
XIX. XX. Citiensis duodecima, tertia decima . . . . . - 142

Digitized by Google

XXI. XXII. Citiensis quarta decima quinta decima . . . . . p. 143
XXIII. Citiensis sexta decima . - 144
XXIV. XXV. Citiensis septima et octava decima . . . . . - 145
XXVI. XXVII. Cit. undevicesima, vicesima . . . . . - 146
XXVIII. XXIX. Cit. 21. 22 . . . - 147
XXX. Cit. 23 . . . . . - 148
XXXI. Cit. 24 . . . . . - 149
XXXII. XXXIII. XXXIV. Cit. 25. 26. 27 . . . . . - 150
XXXV—XXXVII. Cit. 28—30 . - 151
XXXVIII—XL. Cit. 31—33 . - 152
XL bis. Gemma Citiensis . . . - 153

CAP. IV. *Inscriptiones in Sardinia et Sicilia repertae.*

XLI. Inscriptio Sardica . . . . - 154
XLII. Inscriptio Erycina . . . - 158
XLIII. Vas Panormitanum . . . - 160
XLIV. Inscriptio Marsalensis . . - 161
XLV. Gemma Sardica . . . . . - 161

CAP. V. *Inscriptiones Carthaginenses* . . . . . - 161
XLVI—XLIX. Carthaginensis prima, secunda, tertia, quarta . - 162
L. Carthaginensis quinta . . . - 176
LI. Carthaginensis sexta . . . - 177
LII. LIII. Carthaginensis septima, octava . . . . . - 178
LIV. Carthaginensis nona . . . - 181
LV. Carthaginensis decima . . . - 182

CAP. VI. *Inscriptiones Punico-Numidicae* . . . . . - 183
LVII. Numidica prima . . . . - 196
LVIII. Numidica secunda . . . - 202
LIX. Numidica tertia . . . . - 204
LX. Numidica quarta . . . . - 206
LXI. Numidica quinta . . . . - 210
LXII. LXIII. Numidica sexta et septima, v. append. I . . . . . - 445
LXIV. Tripolitana prima bilinguis - 213
LXV. Tripolitana altera . . . . - 217
LXVI. Inscriptio Gerbitana . . - 219

CAP. VII. *Gemmae et sigilla in variis incertisque regionibus reperta.*

LXVII. Gemma Berolinensis inedita - 221
LXVII bis. Sigillum ineditum ex collectione Saltii . . . . . - 221
LXVII ter. Gemma Demidoffii . - 222
LXVIII. Gemma Hagana . . . p. 224
LXIX. Scarabaeus Lancii . . . - 224
LXX. Gemma Aegyptiaca Phoenicia - 224

CAP. VIII. *Monumenta Semitica in Aegypto reperta.*

LXXI. Monumentum Carpentoractense . . . . . - 226
LXXII. Monumentum Rogersii . - 232
LXXIII. Papyrus Turinensis . . - 233
LXXIV. LXXV. Papyri Blacassiani - 236

CAP. IX. *Pseudophoenicia et spuria* . . . . . - 245
LXXVI. Etrusca pro Phoeniciis habita . . . . . - 246
LXXVII. Persica pro Phoeniciis habita . . . . . - 247
LXXVIII. LXXIX. Cyrenaica et Atlantica inscriptiones spuriae . - 247
LXXX. Attica Fourmontii . . . - 260

LIBER TERTIUS. *De numis Phoeniciis.*

CAP. I. *Numi Phoenices propriae.*

I. Tyrus . . . . . - 261
II. Sidon . . . . . - 264
III. Acco s. Ptolemais . . . . - 269
IV. Laodicea . . . . . - 270
V. Marathus . . . . . - 271
VI. Aradus, Berytus, Carne . . - 274
CAP. II. *Numi Cilicii* . . . . - 275
VII. Tarsus . . . . . - 276
VIII. Incertae Ciliciae urbes . . - 284

CAP. III. *Numi Siciliae et adiacentium insularum* . . . . . - 287
IX. Panormus . . . . . - 288
X. Heraclea . . . . . - 292
XI. Syracusae . . . . . - 294
XII. Motye . . . . . - 297
XIII. Cossura . . . . . - 298
XIV. Gaulos . . . . . - 301

CAP. IV. *Numi Punici Hispanici.*

XV. Gades . . . . . - 304
XVI. Sexti . . . . . - 308
XVII. Abdera . . . . . - 310
XVIII. Belus s. Belon . . . . - 311
XIX. Malaca . . . . . - 312

CAP. V. *Numi Punici Africani* . - 313
XX. Iuba maior . . . . . - 314
XXI. Iuba minor . . . . . - 316
XXII. Achulla . . . . . - 318

Digitized by Google

XXIII. Vacca s. Vaga . . . . p. 319
XXIV. Sabratha . . . . . - 322
XXV. Siga . . . . . - 324
XXVI. Africae aliarumque regionum numi incerti . . . . . - 326

LIBER QUARTUS. *Linguam Phoeniciam* illustrans.

CAP. I. *Linguae indoles et historia.*

§. 1. Duplex eius cognoscendae fons - 329
§. 2. 3. Eius indoles et cum lingua hebraea necessitudo . . . . - 331
§. 4. Punica lingua quid differat a Phoenicia . . . . . - 337
§. 5. Quibus in regionibus et ad quod usque tempus viguerit linguae Phoeniciae usus . . . . . - 339
§. 6. Punicae linguae vestigia num in hodiernis quibusdam linguis supersint? . . . . . - 341
§. 7. Phoenicum Poenorumque scriptores deperditi . . . . . - 342
§. 8. Conspectus . . . . . - 345

CAP. II. *Phoeniciae linguae reliquiae ex inscriptionibus et numis.*

§. 9. . . . . - 346

CAP. III. *Phoeniciae linguae reliquiae apud scriptores Graecos et Romanos.*

A. *Punica apud Plautum.*

§. 10. Varia interpretum conamina - 357
§. 11. Scripturae varietas in libris manu scriptis . . . . . - 361
§. 12. Interpretatio decem versuum Punicorum Act. V, sc. 1, 1—10 - 366
§. 13. De versibus Liby-Phoeniciis - 373
§. 14. Sententiae Punicae Act. V, sc. 2 explicantur . . . . . - 375

B. *Vocabula Phoenicia, quae apud veteres scriptores reperiuntur.*

§. 15. De his scriptoribus eorumque auctoritate . . . . . - 382
§. 16. Vocum recensio et interpretatio . . . . . - 384

C. *Nomina propria hominum et deorum.*

§. 17. De nominum propriorum origine et varia corruptione . . . - 395
§. 18. Lexidion . . . . . - 399

D. *Nomina propria urbium et locorum explicata.*

§. 19. De fontibus et de etymi investigandi ratione . . . . . p. 415
§. 20. Lexidion . . . . . - 410

CAP. IV. *Grammatica Phoenicia et Punica.*

§. 21. . . . . - 430

A. *De litterarum pronunciatione et permutatione.*

§. 22. De litteris אהוחע . . . . - 430
§. 23. De liquidis, praecipue *l* et *r* - 431
§. 24. De sibilantibus . . . . - 432
§. 25. Labiales, palatinae, dentales - 432
§. 26. De geminatione consonantium - 433

B. *De vocalium ratione.*

§. 27. . . . . - 434
§. 28. De A vocali . . . . . - 434
§. 29. I (et E) vocalis . . . . - 435
§. 30. U (et O) vocalis . . . - 435
§. 31. Schwa mobile quomodo exprimatur . . . . . - 436

C. *Vocabulorum forma et declinatus.*

§. 32. Articulus . . . . . - 437
§. 33. Pronomina . . . . . - 437
§. 34. Verbum regulare . . . . - 438
§. 35. Verbum anomalum . . . - 439
§. 36. De nomine. Nota feminini generis . . . . . - 439
§. 37. Nominis formae . . . . - 440
§. 38. Nomina composita . . . - 442
§. 39. Pluralis numeri forma . . - 442
§. 40. Particulae . . . . . - 443

D. *Observationes syntacticae.*

§. 41—44. . . . . - 443

APPENDIX PRIMA. *De inscriptionibus Numidicis sexta et septima* - 445

APPENDIX ALTERA. *De inscriptionibus Readianis nuperrime ex Africa advectis (Carth. XI—XIII. Numid. VIII)* . . - 449

APPENDIX TERTIA *curas posteriores in inscriptionem Tuggensem (no. 56) continens* . . - 456

APPENDIX QUARTA *varii generis addenda continens* . . . - 461

INDEX PRIMUS vocabulorum Phoeniciorum tum appellativorum tum nominum propriorum, quae in monumentis et apud veteres scriptores reperiuntur . . . - 471

INDEX ALTER nominum et rerum memorabilium . . . . . - 482

Digitized by Google

LIBER PRIMUS

PALAEOGRAPHIAM PHOENICIAM CONTINENS.

CAPUT PRIMUM.

HISTORIA LITTERARIA ET BIBLIOGRAPHIA.

Cf. Gabriel Fabricy de phoeniciae litteraturae fontibus Romae 1803. 2 Voll. 8. A. Th. Hartmanni Tychsen II, b p. 505 sqq.

§. 1.

Linguae et scripturae phoeniciae reliquias duobus potissimum monumentorum generibus, *marmoribus* et *numis*, contineri constat: quorum quidem alterum iam diu est quum eruditis hominibus innotuit. Postquam enim inde a medio seculo XVI in Hispania maxime et Sicilia pecunia phoeniciis litteris inscripta effossa et in harum, mox etiam in aliarum regionum numophylacia delata est, hoc quoque monetae genus in operibus numismaticis depingi coepit. Depictae etiam epigraphae phoeniciae, sed saepe minus accurate, ut fieri solet in scriptura incognita. Praecipua eius temporis opera numismatica, in quibus numi phoeniciis litteris inscripti repraesentantur (pleraque enim eius generis opera in numis Romanis tractandis acquiescunt), haec sunt:

Huberti Goltzii (Belgae, mort. Brugae 1585) *historia Siciliae et magnae Graeciae ex numismatibus illustrata.* Brugis Flandrorum 1576. fol. (1581. 1618. 1644.) Vide eius Opp. de re numaria antiqua quinque Voll. comprehensa Antverpiae 1708. fol., sed de sublesta eius fide Eckhelii doctr. numm. vet. T. I. p. CXLI sqq.

Ant. Agostino (archiepiscopi Tarraconensis) *dialogos de las medallas, inscripciones y otras antiguedades.* Cum figg. Tarragonae 1587. 4. Madrid 1744. 4. ed. lat. Antw. 1617 fol. ital. Romae 1592.

Phil. Parutae (Panormitani, † 1629) *la Sicilia descritta con medaglie.* Palermo 1612 fol. Con aggiunta da Leon. Agostini. Palermo 1612. Roma 1649.

Eiusd. et Leon. Augustini *Sicilia numismatica ingenti numero tabularum locupletata, studio* Sigeb. Havercampi. Lugd. Bat. 1723. fol.

Bern. Aldrete (Canonici Cordovensis) *varias Antiguedades de España, Africa y otras provincias.* En Amberes 1614. 4 maj. Vide pag. 179. Idem liber etiam collectanea de *lingua* punica continet pag. 180—239. Lessingium huius operis interpretationem germ. molitum esse, intelligo ex eius vita (Berlin 1793) T. I p. 152.

Vinc. Ioann. de Lastanosa *Museo de las medallas desconocidas Españolas.* Huesca 1645. 4.

Digitized by Google

J. Foy-Vaillant (in numophylacio Parisino a se ex parte in Italia et Graecia coëmto, † 1706) *Seleucidarum imperium sive historia Regum Syriae ad fidem numismatum accommodata.* Lutetiae Paris. 1682. 4. Icones, quas dedit, ad numismata factae sunt in numophylaciis regio et ipsius auctoris conservata.

Laur. Begeri *Thesaurus Brandenburgicus.* Cum figg. Coloniae ad Spr. 1696—1701. 3 Voll. fol.

Nic. Franc. Haym (natione Romani, in Anglia degentis, † 1729) *Tesoro Britannico.* T. 1 ovvero il museo nummario. Lond. 1719. 1720. 4. Ed. lat. Vindob. 1768. Numos edit in Angliae Museis servatos.

C. S. Liebii *Gotha numaria.* Amst. 1730. fol.

I. I. Gesneri *numismata regum Syriae, Aegypti et Arsacidarum.* Cum figg. Tiguri s. a. (1738) fol. — Eiusd. *numismata regum Siciliae et minorum gentium.* C. figg. s. a. (1738) fol.

Honor. Arigoni *Numismata quaedam cuiuscunque formae et metalli.* Cum multis tabb. aeneis. Tarvis. 1741—1759. 4 Voll. fol.

Erasmi Froelich *Annales compendiarii regum et rerum Syriae numis veteribus illustrati.* Viennae 1744. fol.

Thom. Pembrocke (Comitis Angli) *numismata antiqua in tres partes divisa.* S. l. 1746. 2 Voll. 4.

* * *

Hadr. Relandi *Palaestina*, pag. 941.

§. 2.

Non defuerunt quidem iam seculo XVII viri docti, qui „alphabeta phoenicia“ vel „phoenico-samaritana“ contexerent, et ab horum figuris scripturae Graecorum et Romanorum adeoque omnium populorum origines ducerent, ut Scaliger (ad Euseb. Chron. p. 112 sqq.), Sam. Bochartus (Canaan I, 20), Walton (Prolegg. ad Biblia no. II), Ed. Bernardus (litteratura orbis eruditi ex charactere samaritico deducta 1689, ed. Car. Morton 1759. uno folio): sed tantum absunt hae litterarum tabulae, ut ex numismatis phoeniciis depromta horum epigraphis legendis adhiberi possint, ut ad haec prorsus non pertineant, et nil nisi litteras exhibeant vere samariticas ex codicibus biblicis desumtas, ad summum figuras in numis iudaicis Maccabaeorum, quos samariticos tunc vocare solebant, obvias *).

Prima autem litteras vere phoenicias legendi tirocinia posuerunt Jacobus Rhenferdus, qui in „periculo phoenicio s. litteraturae phoeniciae specimine“ Franequerae 1706. 4 edito (dein recuso in Opp. philol. Ultraj. 1722. 4.) numorum Hispanorum Concanae vel Sextis tributorum (v. nos lib. III, no. 16) epigraphen probabiliter explicabat, et Bern. Montefalconius, qui (Palaeogr. gr. p. 118 sqq.) numorum Sidoniorum epigraphen לצדן legendam esse primus omnium exputabat: ultra quos nemo progressus est, donec effossis et in lucem editis titulis Melitensi bilingui (1735) et Cypriis (1745) a Pocockio descriptis (v. ad inscr. 1. 8) eodem fere tempore Io. Swinton Oxoniensis et I. I.

*) Cf. Ez. Spanhem. de usu et praestantia numismatum. Lond. 1706. T. I. p. 80.

Digitized by Google

Barthelemyus Parisiensis in his legendis industriam posuerunt plane singularem, qua effectum, ut plerarumque litterarum potestate recte indagata totius palaeographiae phoeniciae certum quoddam fundamentum iaceretur: quanquam dolendum est, inter hos ipsos duumviros tum de primae inventionis laude tum de singulorum monumentorum interpretatione acerbius mox concertatum esse. Qua de controversia deque utriusque ingenio et in studia phoenicia meritis ita iudicandum videtur. Quanquam negari non potest, Swintonis primas de inscriptionibus Citieis et de cifris phoeniciis dissertationes prius quam ullum ea de re Barthelemyi libellum prodiisse (1750. 1753): Barthelemyus tamen statim in prima, quae est de Melitensi bilingui, diatribe (1758) Swintonis conatibus longe excellentiora praestitit, et tantum aberat Swinton, ut eum corrigere posset, ut saepe eius errores sequeretur*). Omnino enim Barthelemyus ingenii subtilitate et elegantia atque ingenito quodam pulchritudinis sensu, qui nihil facile admitteret, quam quod linguae et monumenti cuiusdam rationibus accommodatum esset, quum aliis multis tum Swintone longe superior erat, quibus virtutibus accedebat singularis iudicii sobrietas et modestia in his maxime studiis non satis commendanda: Swinton contra, quamvis confidenter ubique et non sine acerba adversarii reprehensione locutus, multa tamen admittebat a iudicii sinceritate, a linguae rationibus et a veri specie aliena: nihilominus et ipse de nonnullis palaeographiae locis illustrandis bene meritus, in monumentis edendis admodum diligens, in iisque legendis felicior, quam in interpretandis (v. §. 8 et ad Melit. 2). Fourmontii et Benedictinorum nugas artem palaeographicam elegantiorum hominum sannis exponentes nunc silentio praeterimus, infra (ad Melit. 1) earum specimina daturi.

Barthelemyi autem et Swintonis libelli hi sunt:

Jo. Jac. Barthélemy (academiae inscriptionum et litterarum humaniorum socii, † 1795): *Reflexions sur quelques monumens phéniciens et sur les alphabets, qui en resultent*, in Mémoires de l'acad. des inscriptions T. XXX. p. 405 (T. LIII. ed. in duod.), quae commentatio in academia Parisiensi d. 12 Apr. 1758 recitata agit de inscriptionibus Melit. 1, Cit. 2. 3. 4, vasis Panormitani, et numorum quorundam Sidoniorum et Panormitanorum. — Emendatiora de iisdem aliisque monumentis idem dedit in *Lettre à Mr. le Marquis d'Olivieri au sujet de quelques monumens Phéniciens* cet. Paris 1766. 4., cf. Journal des Savans, Decemb. 1763 p. 245 sqq. Vide infra ad inscr. Melit. 1. De inscriptione Carpentoractensi idem egit recentiori commentatione, de qua v. ad inscr. no. 71.

Joannis Swinton (Aedis Christi Oxoniensis socii, † 1784) *Inscriptiones Citieae* s. in binas inscriptiones phoenicias inter rudera Citii nuper repertas conjecturae. Accedit de nummis quibusdam Samaritanis et Phoeniciis ... dissertatio. Oxonii, e theatro Sheldoniano 1750. 4. — *Inscriptiones Citieae s. in binas alias inscrr. phoen. conjecturae.* Oxon. 1753. 4. (v. infra ad inscr. Cit.). — *A dissertation upon the Phoenician numeral characters antiently used at Sidon*, in Philos. Transactions Vol. 50. p. 791 sqq. — *An attempt to explain a punic inscription lately discovered in the Island of Malta* ibid. Vol. 53, p. 274 sqq. (est Melit. 2, ubi vide). — *Some remarks upon*

*) v. Bayer ad Sallust., Palaeogr. Studien p. 19.

Digitized by Google

the first part of M. l'abbè Barthélemy's Memoir on the phoenician Letters, relative to a phoenician inscription in the Island of Malta, LIV. p. 119 sqq. *Farther Remarks upon M. l'abbè Barthélemy's Memoir* etc. ibid. 393 — 438. (vide infra ad Melit. 1, Cit. 2). Aliae minoris momenti diatribae leguntur ibid. Vol. 58 p. 235 sqq. 261 sqq. 265 sqq. Vol. 61, p. 78 sqq. 91 sqq. — De Palmyrenis Swintonis studiis v. infra §. 53. Praeterea eiusdem in nummos parthicos et hetruscos curae et coniecturae exstant in Philos. Transact. Vol. 49 — 61.

§. 3.

In via hunc in modum monstrata strenue perrectum est a Lud. Dutensio et Francisco Perez Bayero, quorum prior primum palaeographiae phoeniciae specimen ex numismatis contexuit, posterior, numorum etiam Hasmonaeorum eximius interpres, praeter alia docte disputata inscriptionem Melitensem post Barthelemyi et Swintonis curas ad liquidum fere perduxit. Utriusque studia egregie adiuta sunt operibus numismaticis Pellerinii, largam numismatum phoeniciorum quasi messem continentibus: quanquam hic ipse in interpretando, ut virum decebat linguarum orientalium minus peritum, cautus esse solebat et modestus.

Lud. Dutens (Francogalli, legationi Anglicae Turinensi adscripti): *Explication de quelques médailles de peuples, de villes et de rois, grecques et phéniciennes.* À Londres 1773. 4. *Explication de quelques médailles Phéniciennes du Cabinet de Mr. Duane.* Londres 1774. 4. Utraque dissertatio auctior prodiit hac inscriptione: *Explication de quelques médailles grecques et Phéniciennes, avec une paléographie Numismatique.* Seconde edition. Londres 1776. 4.

Franc. Perez Bayer (Prof. ling. hebr. in academia Valentiae in Hispania, dein praeceptor principum iuventutis, denique praefectus bibliothecae Regiae Madridensis, † 1794) *del alfabeto y lengua de los Fenices y de sus Colonias.* En Madrid 1772 fol., quae commentatio sine auctoris nomine adiecta est interpretationi hispanicae Sallustii ab auctoris discipulo, Gabriele de Borbon, editae hac epigraphe: *La coniuracion de Catilina y la guerra de Iugurta por C. Sallustio.* (Agitur de variis nummorum generibus et de Melit. 1.) Ab Hollmanno germanice translatam et notis illustratam edidi in libro: *Paläographische Studien über phönix. und punische Schrift.* No. 1. Lipsiae 1835. 4. — Plura ad palaeographiam phoeniciam pertinentia B. dedit etiam in libris de numis hebraeo-samarit., de quibus v. infra §. 51.

Jos. Pellerin (rei navalis praefecti Parisiensis, † 1782, qui non minore sumtu quam studio 33000 numorum antiquorum collectionem congessit, quae post eius mortem 300000 francorum pretio numophylacio Regio vendita est): *Recueil de Médailles des Rois, qui n'ont point encore été publiées, ou qui sont peu connues.* Paris 1762. 4. *Recueil de Médailles de peuples et de villes cet.* T. I — III. Paris 1763. 4. *Mélange de diverses médailles, pour servir de supplément au Recueil des Médailles de peuples et de villes.* T. I. II. Paris 1765. 4. (Quatre) *Supplémens aux six Volumes de Recueils des Médailles de rois, de peuples et de villes.* Paris 1766. 67. 4. *Addition aux neuf Volumes de recueils etc.* À la Haye 1778. 4.

Post eos autem et usque ad Koppii nostri librum (1821) perpauci in hoc studiorum genere ingenium exercuerunt: in his O. G. Tychsenius, vir universae palaeographiae

Digitized by Google

semiticae perperitus, Akerbladius, reliquis omnibus ingenii doctrinaeque elegantia iudiciique acumine facile praestans, et Amadeus Peyron, vir illustris, de aegyptiacis etiam litteris longe meritissimus. Quae usque ad annum 1815 in inscriptionibus et in nummis probabiliter indagata erant vocabula phoenicia, ea nos ipsi olim in conspectu posuimus.

O. G. Tychsenii (Professoris primum Butzoviensis dein Rostochiensis, † 1815) una tantum dissertatio prodiit 1815 (licet iam 1802 scripta): *De linguae phoeniciae et hebraicae mutua aequalitate*, in Nov. Act. Societ. Upsal. Vol. VII. p. 87—103, in qua tractantur locus Plautinus, inscr. Carpentor., Cit. 2, Melit. 1, tres Castelli de Turre Mucia, Athen. 1 et numismata nonnulla. Alia plura idem manu scripta reliquit de quibus retulit A. Th. Hartmannus (vit. Tychsen. II, 2. p. 594), sed „typorum hebraeorum penuria" ita, ut Tychsenii interpretationes non facile perspicias. Nimis fere ea praedicat, quem modo dixi, eius laudator, cupidius et saepe iniquius vituperat Koppius.

Jo. Dav. Akerbladi (Sueci, legationi Suecicae primum Constantinopolitanae, dein Parisiensi adscripti, de enucleanda etiam scriptura Aegyptiorum enchoria meritissimi, † Romae 1819): *Inscriptionis Phoeniciae Oxoniensis nova interpretatio.* Parisiis anno X [1802]. 8. — Inscriptionem Athen. 1. idem edidit et explicavit in Comment. Gotting. Vol. XIV. (1800) p. 225—228, Athen. 2. in *Lettre à Italinski*, in Millin Annal. encyclopédiques II, p. 193 sqq. (Vide ad inscr. IV. V. IX).

William Drummond (v. ad inscr. Melit. 1. 2).

Jo. Jac. Bellermann (Gymnasii Berol. Colon. director nunc emeritus): *De Phoenicum et Poenorum inscriptionibus* cum duarum (Cit. 2. et aureae laminae Panormitanae, quam ego phoeniciam non puto) explicationis periculo. Berolini 1810. 23 pagg. 8. Continet notitiam litterariam de inscriptt. Citieis et 10 aliis. — *Bemerkungen über die phönizischen und punischen Münzen.* Vier Stücke 1812—1816. 8. Quattuor gymnasii Berolinensis programmata, in quibus LXX nummi ex ectypis Mionnetianis accurate describuntur addito interpretandi periculo. De B. in locum Plautinum curis v. infra lib. IV.

J. Leonh. Hug (v. ad inscr. Cit. 2).

Guil. Gesenius: *über die phönizische und punische Sprache*, in Geschichte der hebr. Sprache und Schrift (Lips. 1815) pag. 222 sqq. Anglice haec translata in Classical Journal T. XXVI. p. 123 sqq.

Amadeus Peyron (v. ad lib. III, no. 7).

Nova monumenta marmoribus inscripta hoc tempore perpauca in lucem protracta sunt, a Castello de Torremuzza, B. de Rossi et Akerbladio; magna autem edita est librorum numismaticorum vis, in quorum plerisque epigraphae punicae nunc etiam accuratius delineatae habentur. Qui omnibus omnium aetatum numismatologis palmam praeripuit, Josephus Eckhelius, studii quidem phoenicii censor iniquus dicendus est, quippe qui verissime quoque et certissime lecta passim fastidiose tractaret; sed facile excusandus erat elegantissimi iudicii vir in tantam ubique Palaeographorum phoeniciorum discordiam et, ut libere dicam, in tot ineptias incidens.

Novas igitur inscriptiones ediderunt:

Gabr. Lancillotto Castellus princeps de Torremuzza, in opere anonymo: *Siciliae et insularum adjacentium veterum inscriptionum collectio, cum auctario num-*

Digitized by Google

morum populorum urbium et regum Siciliae. Panormi 1769. Ed. 2. mutata epigraphe: ..... nova collectio, prolegomenis et notis illustrata. Panormi 1784. fol.

Bern. de Rossi (v. ad inscr. Sard. no. 41).

J. D. Akerblad, v. supra.

Operum autem numismaticorum, in quibus numismata phoenicia vel edita vel descripta exstant, auctores ad litterarum ordinem digerere placet:

Joseph Eckhel (Musei Caesarei Vindob. praefecti, † 1798): *Doctrina numorum veterum.* Vindob. 1792 — 1798. 8 Voll. 4. Cf. prae caeteris T. III. p. 396 sqq. Eiusd. *Catalogus Musei Caesareo - Vindobonensis numorum veterum.* Cum 8 tabb. Vindob. 1779. 2 Voll. fol. — *Numi veteres anecdoti.* Viennae 1775. 1776. 2 Voll. 4. — *Numorum veterum anecdotorum thesauri Caesarei Sylloge I.* Viennae 1786.

Henriquez Florez *Medallas de las colonias, municipios y pueblos antiguos de España.* Madrid 1757 — 73. 3 Voll. 4. (Liber rarus, qui magno pretio venditur).

T. E. Mionnet (numophylacii Parisini custodis adiuncti, academiae inscr. socii) *description de médailles antiques grecques et romaines*, avec leur degré de rareté et leur estimation; ouvrage servant de catalogue à une suite de plus de 20000 empreintes en soufre prises sur les pièces originales. T. I — VI. Paris 1806 — 1813. Recueil des planches 1808. Supplément. T. I—VI. 1819 — 1833. Altera editio prodiit ao. 1822 sqq. — Numorum phoeniciorum epigraphae magno numero reperiuntur in Recueil des planches tab. 18 — 25. 29. 30 Suppl. I. tab. 5. 7 laudabili studio depictae, quamvis, ut facile apparet, ab artificibus scripturae phoeniciae ignaris, unde factum, ut nonnullae adeo inverso ordine compareant et summa ima sint (v. tab. 19, no. 5. 6). Praeterea valde dolendum, diversas eiusdem numi epigraphas, quae subinde, velut in Marathensibus, in eodem latere tres sunt, ab editore non distinctas, sed plerumque una serie positas esse, ut nescias, quorsum singulae litterae pertineant. Vide quae observavimus in huius operis censura Ephem. lit. Hal. 1825. no. 63. 64 et supra in praefatione.

Franc. Neumanni (Eckhelii collegae) *populorum et regum numi veteres inediti collecti et illustrati.* Vindob. 1779. 84. 2 Voll. 4.

Jac. Phil. d'Orville *Sicula*, quibus Siciliae veteris rudera additis antiquitatum tabulis illustrantur, edidit et commentarium ad numismata Sicula XX tabulis incisa adiecit Petrus Burmannus secundus. Amstelaed. 1764. fol.

Ch. Rami *Catalogus numorum veterum graecorum et latinorum musei regis Daniae.* Hauniae 1816. 2 Voll. 4.

J. Casp. Rasche (verbi divini ministri in ducatu Meiningensi): *Lexicon universae rei numariae* veterum et praecipue Graecorum et Romanorum. Lipsiae 1785—1805. 8. Septem partes quattuordecim voluminibus comprehensae. Vide Vol. III. P. II. p. 1237 sqq.

Dom. Sestini (numophylacii Florentini praefecti, itineribus etiam in Graeciam et Orientem susceptis clarissimi): *Classes generales geographiae numismaticae.* Lips. 1797. 4. ed. 2. Florentiae 1821. 4. — Eiusd. *Descrizione delle medaglie Ispane appartenenti alla Lusitania alla Betica ed alla Tarragonese*, che si conservano nel Museo Hedervariano. Fior. 1818. 4.

Digitized by Google

Castelli di Torremuzza (v. supra) *Siciliae populorum, urbium, regum et tyrannorum veteres numi.* Cum 107 tabb. Panormi 1781. fol. Auctarium I. II. 1789. 1791.

Luis Joseph Velasquez *Ensayo sobre las letras que se encuentran en antiguas medallas y monumentos de España.* Madrid 1752. 4.

Michael a Wiczay: *Musei Hedervariani in Hungaria numos antiquos descripsit, anecdotos et parum cognitos incidi curavit* M. a W. Vindob. 1814. 2 Voll. 4.

§. 4.

Altero saeculi nostri decennio ad finem vergente ad phoeniciam quoque palaeographiam animum applicare coepit Udalricus Fridericus Koppius, universae palaeographiae in paucis peritus, hebraice vix mediocriter doctus, cuius de scriptura Phoenicum lucubrationes quamvis exiguae novam fere in hoc studiorum genere epocham constituunt. Etiam atque etiam is veterum monumentorum interpretibus inculcabat, ante omnia recte legenda esse, quae explicare velis: singulas litteras a similibus probe discernendas: varias scripturae classes distinguendas: omnesque alacris ingenii nervos non sine fructu intendit, ut Philologorum animos in artem palaeographicam a plerisque mirum quantum neglectam converteret. At palaeographiae, quas constituerat, leges mordicus tenens saepe in linguae canones iniquus fuit graviterque peccavit, et, licet alieni erroris (saepe etiam opinati) cupidissimus censor et interdum morosus, non raro tamen ipse in interpretationibus suis enormitates admisit, quae et linguae et monumentorum rationibus plane adversarentur.

Udalr. Frid. Kopp (Hasso-Cassellanus, primum Electori ab epistolis sanctioribus, dein in otio litterario vivens Mannhemii, † 1834): *Bilder und Schriften der Vorzeit.* T. I. (Mannheim 1819. 8.) No. IV. *Phönizische Inschriften* pag. 194—272 (continet observationes in Melit. 1. 2. Athen. 1. et 13 Citt.). T. II. (Mannheim 1821) No. IV: *Entwickelung der semitischen Schriften*, cuius tractatus sectio prima p. 178—220 agit de *scriptura phoenicia*, et varios nummos tractat. — *Bemerkungen über einige punische Steinschriften aus Karthago*, v. ad no. 47.

Quod Koppius accenderat acrius palaeographiae studium mox nova largaque materia nutritum est maxime ex Africae oris advecta. Quod enim ab omnibus, qui his litteris bene cuperent, diu desideratum erat, ut plura eaque maiora linguae phoeniciae et punicae monumenta ex terrae gremio emergerent et in lucem publicam ederentur, id praeter exspectationem evenit. Tum in ipsis veteris Carthaginis parietinis, tum in vicinia urbium Bedsch (باج, Vaccae veterum) et Keff (قاف, Siccae veterum) atque in oris Tripolitanis a Badia (vulgo Ali Bey), Camillo Borgia comite, Humberto, Tulinio, Falbio, Scheelio, Templio haud pauca marmora litteris partim punicis, partim numidicis inscripta effossa sunt, in Londini, Lugduni et Hauniae Musea delata, et vel ab ipsis inventoribus, vel a Muentero et Hamakero edita. Accesserunt duo nova Melitensia, unum Sardicum, papyrorum adeo phoenicio-aegyptiorum fragmenta detecta. Sed non eadem, quae inventionis, etiam interpretationis felicitas fuit. Nonnisi quae veris

Digitized by Google

et legitimis litteris punicis scripta erant monumenta, tum a primis statim editoribus, ut MUENTERO, LINDBERGIO, tum ab aliis, ut QUATREMERIO, probabiliter lecta sunt et explanata: contra quae numidicis litteris scripta, vel plane non lecta sunt vel ita lecta et explicata, ut ab Hamakero factum dolemus, qui, qua erat eruditionis copia et varietate, meliora daturus fuisset, si recte legere i. e. scripturae rationes indagare prius, quam interpretari, voluisset. Itaque factum est, ut nuper demum nobis ipsis huius litteraturae rationes expedire nescio quam peropportune contigerit. Singulos autem monumentorum phoeniciorum editores et interpretes, de quorum conatibus quid iudicaremus, ubique suis locis indicavimus, litterarum ordine disponere visum est:

LUD. ANGER (Prof. Lipsiensis), v. ad inscr. 3.

GIANNANTONIO ARRI (Turinensis bibliothecae subpraefectus), v. ad inscr. 41.

BADIA (vulgo Ali Bey), v. ad inscr. 64.

ED. FRID. FERD. BEER (Lusatus Mag. Lipsiensis), v. ad inscr. 71 (Carpentr.)

CAMILLUS BORGIA (v. ad inscr. 56). Eius schedae in Museo Lugdunensi asservantur ab eius pracfectis olim publicis sumptibus edendae.

C. T. FALBE (nauarchus et Daniae Consul apud Tunetanos, dein Athenienses): *Recherches sur l'emplacement de Carthage, suivies de renseignemens sur plusieurs inscriptions puniques inédites avec le plan topographique du terrain et des ruines de la ville dans leur état actuel et cinq autres planches.* Paris 1833. 8. Continet editiones principes trium inscriptt. africanarum [no. 50. 54. 57], cum annotationibus ex schedis Lindbergii, pluresque nummos ineditos. Etiam inscr. no. 53 a Müntero edita a Falbio ei suppeditata erat.

GUIL. GESENIUS: *de inscriptione phoenicio-graeca in Cyrenaica nuper reperta.* Lips. 1825 (v. ad no. 78). — Duarum inscriptionum phoenicio-graecarum Athenis repertarum interpretatio, in BOECKHII *Corp. inscr. gr.* T. I. p. 523. 527. Berol. 1828 (v. ad inscr. 5. 6). — *Paläographische Studien über phönizische und punische Schrift. Mit 6 lithographirten Tafeln.* Lips. 1835. 4. No. 2. *Ueber die punisch-numidische Schrift und die damit geschriebenen grösstentheils noch unerklärten Inschriften und Münzlegenden,* qua in commentatione scripturae numidico-punicae ratio eousque incognita methodo heuristica monstratur et inscriptt. 2 (no. 57. 58) numique numidici illustrantur. Plura vide infra §. 35. — Adde librorum palaeographicorum censuras in *Allgem. Litt. Zeit.* 1825 no. 63 sqq. 1826, no. 110. 111. 1835, no. 134—7. *Jen. A. L. Z.* 1820, no. 139.

HENR. ARENTIUS HAMAKER (lingg. orient. Prof. Lugdunensis, † 1835): *diatribe de aliquot monum. Punicis etc.* Lugd. Bat. 1822. 4. (v. ad inscr. 46). — *Lettre à Mr. Raoul-Rochette sur une inscription en caractères phéniciens et grecs.* Leyde 1824. 4. (cf. ad no. 78). — Eiusd. *Miscellanea phoenicia s. Commentarii de rebus Phoenicum, quibus inscriptiones multae lapidum ac nummorum, nominaque propria hominum et locorum explicantur, item punicae gentis lingua et religiones passim illustrantur.* Accedunt quinque tabulae lithograptae. Lugd. Bat. 1828. 4. Sex inscriptiones (no. 3. 4. 59. 60. 65. 73) cum nonnullis minoribus in hoc opere primum eduntur: quae tamen utpote male lectae recte explicari non poterant. Magis laudanda, quae in hoc libro de inscr. Citieis, de nominum propriorum origine, et quae ad historiam pertinentia disputantur.

Digitized by Google

J. E. Humbert (Batavus, in imperio Tunetensi quattuordecim annos 1806—1820 commoratus, antiquitatum punicarum strenuus investigator, quo proxeneta plurima huius generis monumenta in Museum Lugdunense delata sunt): *Notice sur quatre cippes sepulcraux* cet. La Haye 1821. fol. max. v. ad no. 46.

Michelangelo Lanci (interpres linguarum orientalium in bibliotheca Vaticana): *Osservazioni sul bassorilievo . . . di Carpentrasso.* Roma 1826. 4. (v. ad inscr. 71). — *Lettera sopra uno scarabeo fenico-egizio e più monumenti egiziani.* Napoli 1826. 4. (v. ad inscr. 69). — *La sacra scrittura illustrata con monumenti fenico-assiri ed egiziani.* Roma 1827. fol. in quo fragmenta Blacassiana edita sunt (v. ad inscr. 74. 75). — Scripsit idem de scriptura Arabum himjaritica (§. 55).

Jac. Chr. Lindberg (scholae Metropolitanae Havniensis Adjunctus): *de numis Punicis Sextorum olim Canacae et Concanae tributis.* Havniae 1824. 8. cf. lib. III, no. XVI. *De inscriptione Melitensi phoenicio-graeca commentatio.* Havniae 1828. 8. Plus praestat hic liber, quam in fronte promittit. Continet enim in notis accuratas plerorumque numorum φοινικικῶς inscriptorum, ex parte adeo ineditorum et in Museis Havniensibus asservatorum, descriptiones secundum classes suas digestas et perutiles. — Adde quae L. in Falbii libro scripsit (v. ad inscr. 50. 54). Idem in aliis commentationibus etiam de Arabum Palaeographia meruit.

Alb. della Marmora (tribunus militum Sardiniae Regis, diligentissimus antiquitatis punicae scrutator, v. ad inscr. 3. 41. 67): *Saggio sopra alcune monete delle isole Baleari* (v. ad lib. III, no. XIII).

Frid. Muenter (Seelandiae episcopus, † 1833), v. ad inscr. 53.

Steph. Quatremère (instituti Franciae socius): *Mémoire sur quelques inscriptions Puniques*, v. ad inscr. 46. 47. 48.

Sir Grenville Temple: *Letter to Lieut. Colon. B. Forbes relative to a phenician tombstone*, in Transactions of the Royal Asiatic Society Vol. III. P. III. (v. inscr. 57). — *Excursions in the Mediterranean.* London 1835. 2 Voll. 8. Vide inscriptt. no. 56. 66.

Ludovicvs Wihl (Monachensis). Eius exstat *de gravissimis aliquot Phoenicum inscriptionibus commentatio*, cui accedit oratio germanice scripta . . . . explicatione phoeniciae inscriptionis praemissa. Monachii 1831. 8. Quaecunque in hoc libello tractantur monumenta, ex Koppii libro repetita sunt: de una, quae recens editur, gemma v. ad inscr. 67 c.

CAPUT SECUNDUM.

QUIBUS IN REGIONIBUS ET QUO TEMPORIS SPATIO PHOENICIIS LITTERIS USI SINT.

§. 5.

Veteris orbis regionum, in quibus phoeniciae litterae viguerint, atque aetatis, ad quam harum litterarum usus perduraverit, conspectum daturis illud nobis praemittendum

Digitized by Google

est, *scripturam* phoeniciam in universum iisdem in locis et eodem temporis spatio in usu fuisse, atque *linguam* phoeniciam: siquidem et phoenicia lingua nunquam aliis quam his characteribus scripta est (nisi forte ad Judaeos provocabis, qui vergente certe aetate eandem linguam charactere quodam aramaeo, quem quadratum vulgo vocamus, scribere coeperunt), et contra phoeniciae litterae, certe puraę illae et legitimae, nunquam alii quam huic linguae exprimendae adhibitae sunt *). Quanquam igitur de Phoenicum lingua et sermone quarto demum libro disputaturi sumus, non possumus non hoc iam loco nonnulla occupare, quae ad linguae quoque in variis Phoeniciae coloniis usum pertineant.

Ut autem monumentorum litteratorum hodie superstitum aetatem paucis verbis definiamus, illud nunc quidem occupare liceat, antiquissimum monumentum phoeniciis litteris inscriptum nobis videri numisma cilico-phoenicium ad victoriam Persarum navalem ad Cnidum Ol. 96, 3 i. e. 394 a. Chr. pertinens (v. lib. 3, no. VIII, 6), facile recentissimum esse inscriptionem arcus triumphalis Tripolitani imperante Septimio Severo A. U. 956 (p. Chr. 203) conditi (v. lib. II, inscr. 64). Sed ad singula iam deproperandum.

§. 6.

1. Ut ab ipsa *Phoenice* ordiamur, antiquissimos linguae phoeniciae testes habemus in nominibus propriis locorum hominumque Cananaeorum in V. T. (צֹר, צִידֹן, חִירָם v. lib. IV, cap. 2). Contra monumenta litteris phoeniciis inscripta ex hac litterarum istarum patria neque multa supersunt neque valde antiqua: lapidum inscriptiones nullae, numi autem tum regii Seleucidarum, quorum antiquissimi sunt bilingues imperante Antiocho IV cusi, tum autonomi urbium, quorum recentissimi iique aera instructi, si modo recte supputavi, a. post Chr. 173 signati sunt. Ad hoc igitur tempus aliquis certe litterarum phoeniciarum usus in illis regionibus perduravit. (Vide lib. III, cap. 1).

2. In Asia praeter Phoenicen proprie dictam una *Cilicia* monumenta nobis offert φοινικικῶς inscripta. Nota sunt, quae de linguae Semiticae i. e. phoeniciae et syrae in Asia minori usque ad Halyn patente usu disputarint Bochartus **) et Heerenius ***), quaeque alii ex Choerili versibus de Solymis, Lyciae et Pisidiae incolis, phoenicie loquentibus colligere voluerint †). Nobis autem quum aliis de causis tum ex numis-

*) Alia ratio erat litterarum hebraearum et samaritanarum, quae a Judaeis et Samaritanis non solum in hebraeis et samaritanis, sed etiam in arabicis scribendis adhibebantur.

**) Canaan p. 535.

***) De linguis imperii Persici, in Comment. Soc. Gott. T. VIII. Cl. hist. et philol. p. 23 sqq.

†) Leguntur hi apud Josephum c. Apion. I, 22 et huiusmodi sunt:

Τῷ δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι,
Γλῶσσαν μὲν φοινίσσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες·
Ὦκεῖαι δ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι πλατείῃ ἐνὶ λιμνῇ κ.τ.λ.

Josephus quidem ipse universum Choerili locum minus recte accipiens Judaeos Hierosolymitanos intelligi putat, virique docti huic sententiae subscribentes his versibus usi sunt ad phoeniciam linguae hebraeae originem probandam (v. quos laudat Havercampius ad l. c., adde Naekii Choerilum p. 130): sed Solymos Pisidiae intelligendos

Digitized by Google

matum fide iste Semiticae linguae usus ad solam Ciliciam referendus videtur. Quae enim supersunt cappadocicae linguae (v. Strabo XII init.) vestigia, vel persicae vel ignotae originis sunt *), et in numis Sidae atque Celenderis, Pamphyliae et Ciliciae occidentalis urbium, characteres apparent, phoeniciis quidem similes, sed non vere tales, veteribus persicis (v. §. 50) potius comparandi, quos recte interpretari hucusque nemini contigit (v. lib. III, cap. 2 fin.). Ipsa autem Ciliciae monumenta i. e. numismata phoeniciis litteris inscripta (v. lib. III, cap. 2) propter rationes infra exponendas ad Persicam aetatem pertinere videntur omnia, ideoque horum monumentorum antiquissima sunt, quod ipsum litterarum ductus arguunt (v. ad Sain §. 18), quanquam nonnulli ad aramaeae scripturae rationem deflectunt. Quod vero nomina propria urbium domestica in his nummis obvia, ut עבעל, בעלמלך, plane evanuerunt, huius rei causa in eo quaerenda videtur, quod phoeniciae linguae usus in hac regione paullo post Alexandri Magni tempora abolitus est graecaeque cessit, quo factum est, ut etiam antiqua nomina domestica in desuetudinem et oblivionem abirent.

3. Asiae proxima *Cyprus*, cuius multas urbes, ut Citium, a Phoenicibus conditas esse iisque paruisse constat (v. lib. II, cap. 3). Quo temporis spatio exaratae sint inscriptiones illae XXXIII ex ruinis Citii erutae, de quibus infra disputabitur (lib. II, cap. 3), accurate indicari non potest. Notabile tamen, nullam in tanto numero repertam esse bilinguem, nullam etiam graecam inscriptionem in eodem loco effossam memorari: unde recte colligas, eo, quo haec monumenta exarata sunt, tempore apud Citienses solius Phoeniciae linguae usum viguisse, id quod longiore post Alexandrum tempore vix factum credas. Caeterum etiam numismata Cypri graece inscripta rarissima sunt et magnam partem suspecta **).

4. Quod etiam *Athenis* inventa sunt tria marmora phoeniciis litteris inscripta, eaque omnia bilinguia (v. lib. II, cap. 2), nihil aliud probat, quam mercatores ibi habitasse phoenicios, qui praeter vulgarem linguae graecae usum etiam patriae linguae consuetudinem servarent. Elegantia monumentorum et eorum, qui ponerent, divitias et satis florentem urbis aetatem arguit: attamen etiam Boeckhius ***), Demosthenis ea aetate non superiora esse pronunciat.

In insula *Melite*, primum a Phoenicibus, dein et iam primi belli punici tempore, a Poenis habitata (v. lib. II, cap. 1) praeter alios turpiter habitos quattuor tituli phoenicii reperti sunt, inter quos unus elegantissimus bilinguis, phoenicius et graecus, a Dionysio et Serapione fratribus, natione Tyriis, positus, quem Alexandri Magni aetate inferiorem et tertii fere ante Chr. natum seculi esse plerique consentiunt. De numis Melitensibus φοινικικῶς inscriptis valde incerta res est (lib. III, no. XIV), quum ad Gaulon probabilius pertineant haec numismata; sed *Cossurae* satis certa exstat pecunia variae aetatis, etiam bilinguis, quae usque ad Tiberii aetatem descendit.

---

esse recte viderunt *Scaliger* ad fragm. vett. p. 12. *Bochartus* in Canaan 1, 6. *Cunaeus* de republ. Hebr. 2, 8.

*) Jablonskii Opusc. ed. te Water III, p. 126 sqq.

**) Vide Eckhel D. N. III, 83 sqq.

***) Corpus inscr. I, p. 528. 527.

Digitized by Google

Ex *Siciliae* regionibus maritimis, in quibus Poeni Panormum, Motyen, Soloenta aliasque urbes condiderunt opulentissimas (Thucyd. 6, 2), tum inscriptiones supersunt, sed male habitae (v. lib. II, c. 4), ut Erycina, tum moneta eaque nitidissima insigni artis elegantia facta (lib. III, c. 3) urbium Panormi, Motyes, Heracleae, adeoque Syracusarum; in prioribus illis urbibus a Carthaginensibus rerum dominis, Syracusis autem, ut videtur, in usum commercii cum Poenis signata.

6. Longe amplissima linguae et scripturae Phoeniciae seu, ut his in locis Romani appellabant, Punicae sedes et domicilium erat *Africa*, neque sola Africa propria seu Carthaginensium ager, sed universa Africae ora a Tripoli et Lepti usque ad columnas Herculeas et Tingin patens, quam coloniis Phoenicum frequentatam et quasi obsitam fuisse*), certis temporibus etiam Carthaginensibus paruisse constat**). Qua quidem in vastissima regione duo linguae et scripturae genera vigebant***), unum *Punicum*, alterum *Libycum*, quorum insigne specimen bilingue duplici charactere domestico exaratum habemus in inscriptione Tuggensi (lib. II, no. 56), aliud latinis litteris scriptum in nobilissima scena Plautina (Poenul. V, 1) cuius decem priores versus recte observante Bocharto punici, reliqui libyci sunt (v. lib. IV, cap. 4). Ac Libycae quidem linguae ratio in universum valde obscura est (vide ad inscr. 56): nec satis probabilis eorum opinio qui in hodierna Berberorum lingua vestigia eius superesse volunt†). Punicam autem ex Asia advectam in universa Africae ora eandem Poenis et Numidis communem fuisse, neque (quod nonnullis re nondum investigata probabile visum) Poenorum linguam a Numidica discrepasse, et veterum testimonia docent††), et nominum propriorum origine†††), nostraque monumentorum numidicorum illustratione (v. lib. II, no. 56—65. lib. III, no. 20—26) abunde confirmatur.

Quae ad hunc usque diem innotuerunt monumenta eius regionis litterata eaque litteris domesticis inscripta, tum in ipso antiquae Carthaginis solo effossa sunt (v. inscriptt. 46—55), tum ad Tuggam, Vaccam, Tripolin, et in insula Gerba s. Meninge

*) De Phoenicum in Africa coloniis v. prae caeteris Sallust. Jug. 18 sqq. et quae congessit Bochartus in Canaan I, cap. 24. Singillatim de Lepti v. Sallust. Jug. c. 78: *id oppidum ab Sidoniis conditum est, quos accepimus profugos ob discordias civiles navibus in eos locos venisse. . . . Eius civitatis lingua modo conversa connubio Numidarum* (i. e. Libyum): *legum cultusque pleraque Sidonia:* de Sabratha Sil. Ital. 3, 256 (v. nos lib. III, no. 24), de Capsa ab Hercule Libye i. e. a Phoenicibus condita Sallust. Jug. 1, 89, de Utica Sil. Ital. 3, 241:

Proxima Sidoniis Utica est effusa maniplis,
Prisca situ, veterisque ante arces condita Byrsae.

Justin. 18, 5. Steph. Byz. v. Ἰτύκη· de Hippone (יפו) et Hadrumeto (חצרמות) Sallust. Jug. 19, de Auza Jos. c. Apion. 1, 18, de Tingi Plut. Sert. 9.

**) Polyb. 3, 39 de belli secundi Punici tempore: *Καρχηδόνιοι γὰρ ἐν τούτοις τοῖς καιροῖς τῆς μὲν Λιβύης ἐκυρίευον πάντων τῶν ἐπὶ τὴν ἔσω θάλατταν νευόντων μερῶν, ἀπὸ τῶν Φιλαίνου βωμῶν, οἳ κεῖνται κατὰ τὴν μεγάλην Σύρτιν, ἕως ἐφ' Ἡρακλείους στήλας.*

***) Unde est, quod Poeni *bilingues* vocantur, *Migdilybes* et *bisulcilinguae*. Virg. Aen. 1, 665. Sil. 2, 16. Plaut. Poen. 5, 2, 73.

†) Hamakeri Miscell. p. 217.

††) Hiempsalem, Numidiae regem, *punico* sermone de originibus Africae scripsisse tradit Sallust. Jug. 18, et Statius poëta (silv. IV, 4, 45) miratur, Septimium Severum Lepti genitum, Punici sermonis et habitus nil quicquam habere. Vide plura §. 35.

†††) v. lib. IV, cap. 5. 6.

Digitized by Google

reperta (v. inscriptt. 56—66): tum denique numi sunt te[illegible]bus epigraphis a Jubis, patre et filio, et a variis Numidiae et Mauritaniae urbibus, [illegible] Achulla, Sabratha s. Tripoli, Vacca, probabiliter etiam Tingi cusi, de quorum et[illegible] aetate satis certo constat. De inscriptionum Carthaginensium aetate nihil certi qu[illegible]m definiri potest: attamen persuasum nobis est, eas ad Carthaginis Punicae, non [illegible]unae, aetatem pertinere. Quanquam enim sermonis et scripturae punicae usu, mentione in inscr. 50 id minime effici concedo (si quidem et punici s[illegible]que suffetum suffetum munus Romana etiam Carthagine perduravit): litterarum tam[illegible]nis usus et optimae aetatis scripturae aequiparandus liberae Carthaginis tempora sibi fla[illegible]character Caesaris iam et Augusti aetate earum regionum scriptura admodum mutata quum nerata sit. Reliquarum aetas partim ex ipsis monumentis nota est. Exsta[illegible]dege- tituli ab Hiempsale I et II (i. e. inter annos 118 et 81 a. Chr. nat.) horumque [illegible]im positi, exstant numi Jubae I (81—46 a. Chr.) et II (30 a. Chr. — 18 p. C[illegible] numi urbium Augusti, Liviae, Tiberii capitibus insignes, exstat etiam titulus punic[illegible] in arcu triumphali Tripolitano repertus, quem aetati Septimii Severi, ipsique annu[illegible] post Chr. n. 203 vindicatum ivimus (v. ad inscr. 64). Ad hoc autem temporis spatium punicae linguae usum perdurasse, permulta habemus testimonia *).

7. In *Cyrenaica* etiam orta esse monumenta litteris phoeniciis inscripta, nuper aliquot annos creditum est: donec improba fraus detecta et impostoribus persona detracta est (v. lib. II, cap. 10). Revera in illis regionibus, quas nunquam, quod sciamus, Phoenicii coloni frequentarunt, nihil tale exspectes, neque phoeniciam originem produnt nomina propria hominum et locorum, quicquid eo in genere tentavit Hamakerus **).

Ex *Aegypto* autem plura monumentorum genera, phoeniciis litteris inscripta diversaeque originis ad nostra tempora pervenerunt. In aliis, gemmis atque sigillis, figurae reperiuntur ad Aegyptiorum religiones pertinentes, cum nominibus propriis, quae vulgari Phoenicum charactere exarata sunt (v. inscr. 68. 70), quae a Phoenicibus in Aegypto degentibus et Aegyptiorum sacra amplexis profecta esse vix dubites. In aliis eiusdem generis figurae comparent, sed tituli sermone aramaeo et peculiari scripturae charactere exarati sunt ad Aramaismum deflectente (v. inscr. 71. 72), quae ab Aramaeis forte commercii causa in Aegypto degentibus, facta esse existimaverim. Alia denique papyri sunt eadem fere lingua et simili charactere inscripti, qui quidem Judaeis Aegyptiacis tribuendi videntur et ad nostram quaestionem minus pertinent (v. lib. II, no. 73—75). De aetate nil certi constat, quanquam illorum monumentorum unum (no. 68 cf. 67 b) persicam aetatem sapere, pleraque Ptolemaeorum temporibus tribuenda videntur. Quicquid autem statues, hoc certum erit et exploratum, veram et legitimam scripturam phoeniciam in monumentis Aegyptiacis non aliter iudicandam esse, atque in Atheniensibus, et peregrinorum hominum esse, qui in Aegypto civitatem adepti erant, non ipsius Aegypti civium.

---

*) Vide de ipsius Septimii Severi sorore punice loquente Spartiani Sever. c. 15, de Apuleji familia, Apuleji Apolog. p. 336. Quid quod? Phoenicum linguam ad Augustini adeoque Justiniani aetatem perdurasse constat, v. lib. IV, cap. 2.

**) Miscellan. phoenic. p. 220 et passim.

Digitized by Google

§. 7.

Erat autem litterarum phoeniciarum pro variarum regionum et pro temporis ratione satis magna diversitas, aque talis, ut antiquiore tempore figurae plerumque accuratius, plenius et nitidius perentur, recentiore negligentius, lineis paucioribus, ductibus plerumque rotun cuius rei luculentissima exempla habemus in numis Tyriis et Sidoniis (v. li II, no. 1. 2) aera notatis et in moneta Cossuraeensi (lib. III, no. XIII). In ar ioribus Tyriis Resch legitime pictum 4, mox 9, in recentioribus verticalem degeneratum est: in antiquioribus Cossuraeis (v. litt. A. B.) in unam lir e plene et legitime sculptae sunt, in recentioribus Tiberii tempore cusis singulae l a depravatae, ut vix eas agnoscat neque easdem esse credat nisi qui pleraeq ulatimque eas mutatas esse viderit.

sensi adem autem diversarum regionum ratio est. Etenim in ipsa Phoenice (anti- certe tempore), in Sicilia, Melite et in ipsa Carthagine urbe litterarum character atus esse solet, legitimus et bene sculptus: in Hispania autem variisque Africae ionibus (praeter unam Carthaginem urbem), maxime in Numidia, scriptura eodem re modo et magis etiam degenerata, quam supra labente aetate factum esse vidimus, ita ut plurima eius generis monumenta (in quibus ad regionis iniquitatem etiam labens aetas accedebat) vix punica habita sint.

Nobis igitur in hac materia tractanda tria maxime scripturae phoeniciae genera distinguenda videntur:

1) *Scriptura phoenicia* proprie dicta, bona illa et legitima, quae in inscriptionibus Melites, Athenarum, Cypri, Sardiniae et in numis Phoenices, Siciliae insularumque adiacentium comparet; cuius peculiarem quandam speciem constituit *numorum cilico-phoeniciorum scriptura* lineis rectis et capitibus superne apertis.

2) Scriptura titulorum in Numidia aliisque Africae regionibus nuper repertorum, neque non numorum Numidicorum, quacum in plurimis convenit numorum hispanicorum character, quam *Numidicam* propterea a potiore appellare placet: recentior illa et degenerata, ita tamen comparata, ut originem suam ex priore illo genere manifesto prae se ferat, in multis etiam monumentis litterae ex utroque scripturae genere mixtae sint, aliae plenae et legitimae, aliae contractiores paucisque ductibus constantes.

3) Scriptura *aegyptiaco-phoenicia* in monumentis aegyptiacis conspicua, si modo haec phoenicia recte appellatur, quandoquidem, quae hoc litterarum charactere exarata est, lingua non phoenicia est, sed aramaea (v. lib. II, no. 71. 75), scripturae etiam genus ab illo satis discrepat et ad scripturam Palmyrenam atque adeo quadratam propius accedit.

Maluimus tamen in tradenda hac doctrina duobus potius quam tribus capitibus hanc materiam comprehendere, neque numidicam scripturam plane seiungere a phoenicia: siquidem plures figurae numidicae iam in aliis monumentis passim obviae sunt, et universum singularum litterarum stemma adhibitis etiam numidicis melius et doceri potest et perspici. Capite igitur *tertio* universam de scriptura phoenicia et numidica

Digitized by Google

doctrinam comprehendemus, *quarto* de scripturae genere *aramaeo-aegyptiaco* separatim agemus.

Erunt fortasse, qui singulas monumentorum species, veluti numos Phoenicios, Cilico-punicos, monumenta Sicula, Cypria, separatim tractandas existiment, haberetque etiam talis via et ratio, quo se commendaret. Quum vero scripturae character in omnibus his monumentis in universum idem sit, non in multa capita dissecanda videbantur, quae uno oculorum obtutu melius perspicerentur; illud autem, quod singulae quaedam species adeoque singula quaedam monumenta (velut Tuggense) sibi proprium haberent et peculiare, tum in commentario tum sub singulis litteris tractandum tum denique peculiaribus litterarum tabulis repraesentandum putavimus.

CAPUT TERTIUM.

DE LITTERIS PHOENICIIS ET NUMIDICIS.

§. 8.

Aliorum virorum doctorum alphabeta recensentur et examinantur.

Antequam ad varias singularum litterarum figuras illustrandas earumque tanquam stemma concinnandum accedimus, praecipuorum alphabetorum phoeniciorum ab aliis conditorum censuram agere, et nonnulla de nativa harum litterarum forma variisque eius mutationibus in universum observare placet.

Quum „alphabeta phoenicia“ ante Barthelemyum edita, ut supra dictum (§. 2), re vera phoenicia non sint, prima reapse talia sunt

Alphabeta *Barthelemyi* ex marmoribus Melitensi (no. 1), ex nonnullis Cypriis, et ex numis Phoeniciis et Siculis capta in *Mémoires de l'academie* T. XXX. p. 405 (T. LIII. post p. 58) 426, et in *epist. ad March. Olivieri*, quae repetiit Eckhelius in Doctr. Numm. vet. III, p. 404; satis laudanda illa pro illius temporis ratione, et nihil falsi continentia, nisi quod sub He comparent signa, quae Jod et Schin sunt (,), sub Wau , quod He est.

Swinton plures struxit litterarum tabulas ex singulis monumentis et monumentorum generibus, ex marmoribus Melitensibus in *Philos. Transactions* Vol. LIV, tab. 12, ex Citiensibus, numis Phoeniciis et Siculis ibid. tab. 24, alphabetum Cyprio-Phoenicium tab. 25, maiore etiam laude dignas: in quibus (Swinton enim ut diximus in legendo felicissimus, in interpretando tantum minus felix esse solebat) vix ulla littera est, cuius potestas male definita sit.

In *Bayeri* Alphabetum, quamvis tenue et paucarum figurarum (*de la lengua* etc. p. 375. *palaeogr. Studien* tab. 5), plura iam irrepserunt vitiosa, velut sub He figura, quae Schin est, sub Mem una quae Schin est, alia quae Aleph, sub Jod una quae Aleph est.

Digitized by Google

Et plura etiam admissa in hoc, quod *Dutenstus* dedit, alphabetum phoenicium, Punicum et Siculo-punicum ex numis concinnatum notisque illustratum (*Explication des médailles* p. 92), et repetiit *J. D. Michaelis* in *Bibl. orient.* VIII, p. 17. Etenim sub littera *Daleth* plura sunt signa, quae Koph sunt; sub He ultimum signum est Schin; quae sub Caph notantur, tres priores figurae sunt Gimel, quinta Tau africanum; sub Samech figg. 2 et 3 sunt Jod; omnes, quae sub Koph pinguntur, figurae, sunt Aleph; sub Schin figg. 6 et 7 sunt Tet, quae littera in illo alphabeto plane deest.

Ex solo Barthelemyo, ut videtur, profecerunt *Chr. Wilh. Büttner* (*Vergleichungstafeln der Schriftarten verschiedener Völker.* 2s Stück, Göttingen 1779, tab. 2), cuius alphabeta recusa ab Eichhornio, Michaele aliisque diuque rata sunt habita; et *Mionnetus* (Recueil des Planches pl. XXVI), in quo etiam vetus comparet Barthelemyi error iam a Bayero notatus et ab ipso Barthelemyo postea emendatus, quo (Schin) He esse statuitur.

Quod *Koppius* concinnavit, alphabetum (*Bilder und Schriften* II, 215—218), ex iis tantum monumentis ductum est, quae Koppius ipse modo tractaverat. Multa id continet bene atque utiliter et collecta et observata: nonnulla tamen vitiosa, ex eo postea centies repetita. Sub Sain pingitur figura ex Athen. 1, ubi nil tale in marmore; sub Ain est figura ex numis Marathensibus, quae Beth est inversum (vide ad hos numos); sub Phe prima figura ex Cit. 10, lin. 3 petita est He, quum litterae Phe a Koppio paene ignoratae plane alia ratio sit.

Litterarum tabula a *Michelangelo Lanci* (*de lapide Carpentoractensi*, tab. e regione tituli posita) concinnata, quatenus ex monumentis editis depromta est, satis proba est et emendata, praeter duas figuras, quae sub Sain littera comparent: quatenus ex ineditis (i. e. Melit. nostra no. 3. 4), minus castigata est (v. sub Tet, Koph, Tau): quanquam hoc bene observavit Lancius, Melit. 3, lin. 1 unam esse litteram (imo vero Mem, non Samech).

Hamakerus plura alphabeta concinnavit, duo in *diatribe*, alterum ex lapidibus Humbertianis (no. 46—49), alterum ex inscriptione Borgiana (nostr. no. 56): plura in Miscellaneis, Carthaginense, Zeugitanum (Numidicum), Melitense, Leptitanum al.; sed in his ipsis alphabetis et in litterarum potestate male definita primariam, si non unicam causam tantae in interpretandis his monumentis infelicitatis esse, iam saepius diximus. Swinton recte legere, recte lecta autem male interpretari solebat, Hamakerus contra monumenta recens detecta propter characteres magnam partem ignotos male legebat, quae ita lecta ne Oedipus quidem interpretetur. De alphabeto ex Humbertianis ducto infra dicemus lib. II, no. 46, de Borgiano ad no. 56, de Zeugitano autem alphabeto (rectius *Numidico*) nobis aperte dicendum est, quod res est, nonnisi perpaucarum eius litterarum potestatem recte definitam esse, sub plerisque litteris comparere figuras, quae ad plura eaque diversissima elementa pertineant. Sub *Daleth* duae figurae comparent, quarum una est Resch, altera Koph; sub *He* fig. 1 est Caph, fig. 2 בּ, fig. 3 spuria quaedam forma

Digitized by Google

ex Humberti apogr. inscr. Numid. 4, lin. 1, fig. 4 Schin; sub *Chet* una est Beth, altera Lamed; sub *Nun* sex sunt signa, quorum primum est Schin, alterum Tau, tria sequentia Lamed, ultimum Tau, nullum Nun; sub *Samech* unum est signum, idque Schin; sub *Schin* duo Tet; quae ulterius persequi et longum est et taedii plenum.

Non integrum alphabetum, sed pleraque tamen elementa, videlicet ea quae in marmore Melitensi bilingui sunt, commentario utilissimo illustravit *Lindberg*, de inscr. Melitensi p. 8 sqq.: meliora etiam daturus, nisi praeiudicatis nonnullis opinionibus ductus fuisset, ex quibus ceu perennibus fontibus plures errores profluxerunt. Primarii hi errores praecipue versantur in lectione epigraphes Cossuraeae קשרנם (quam dudum refellerat Bayerus) pro אירנם, et alius africanae בקש (pro בקי), unde factum est ut sub Koph apud eum, ut apud Dutensium, compareat magna vis figurarum, quae Aleph sunt, sub Schin multa, quae Jod sunt cet. Sed de his infra videbimus.

Etiam in ea quam nos exhibuimus litterarum punico-numidicarum recensione (Palăogr. Studien tab. 6) nunc ipsis monumentis inspectis nonnulla emendare possumus. Ita sub *Capĥ* fig. 4, sub *Schin* fig. 6 spuriae sunt et ex apographorum vitiis orta. Praeterea sub *Jod* fig. 8 est *Chet*, ut infra docebitur ad Numid. 4.

§. 9.

De nativa litterarum figura.

Quum in plerisque litteris magna sit formarum varietas, oritur quaestio, quaenam harum formarum antiquissimae censendae sint et recens inventis simillimae. Quod quantumvis in singulis dubium sit, in universum tamen eae figurae *antiquissimae* habendae atque *nativae:*

1) Quae in monumentis et antiquissimis et accuratissime scriptis compareant, velut in numis Cilico-phoeniciis, Siculis, in marmore Melitensi bilingui.

2) Figurae *pleniores* talesque ex quibus labente aetate et vigente tachygraphia reliquae contractiores originem duxerunt (§. 10 24), in his praecipue quae lineis rectis et angulis acutis pictae sunt, velut , , ex quibus scribarum demum festinantia rotundiores formae , ortae sunt*).

3) Quae *cum antiquissimis graecis elementis congruant;* siquidem Graeci elementa sua iam mature et haud multo post litterarum inventionem a Phoenicibus acceperunt, neque multum immutarunt, antiquissima autem monumenta Graeca Phoeniciis aetate superiora sunt.

4) Quae *cum nomine elementi conveniant.* Satis enim constat, litterarum inventores in eligendis elementorum figuris nominibusque id egisse, ut cuius rei imaginem rudiorem elementum aliquod referret eiusdem nomen ei tribueretur**), cui similis est alphabeti russici et hieroglyphorum phoneticorum apud Aegyptios ratio.

*) Perraro plenior forma recentior esse videtur, velut Resch ita pictum et in recentioribus tantum monumentis obvium, eo illud consilio inventum, ut a Beth facilius distinguatur.

**) Vide hist. linguae hebr. p. 167 sqq.

Digitized by Google

§. 10.

De variis nativae figurae sensim mutatae causis.

Sed primae et nativae illae elementorum figurae postea variis de causis mutatae sunt.

Ac *primum* quidem, ut modo significavimus, magnam ea in re vim habuit scribarum desidia dicam an festinantia, ut verbo dicam, *tachygraphia*, quae tales elementorum figuras poscebat et gignebat, quae celeriter, facillimo negotio, et vel uno vel paucis calami ductibus pingi possent. Quanquam enim nunc nulla alia scripturae phoeniciae monumenta supersunt, quam quae lapidibus operose insculpta aut metallo impressa sint, nemo tamen dubitabit, quin Phoenices, mortalium sollertissimi, tum in libris scribendis tum maxime in commercio exercendo celeri etiam in charta pergamena vel papyracea scribendi genere usi sint et, pariter atque Hebraei, tachygraphos (סֹפֵר מָהִיר Ps. 45, 2) habuerint. Idque ipsum scripturae phoeniciae historia docet. Namque etiam in monumentis nostris lapideis, aeneis argenteisque inferiore aetate nonnisi tales figurae comparent, quae fugiente quasi calamo pingi poterant; ita ut appareat, illo tempore iam nullas alias in usu fuisse.

Altera mutatarum figurarum causa in scribarum artificiis s. in *calligraphiae studio* quaerenda est. Huic autem tribuendae artificiosiores litterarum figurae, velut a) quae scapis crassissimis, lineis autem transversis tenuissimis pictae sunt *(mit Grundstrichen und Haarstrichen)*, ut in numis Syracusanis et Panormitanis; b) quarum lineae in globulos, non in acies, exeunt, vel adeo globulis margaritisve constare videntur, ut in epigraphis nonnullorum Tarsensium (cf. capita superne acuta in Carth. 9); etiam hoc c) calligraphiae quoddam studium redolere videtur, quod nonnulli statuarii, in eodem monumento pervariis eiusdem litterae figuris consulto usi sunt, veluti in inscr. Erycina.

Tertia quaedam figurarum hoc vel illo modo pictarum causa non prorsus illa quidem negligenda, quaerenda est in *spatio*, quod quorumque monumentorum inscriptionibus concessum videbant artifices. Ubi amplum erat spatium magnaque area, ea etiam paucis litteris utcunque implenda erat; ubi angustum et depressum, litterae ita eligendae et ita pingendae erant, ut areae angustiae ferebant. Sic in Cossuraeis E. F. H., ut impleretur area vacua, Aleph, Beth, Mem longis caudis munitae sunt, in numo Africae incerto (litt. M) Chet in duplicem longitudinem protensum: contra in numis Sidoniis, ubi exiguum et depressum epigraphes in infimo numo (dans l'exergue) spatium erat, litterae longiores vel altiores, Lamed, Nun, Mem inclinatae et iacentes potius pictae sunt, quam erectae , , . Adde aliud eximium exemplum in inscr. Numid. 6, lin. 4. litt. 1 (Lamed).

Denique etiam *perspicuitatis studio* nonnulla mutata esse videntur. Postquam enim tachygraphorum negligentia vetera illa et legitima litterarum discrimina, veluti litterarum Beth et Resch, hic illic perierant atque metuendum erat, ne plane confunderentur haec elementa, de iis denuo discernendis cogitare coeperunt. Atque ita in littera *Resch* factum esse certum est, quam recentiores more Romanorum scribunt.

Digitized by Google

§. 11.

In litterarum ignotarum potestate indaganda, et, quod inde dependet, in novis obscurisque monumentis legendis nihil est, quo maiore cum fructu utantur harum rerum scrutatores, quam *verbis formulisque parallelis* in variis monumentis inter se comparandis. Simulatque nuper in marmore Numidico a Templio edito lin. 1. primum duo verba בעל חמן, mox integram formulam קלת שמע כע חמן לבעל לארן legeramus, et eandem etiam in simillimo lapide tunc cummaxime a Falbio edito paucisque mutatis in duobus Lugdunensibus (no. 59. lin. 1. 2. no. 60, 3) legi animadverteramus, dimidia paene omnium litterarum numidicarum pars et nonnullarum quidem plures adeo figurae antea ignotae nobis innotuerunt, quarum ope sensim paullatimque ad omnium horum monumentorum lectionem pervenimus. Nusquam autem haec verborum parallelorum inter se collatio utilior, quam in numis. Qui varias numorum Sidoniorum, Gaulitanorum, Cossuraeorum epigraphas inter se comparaverit, magnam figurarum ex parte rarius obviarum varietatem invenerit, eamque ita comparatam, ut de singularum litterarum potestate quam certissime constet, quoniam ipsae quorumque numorum epigraphae diversissimis temporibus eaedem esse, solus litterarum character mutari solebat *).

§. 12.

Aleph littera.

Aleph litterae, cuius nomen (אֶלֶף) *bovem* designat, primaria et nativa figura erat

1 2 3

(v. *primum* et *secundum* signum in numo Sid. T. U. W. X, Gaul. no. 2. 3. 9. 10. 16. 21. 23. 24, *tertium* Coss. A), rudem capitis bovini imaginem referens secundum illud Plutarchi (quaest. sympos. IX, 2 §. 3), qui litteram Aleph reliquis praeponi scribit *διὰ τὸ Φοίνικας οὕτω καλεῖν τὸν βοῦν*. Sed his frequentiores et usitatissimae eius litterae figurae sunt:

4 5 6 7 8 9

cum cognatis

(v. *quartam* Melit. 1. 3. 4. Cit. 7. 8. 10. 13. 18. Aeg. 2. Sard. lin. 2. 4. 5, num. Sid. N. Laod. Gadit. A. C. D., Motyens. A, *quintam* inscr. Carth. 8. 9., num. Coss. B. C. Gaul., Gadit. E; *sextam* Melit. 3, 4; *septimam* in Tugg., *octavam* ib. et Carth. 10, *nonam* Cit. 2. Carth. 3, 3. 5, 2. 3); item

10 11 12

in quibus duae lineae transversae parallelae sunt, v. *decimam* Athen. 2, 2. Cit. 1. 3. 4. 5. 6, Aegypt. 3 *et persaepe*, Carth. 2, 5. 3, 2. 4, 1. 3, num. Mot. B, Gaul. F;

*) Quanquam etiam in hac re caute et adhibito iudicio versandum est (v. infra ad litt. Jod §. 21).

Digitized by Google

undecimam, quae calligraphorum ornatum sapit, num. Syrac. B, *duodecimam* Melit. 1 B, num. Gaul. G. Rariores et nonnisi in Syracusanis et Gaulitanis numis obviae sunt eae figurae, quarum caput a dextra *) clausum est, ut

13 14 15 16 17 18 19 20



(v. *dec. tert.* Syrac. C, *dec. quart.* Syrac. A. B, *dec. quint.* Gaul. D, *dec. sext.* Gaul. E, *dec. sept.* 15. *dec. oct.* Gaul. B. *dec. non.* Gaul. 25. 26. 28, *vices.* Gaul. 4), item quae a dextra parte mancae sunt, ut

21



(v. Cit. 1 lin. 1. 2., num. Cil. P, Syr. in איח, Gaul. 34. 36).

Haec legitimae et antiquioris scripturae signa. Numidicae autem scripturae, cuius exempla etiam in numis Gaditanis et Gaulitanis obvia sunt, hoc proprium est, quod Aleph pro duabus lineis transversis nonnisi unam habet et ad Tau litterae figuram prope accedit (§. 33), ut hae monstrant figurae

22 23 24

v. *vic. sec.* inscr. Numid. 2 lin. 1. 2. 3, 1 in אדן, Coss. M. N., *vic. tertiam* eamque vulgarem Numid. 1, 1. 2. 4, 2. 5, 1. Tripol. 2, 4 in אדן, Numid. 5, 2 in אגדת, 6, 1. 7, 1. 2, Gadit. 6, *vic. quartam* Coss. G. H. I. O. Similia autem exempla iam alibi obvia sunt, ut

25 26



a deoque

vic. quint. Athen. 3, Cit. 20 lin. 1. 33, lin. 1. 3, *vic. sext.* Gaul. no. 30. 33, propter analogiam supra expositam minime suspecta. Num integrum sit Aleph in Gadit. L, una littera perpendiculari constans, in medio relinquo.

Inversae eius figurae (§. 41) et in inscr. Erycina lin. 1. 4. 7 reperiuntur.

Ceterum sibi caveant doctrinae Palaeographicae tirones, ne in gravem errorem incidant, quem a Dutensio et Pellerino adoptatum firmiter tenet Lindbergius p. 29, omnes figuras no. 13—20 ex numis potissimum Gaulitanis, Syracusanis et Cossuraeis petitas *Kophim* esse statuens, et קנן, בקרקת, קשרנם legens, quae legi debebant אנן, באראת, אירבנם. Sed haec nemini in posterum fraudi erunt, qui viderit, in aliis eorundem numorum exemplis figuras exstare, quas אלמים esse, non קומים, tam certum est quam quod certissimum. Vide numos Gaul. A. B. C. H. 2. 3 (cf. numum Sid. T.) 5—8. 11—14. 17. 18. 19. 20. 22. 29. 34, Cossur. B. E. F. Accedit quod nulla his figuris

*) Ad vitandos errores semel moneo, me tum in singulis litteris tum in monumentis numisque describendis eam litterae monumentique partem, quae e regione manus dextrae est, dextram appellasse, quae e regione manus sinistrae est, sinistram. cf. Kopp. II, p. 139.

Digitized by Google

cum littera Koph cognatio est, quum contra eaedem in stemmate Aleph litterae vix deesse possint et prope absint a primis illis et nativis figuris no. 1. 2. 3, ut haec earum comparatio monstrabit:



„Ex*) antiquioribus formis no. 4. 8 ortae sunt veteres graecae et etruscae „A — A A, ex his graeca et latina vulgaris A, quam vulgo male ex „figura X inversa explicant. Figura hebraea vetus W orta est ex figura „phoenicia no. 10 scapo inferiore abiecto: ex hac samaritanum N, item „*Aleph* Sassanidarum in Kirmanschah.“

„Ex recentioribus autem formis no. 22—24, maxime no. 24, ortum est „scripturae aramaeo-aegyptiacae et inde Palmyrenorum et quadratum. Ex his „Aleph Sassanidarum in Nakschi-Rustam.“

§. 13.

Beth littera.

Prima et nativa figura est

domum (בית) vel potius tentorium utcunque repraesentans, ut △ Daleth *portam*, scilicet tentorii. Vide inscr. Melit. 2. 3. 4. Carth. 1—5. 6. 8. 9. num. Cilic. N. A similibus litteris Daleth et Resch nostra ita differt, ut Resch scapum habeat longum et directum, Daleth brevem, Beth longum sed recurvum: licet breviorem caudam habeat hoc Beth;

inscr. Sard. 1. 3. 6. Variae figurae illius primariae mutationes a calligraphiae studio profectae videntur, aliaeque ad caput eius pertinent diversis modis pictum, sed plerumque rotundum,



(*tert.* v. Athen. 1, *quart.* Sard., *quint.* Cit. 18, *sext.*, quae longe frequentissima figura est, Cit. 1. 3. 5. 6. 12. 15. 20. 23. 26. 29. 31, Num. 6. 7, Sid. T. Cilic. H. Laod. Marath. Coss. Abd. Sabr. A. B. C. E, *sept.* Tugg. ex apographo Templiano, Athen. 1, 2, Aegypt. 3.; *oct.* Tugg. ex apogr. Templ. lin. 3. 5. 7), aliae ad collum, quod modo longius est et paene rectum modo infractum, ut in scriptura aramaea:

*) De his commentariis singularum litterarum *palaeographiam comparatam* illustrantibus eorumque consilio et argumento vide infra §. 44 fin.

Digitized by Google

9 10 11



(*non.* v. Trip. 2, 4. Coss. E. F, *dec.*, quae nil differt a Resch, Trip. 2, 1. Cossur. A, *undec.* Melit. 1. Cit. 4. 8. Marsal., vas Panorm.). Capita superne aperta

12 13 14

nonnisi in numis Ciliciis (no. 12. 13) et in Citiensi secunda s. Oxoniensi (no. 14) reperiuntur, in hac statuario forte minus dextero tribuenda. Tachygraphiae autem debentur hae formae, quarum capita manca sunt,

15 16 17



(*dec. quint.* v. Tugg. ex apogr. Borgiano, *dec. sext.* Abd. E, *dec. sept.* Abd. C. Gadit. K. Num. 2, 4): multoque magis, quae nunc sequuntur, *scripturae* Hispanicae et *Numidicae* propriae quarum capita plane perierunt:

18 19 20

Vide *dec. oct.* quae perfrequens est, Numid. 3, 1. 3. 4, 1. 3. 5, 1. Trip. 2, 1. Gadit. A. B. D. E. F. G. I. L. Ting. A. D. E. F., Bel. A—G., Vacc. A—G. Sabr. D. Sigae B., Jubae sen., *dec. non.* in numis Vaccae, *vic.* persaepe maxime in בעל Num. 1, 1. 2. 3. 4. 2, 3. 4, 2. 3, et בן Num. 1, 3. 4. 2, 3, Sabr. G. Dubiae auctoritatis mihi est signum in numo Sigae A. Caeterum observandum, formam , quae in Numidicis et Hispanicis est Beth, in melioris notae scriptura esse *Pe*, v. hanc litteram §. 28.

„Ex ipsa antiquissima figura no. 1. ortum putaverim aethiopicum Ω *tentorium* „repraesentans, Ω ex .“

„Ex eadem, cauda magis etiam inflexa, graecum , Β, B.“

„Figura no. 13 ad Hebraeos antiquiores et ad Aramaeos transiit, apud „ipsos Zabios caput superne apertum comparet. Mox autem apud hos, ut apud „recentiores Phoenices (no. 18—21), caput plane disparuit, talesque figurae ortae „sunt, quales ex parte iam in Palmyrenis, in Blacassianis, dein in Persicis, „Cuficis cet. comparent.“

§. 14.

Gimel littera.

Primaria eius figura, *cameli gibbum* (non collum, ut vulgo volunt) depingens, est

1

Digitized by Google

v. Carth. 3, lin. 4. Trip. 2, 3. Num. 4, 1, quae sensim a sinistra parte magis magisque decurtata est

subinde prona vel supina, etiam scapo paullum curvato



rostrove horizontali, ut in Vav

Vide fig. *secundam* Athen. 2, 2. Num. Gad. A. D. *tertiam* Sard. 2. 7. Tugg. lin. 4. 6. 7. Cit. 15, 1. 29, 2. sigill. no. 67 b. Gadit. B. E. G., *quartam* Cilic. F., *quintam* Melit. 2, 1, *sextam* Numid. 5, 2, *septimam* Eryc. 2. 4, Cilic. A. C. D. E. N. Ceterum haec littera partim rarior, partim simplicioris ductus in omnis aetatis monumentis fere eadem est, eiusque antiquissima forma in recentissimis etiam monumentis obvia est.

„Antiquissimam figuram no. 1. praeterea in Graecis et Celtibericis reperias."

„Vulgaris no. 2—6 etiam in moneta hebraea et in Blacassianis servata est. „Apud Aethiopes caput supra rotundatum."

„Ex figura *septima* orta est vulgaris graeca."

„In figura Palmyrena linea superior horizontalis ad medium usque scapum „depressa est: ex hac autem ortae figurae in Estrangelo, in scriptura Cufica et „in Peschito."

„In Samaritanis contra linea superior horizontalis paullulum ultra scapum „extensa est, atque inde ortum Gimel in scriptura Sassanidarum."

§. 15.

Daleth littera.

Figurarum, quae nunc exstant, antiquissima videtur

(v. Athen. 2. Carthag. 1. 2. 3. 5. 9. Laod. G.) *portam* (דֶּלֶת) *tentorii* repraesentans, cum cardinibus ut vult Lindbergius p. 12. 13: sed nescio an prima et nativa figura sit △ cauda carens, quam Graeci a Phoeniciis adoptarunt: nisi forte forma quadrata

domus portam depingens (Melit. 3. Cit. 1 lin. 1. 3. Cit. 8. 14. 15. 23, 3 bis) pro antiquissima habenda est. Utcunque est, in hac littera pingenda eadem est varietas, quae in similibus Beth et Resch. De quorum discrimine vide ad litt. Beth, et exempli causa contemplare vocabula חדר Melit. 2, 1; גדר in numis Gaditanis, עבדשמש Athen. 1. 2, et vocabulum עבד sexcenties obvium. Primarius litterae situs is est, quem supra no. 1 dedimus, sed pingitur etiam

Digitized by Google

(Sard. 2. 3. 7. sigill. no. 67 b), et capitibus varie formatis

item collo varie aptato, passim etiam longiore (ut in Resch) et recurvo (ut in Beth)



(v. *quart.* Carthag. 8. *quint.* Melit. 2, 1. *sext.* Cit. 18, *sept.*, *quae longe frequentissima est* Melit. 1. Athen. 1. 2. Cit. 3. 12. 20. num. Tyr. N. Sid. E. G. I. K. M. O. T. U. W. X. Gadit. plerosque, gemm. nb. 45 bis, *oct.* Tugg. Sid. P. Q. R. *non.* Num. 5, 1. 2, *dec.* Sid. A. B. D, *undec.* et *duodec.* Sid. F. L. Cit. 24, lin. 2.) Capite superne aperto

Daleth nonnisi in numis Ciliciae (A) et in Oxoniensi lapide reperitur. Solent enim sibi constare monumenta in capitibus litterarum Beth, Daleth, Resch (passim etiam Ain) pingendis, ita ut qui Beth pingant trianguli instar, etiam Resch et Daleth eodem modo pingant, qui Resch habeant quadratum vel rotundum vel superne apertum, etiam Beth et Daleth eodem modo fingant (v. tamen Athen. 2, Cit. 14. 15. 23).

In scriptura Hispanica et Numidica caput ab una parte hiat

(*dec. quint.* v. Abd. D. *dec. sext.* Gad. F. I. Abd. C. F. Numid. 3, 1), mox plane perit, ut nihil nisi collum

supersit, quae figura tamen in sola voce ארן sigli instar picta (§. 35) reperitur (Numid. 1, 1. 2. 2, 1. 4, 2. 3. 5, 1. Trip. 2, 4). In aliis vocabulis etiam Numidae litteram plenius pingunt (v. Num. 5, 1. 2 in אגדת, עדרתן).

Caeterum ne mireris, veterum monumentorum descriptores breve huius litterae collum subinde prorsus neglexisse et Daleth ita plnxisse, ut Ain videatur. Id accidit Humberto in marmore Carth. 1, lin. 2, et probabiliter Richardo Pocockio in Cit. 13, lin. 2. In Dutensii alphabeto sub littera Daleth plures esse figuras, quae Koph sint, supra iam observatum est.

„Ex antiquissimis figuris no. 1. 3, ut diximus, ortae sunt graeca, celtiberica, „Romana antiquior angulata: recentior rotunda cum umbrica ex nostra figura „*septima*. Ex eadem fluxit Dent aethiopicum."

„Ad figg. 11. 12. 13 prope accedit zendica, in qua litteratura nonnullae figurae „magnae antiquitatis esse videntur."

„Supremam lineam ultra scapum prolongatam habes in scriptura vetere „hebraea et samaritana."

Digitized by Google

„Figura no. 14 capite superne aperto transiit in scripturam aramaeam aegyptia-
„cam et Palmyrenam, ex qua deinceps orta est ea, quae in Blacassianis, Palmy-
„renis Romanis, et in Quadrata Scriptura est.“

„Figuram tachygraphicam no. 15 deprehendimus etiam scriptura Samaritanorum
„cursiva: non quasi Samaritani illam ab ipsis Phoenicibus Hispanis acceperint,
„sed quod et horum et illorum tachygraphi in eandem huius litterae celeriter et
„uno ductu pingendae rationem incidebant.“

§. 16.

He littera.

De etymo nominis nil definio. Primaria autem et nativa litterae figura est

paucis mutatis in multis monumentis obvia, ita quidem ut brachia sive costae hic illic scapum non tangant (*prim.* Athen. 1. 3. Marsal. Sard. lin. 2. 4. Tugg. 2. Numid. Panorm. G. Gad. B. I. K. M. Jubae secundi C. Carth. 9. *sec.* Carth. 8. *tert.* Carth. 3. 5), raro binis tantum brachiis costisve instructa



(*quart.* v. Cilic. A. *quint.* in numo Jubae secundi A. B). Male pictae, sed non minus certae He litterae sunt



(*sext.* Cit. 10, 3. *sept.* Eryc. 4), quarum priorem Koppius, nescio qua libidine, Phe esse putabat, adeoque in alphabetum recipiebat. Singulare illud et nonnullis dubium visum in Melit. 2 lin. 2 huius figurae

ex fig. 3 et 5 eodem modo ortum est, atque graecum ex *E*.

A tachygraphis denique effictae variae formae uno calami ductu pingendae



(*non. dec.* Cit. 15, 3. 29, 3. num. Cilic. G. *undec.* Cit. 3, 2. 11. *duod.* Tugg. lin. 3 Borg. lin. 5 Templ.), quae similiter in Jod littera occurrunt, nisi quod Jodim prona iacent, hae figurae paene erectae stant. Litterae Jod persimile, sed maius, est He

Numid. 5 lin. 2 (in הלבי). A littera Chet desumta est haec figura

Digitized by Google

in Erycina saepe apparens, et certae significationis: non ignorant enim Palaeographi, interdum in antiqua scriptura litterarum figuras ita ab uno elemento ad aliud simile esse translatas *). Quod in Barthelemyi, Dutensii et qui hos sequuti sunt alphabetis inter litterae He figuras refertur etiam 𐤇, id Schin esse iam Bayerus docuit.

„Antiquiores formas no. 1. 2. 3 servarunt Graeci, Etrusci, Samnites, Umbri, „Romani, a quibus prope absunt Hebraei in moneta et Samaritani, apud quos „costa modo suprema modo media ultra scapum prolongata est. Scapus medius „prolongatus est etiam in aethiop. ሀ, quod proprie *He* esse (non *Chet*) recte „observat Koppius (p. 352. 381)."

„Costis, quae in Phoeniciis parallelae sunt, varie inclinatis, ut vel ab initio „vel a fine se tangant, ortae sunt figurae in moneta hebraea et in Palmyrenis 𐡄.

„Ex figura primaria 𐤄 in Graecis frequente explicanda forma in aram. „aegyptiacis, et in Palmyrenis Romanis, ex qua denique ortum He quadratum, „cui simile iam in Phoeniciis est no. 8."

„He recentiorum Syrorum ܗ ex forma Samaritana et huic similibus, duabus „costis in anteriore parte copulatis, facile formari poterat."

§. 17.

Vav littera.

De hac littera perpauca eaque ex parte falsa praeceperunt Palaeographi (v. Lindberg p. 63): in pluribus alphabetis ea prorsus deest. Nec sane frequens est haec littera; quam quiescentem Phoenices prorsus omittunt (§. 40) et nonnisi mobilem, ut Grammatici loquuntur, scribere solent. Figurae eius hae sunt

1 2 3 4



quae omnes *unci clavive* imaginem referunt (cf. de vocabulo וָו soli Pentateucho proprio Thes. ling. hebr. I, p. 399), quamquam primaria figura fortasse duobus brachiis insignita erat (cf. notam). Vide fig. *primam* Melit. 1 lin. 2 (ubi Vav copula est), *secundam* in Carth. 3, 1. 5, 1 et numo Motyes, *tertiam* Cit. 3 lin. 2 bis, Numid. 3, Eryc. lin. 2 et *quartam* (quae, si *modo recte picta est*, nil differt a Gimel) Cit. 22, 2.

A Gimel quomodo differat, vide sub hac littera.

Perperam in huius litterae figuris recensitae sunt a Koppio et Lindbergio (Melit. 2 lin. 3), quod Phe est; Cit. 18, 1. v. Kopp. 1, 236, in quo latet רם; neque non num. Cilic. A (v. Amad. Peyron), quod manifesto Caph est.

*) Vide infra §. 46, 3 de litteris sibilantibus apud Graecos. Adde quae Koppius disputat II, 350 de Saut Aethiopum, et quod Aleph Nasoraeorum ita (o) pictum revera Ain est.

Digitized by Google

„Quanquam in Phoeniciis nullum certum exemplum est *Vav* litterae duobus „brachiis munitae, qualem Graeci, Etrusci, Romani habent (nam Cit. 48, 1 „simile signum est ום), nullus tamen dubito, quin primaria huius litterae figura „ea fuerit, quam *Baῦ* s. digamma habet apud Graecos antiquiores. Non solum „ex ipsa hac Graecorum figura id colligas, sed etiam ex scriptura Hebraeorum „monetaria et Samaritanorum figuris. Namque omnes hae figurae, quae tantopere „ab exemplo phoenicio discrepare videntur, facile explicantur, si hanc earum originem „sumimus . Ex iisdem adeo explices aethiopicum ortum ex „infra clauso. In reliquis omnibus scripturae generibus, aram. aegyptiaco, „Palmyreno, Sassanidarum, quadrato, regnat simplicior illa figura, quae etiam „in phoeniciis monumentis comparet.“

§. 18.

Sain littera.

Etiam haec littera perrara est, ita ut ex coniectura fere et ex unico certo exemplo (Melit. 2, 2) in alphabetis compareat ita picta: .

Spuria enim et ex falso inscr. Athen. 1. apographo petita est haec forma , quam in sua litterarum tabula dedit Koppius, et multi inde repetierunt, in his nuper Lepsius de tabulis Eugubinis p. 69. Illa autem minime prima et nativa est, sed haec:

quae comparet in numo Cilico-phoenicio litt. G. (in vc. מזרי sidus meum, coll. מזרך in A. B), et in inscr. Athen. 3 (in vc. בזנטי *Βυζάντιον*), atque plane congruit cum antiquissima figura Zeta litterae apud Graecos, Etruscos et Umbros:

Ex illa paulo negligentius picta mox factum est

(Cilic. B in בעל תרז), et vulgare

(Cilic. A. B. C in תרז, זך, עברזהר. Tugg. lin. 5 in זכר, Melit. 2, 2 in הזה). Caeterum caveant sibi horum monumentorum lectores, ne Zainim esse putent signa nonnullis titulis Citiensibus ab initio et in fine versuum addita, de quibus v. §. 38, 5. Phoenices autem passim ס scribere, ubi Hebraei vulgo ז, infra docuimus ad Athen. 1.

„Iam in ipsa paragrapho diximus, primam et nativam huius litterae formam „in Phoeniciis raram apud Graecos (vide sub ס), Etruscos, Umbros frequentiorem „esse: idque accuratius ita explicandum est, ad hanc litteram pertinere non solum „*Z Zeta*, sed etiam et (unde S Latinorum), quae figurae vulgo ad „*Sigma* referuntur, sed revera ad *Sain* Orientalium pertinent, ut copiosius

Digitized by Google

„expositum §. 46, 3. 49, 2 litt. b. Eiusdem figurae aliud vestigium est in antiquiore „Persarum scriptura; aethiopicum vero H fortasse ortum ex figura I, quae „apud Graecos satis frequens est, et ex eadem etiam singularis illa Samaritanorum „figura, nisi haec a Samech mutuum desumta est. In reliquis scripturae gene- „ribus regnat simplicissima illa et vulgaris figura, quae una tantum linea „perpendiculari continetur."

§. 19.

Chet littera.

Prima et legitima eius figura est

1 2



(*prim.* v. Athen. 1. Carthag. 1. 2. 3. 4. 8. vas Panormit. num. Panorm. A. C. G. K. J, *sec.* Carthag. 9) quae *septum* depingere videtur; nam hoc, non *peram*, significat huius elementi appellatio חית, ut contra Ewaldum nuper monstravimus in Thes. T. I. p. 436. Saepe ternae huius litterae quasi costae vel soli dextro cruri, vel partim dextro partim sinistro, vel adeo neutri adhaerent, hoc modo

3



(v. Carth. 5. Melit. 1. Eryc. lin. 1. 3), sed ubicunque ipsa monumenta oculis usurpare contigit, etiam iis in locis, ubi apographa hanc litteram fractam pinxerant et mancam, costarum integrarum sed admodum tenuium vestigia, etsi nonnunquam armatis tantum oculis, reperi. Raro igitur ipsi statuarii consulto et de industria tales figuras defectivas insculpsisse videntur, sed costae, quae pertenues esse solebant (v. prae caeteris numos Panormitanos), ex parte perierunt.

Secundam quandam harum figurarum speciem eae constituunt, quarum crura binis tantum costis coniunctae sunt, sive integris sive defectivis:

4 5 6 7 8 9 10



Vide *quart.* Cit. 1. num. Panorm. B. D. L. *quint.* Cit. 33, *sext.* Cit. 4. 7. 8. 10. 13. 15, *sept.* Cit. 4 ex apogr. Porteri (quae tamen figura mihi valde suspecta, quum costae nunquam ad sinistram assurgant, sed ad dextram), *oct.* Cit. 23, quae figura male vulgo Koph habita est, quum manifesto sit Chet defectivum, plenius fortasse in lapide exaratum, ut no. 4, *non.* Cit. 2., *dec.* Cit. 21.

Tertia denique species est eorum signorum, in quibus una tantum costa uniusve vestigium superest, ut in

11 12 13 14



Digitized by Google

(*undec.* v. num. Panorm. E. F., *duodec.* Numid. 4 lin. 1. 2, *dec. tert.* Cit. 22, *dec. quart.* Cit. 3), ex quorum numero duodecimum male pro Jod habitum est.

Singularis autem huius litterae figura scripturae Numidicae et Africanae tantum non propria, cuius veram potestatem nuper demum exputavimus (palaeogr. Studien p. 78), haec est



(v. Numid. 1 lin. 1. 5, lin. 1. Tripol. 2 lin. 2) et

(Cit. 20 lin. 1 in חרם. Eryc. lin. 2. Tugg. lin. 7. Numid. 1 lin. 2 et in postscripto, 2 lin. 2. 3 lin. 2. 3), quae signa superioribus interpretibus ignota a tachygraphis ex tertia illa figurarum specie formata videntur.

Caeterum in alphabetis complura signa comparent vel plane falsa vel certe suspecta. In his

illud ex Swintonis apographo inscr. Melit. 2, in qua vero Chet aliter pingitur (vide nostram eius editionem): hoc ex numo Panorm. apud Bayerum (v. palaeogr. Studien tab. 1 no. 4), sed vix recte delineatum, quum in harum litterarum parvitate error facillimus esset. De dubiis quibusdam figuris v. Cit. 15, 1. 3. 33, 1. 2.

„Prima et nativa figura tribus costis munita, sed cruribus ultra costas „non productis *), perfrequens in antiquissimis Graecis (ubi spiritus asperi valorem „habet), Etruscis, Umbricis et in Hebraeorum moneta, in qua hae figurae „etiam inclinatae reperiuntur (cf. Vav, quod modo stat, modo inclinatum est). „Sed eius quoque figurae, cuius crura (sinistrum infra, dextrum superne) pro„ducta sunt, exempla exstant in Etruscis: eaedemque vulgares sunt in utroque „Samaritanorum alphabeto: illius vero, quarum costae non integrae sunt (v. fig. „nostr. 3) memorabile exemplum habemus in titulo Crissaeo apud Boeckhium no. 1.

„Figura H, quae apud Phoenices, ni fallor, in uno titulo Erycino occurrit, „ibique He litterae valorem habet (v. §. 16), hac potestate transiit in scripturam „graecam et aramaeam veterem: neque multum abludit Palmyrena.

„Fig. 11 est etiam in fragm. Taurinensi, in Blacassianis et inde in scripturam „quadratam transiit.“

---

*) Graeci symmetriae et elegantiae studiosiores quam Orientales, in aliis etiam litteris crura illa longiora vel decurtabant (cf. Δ ex , Ξ ex , Π ex), vel, ubi incurvata erant, magis etiam inflectebant, ut in ex .

Digitized by Google

§. 20.

Tet littera.

Ante tria lustra phoenicia huius litterae figura Palaeographis ita incognita erat, ut (1, p. 217) Koppius ad Cit. 2, lin. 2 eam vindicaturus totius paene Orientis alphabeta in subsidium vocaret. Quanquam ea non potest non esse paullo infrequentior in monumentis, quippe quae in ipsa lingua minus frequens sit, tamen sat multa eius exemplа exstant, his fere formis:

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11



v. *prim.* Carth. 5 in שמם; *sec.* in numo Motyes A; *tert.* in incerto Africae L in litteris solitariis, ubi dubitare possis, utrum figura in medio sit parvulum Schin, an merum ornamentum; *quart.* in Motyensi B, *quint.* Numid. 3 lin. 3. 4. 7, 1, *sext.* Cit. 16, *sept.* Cit. 2 lin. 2, *oct.* Num. 6, 1. 3, *non.* in incerto Africae A. B, *dec.* ibid. C. D., *undec.* Tugg. lin. 2 (in שטראם).

Memoratu dignum, quod eadem figura, quam supra primo loco posuimus, et quae ט est in Carthag. 5, in inscriptione Tuggensi saepius obvia ibi manifesto potestatem Ain litterae habet, Tet contra in hoc titulo ita pingitur, ut alibi Ain solet (v. supra no. 11). Cf. intimam necessitudinem litterarum Θ et O apud Graecos §. 47.

Falsas quasdam figuras addiderunt Hamakerus (Miscell. p. 50) ex inscr. 51, et Koppius ex Cit. 29

quod ornamentum est folii formam habens, non littera.

„Primam et nativam figuram, etiam apud Phoenices, eam esse putaverim, „quae in alphabeto vetere graeco prima et secunda est, unde demum ortae „imperfectiores illae no. 1—3 in alphabeto nostro phoenicio.

„Fig. 11 eodem modo comparet in Palmyr. Romanis.

§. 21.

Jod littera.

Primariae eius figurae sunt:

1 2 3 4 5 6 7 8



quae omnes *manum* (יוד i. q. יָד) s. tres digitos cum carpo depingunt, vide *prim.* Cit. 1. 23. 30, *sec.* Athen. 1, 1. Cilic. F. *tert. quart.* Cit. 23 ter. Cit. 2, *quint.* Cit. 1. 3. 33, *sext.* Athen. 1. 2, *sept.* inscr. Marsal., *oct.* Melit. 3. num. cilico-phoen. G. quum aliae contra carpo omisso solos digitos repraesentent:

9 10

(v. *non.* Cossur. C. *dec.* Athen. 1. num. Vacc. H.).

Digitized by Google

Ex his plenioribus formis mox vigente tachygraphia aliae contractiores effictae sunt. Ac primum genus eas complectitur figurarum species, in quibus carpus servatus, medius autem digitus (liceat enim hac imagine uti) partim puncto indicatus, partim plane omissus est:

11 12 13 14 15 16 17 18 19

undecim. v. in Carthag. 8, *duod.* Cit. 26, 2, *dec. tert.* Numid. 5 lin. 2 (bis, in הלבי et רמי), *dec. quart.* in Tugg. ex apographo Templii, *dec. quint.* ibid. Carth. 9, Athen. 3, Syracus. in אנית; *dec. sext.* et *sept.* Melit. 3. Numid. 6. 7. Cilic. H. Coss. F. N. O. Sig. D; *dec. oct.* Syrac. in איא; *dec. non.* Trip. 2 lin. 2. 3. Coss. E. K. Iubae sen. A. B. C. Sig. A. B. C. D. Vacc. F. G. Alterum genus autem eas, in quibus carpus omissus est, quanquam digiti medii in nonnullis figuris (no. 20. 21. 22) vestigia supersunt, velut

20 21 22 23 24 25 26 27 28

(*vic.* v. Cit. 17. Coss. A. *vic. prim.* Cit. 16. *vic. sec.* Sid. O. Cossur. B. *vic. tert.* et *quart.* vas Panorm. Sard., *vic. quint.* Coss. H. I. M. *vic. sext.* Eryc. saepe, *vic. sept.* Cit. 20, 1. *vic. oct.* Coss. G.). Accedunt nonnullae soli Numidicae scripturae propriae, ut

29 30

(*vic. non.* v. Numid. 1, 3. 4. *tric.* num. Vacc. A—E. cf. F. G. H.); quarum prior orta ex no. 19, posterior ex no. 23.

In nulla fere littera est maior figurarum varietas. Sed omnes tamen illae figurae unam tantum familiam efficiunt, et singulae totidem quasi catenae articulos constituunt, quorum nullus demi potest, quin universa series interrumpatur. Vel hanc ob causam de singularum potestate, quae vicinarum etiam formarum auctoritate illustratur, non multum dubii est: eademque insuper monumentorum, quae laudavimus, contextu locisque parallelis plene cumulateque confirmatur, ut singulas formas hoc loco copiosius vindicare supervacaneum sit.

Nonnullas tantum figuras indicare placet, in quibus definiendis a recentioribus quibusdam Palaeographis graviter erratum est. Ac primum quidem figuras no. 14. 15. 22 Hamakerus (diatr. p. 53. Miscell. p. 137) *Nun* esse putat, Lindbergius p. 16 *Nun finale*, sed pag. 60 *Schin*. Ut Hamakerum mittamus, qui nulla opinionis suae argumenta dedit, Lindbergius in priorem sententiam (qua fig. 15. 22 Nun finale statuitur) inductus est duabus epigraphis numorum Sidoniorum apud Mionnetum (pl. 24 no. 37. 42), quarum alteram nos etiam dedimus (num. Sid. litt. O), ubi quinta epigraphes littera, quae alibi *Mem* est (Nun semel in Haymii apographo valde suspecto), hanc formam habet, .. At vero 1) de hac ipsa Mionneti figura, quam neque ego in ectypis Mionnetianis inveni, neque Hohlenbergius in Parisiensibus vidit, valde dubito (facillimus enim in his Sidoniae monetae epigraphis error, quarum litterae et exiguae sunt et male con-

Digitized by Google

servatae: ut vel ex universa epigrapha no. 37 in oculos incurrit) et videtur ea Mem esse, ut in reliquis paene omnibus, sed *male pictum* et male depictum. Et fac etiam 2), illam figuram bene se habere, quid inde, amabo? unde sequitur, eam Nun esse? Ex figura? huic nulla est cognatio cum figuris litterae Nun. Ex contextu et linguae rationibus? Hae non minus facile ferrent לצדני (collective acceptum), quam לצדנן, quod in uno Haymii apographo eoque valde suspecto est, quum omnia exempla certa habeant לצדנם, לצדן. Posteriorem sententiam de eiusdem litterae potestate ש idem vir doctissimus probavit ex lectione numorum Cossuraeorum, קשרנם, de qua tandem abiicienda saepe iam diximus. Sed quid multa? Ipse Lindbergius postea in Carthag. 9 explicanda (v. Falbii Recherches p. 103) litteram no. 15, quae ibi prima est, Jod esse accepit, et propterea illam sententiam abiecisse videtur. Eamque figuram revera Jod esse, ex monumentis sub no. 14. 15. 22 laudatis, sole clarius est.

Dein simili errore Hamakerus (Miscell. p. 152) fig. 19 *Vav* esse existimabat (quanquam alibi p. 146 sui plane oblitus *Jod*), Lindbergius (p. 60) itidem ש, ex eadem lectione numorum Cossuraeorum. Sed si quis fuerit, qui etiamnunc de vera eius potestate a Koppio aliisque iam agnita dubitaret, is praeter figuras cognatas videat maxime Tripol. 2 et numos Jubae, ubi haec littera in appellativis comparet, et varia numorum Cossuraeorum exempla inter se componat.

„Ex figura phoenicia *octava* ortum est *Jod* veterum Hebraeorum: ex fig. 9 „Jod Samaritanorum, ex fig. 10 Jod aramaeo-aegyptiacum, primum maius illud „trium cuspidum, ut in fragmento Taurinensi, dein minus triangulare, ut in „Carpentoractensi, in Blacassianis et in plerisque Palmyrenis. Maior illa figura semi- „lunaris in Palmyrenis Romanis et in Sassanidarum scriptura etiam in Phoeniciis „exstat fig. 27. 28.“

„Graeci veteres in hac quidem littera figuram admodum simplicem adoptarunt, „quae in Phoeniciis est no. 16. 17, apud eos autem mox in cincinnum (*πλόκαμον*), „denique in lineam erectam degenerabat.“

§. 22.

Caph littera.

Plenissimae eius litterae figurae, ex qua reliquae vel hac vel illa linea omissa ortae esse videntur, eaeque iccirco primariae habendae, hae sunt:



(v. *prim.* Melit. 3, 1. 5. *sec.* Melit. 4 lin. 1. *tert.* Melit. 2, 4. *quart.* Melit. 3, 6). Inde ortae, quarum capita a sinistra parte aperta sunt



(v. *quint.* Melit. 1, 2. *sext.* num. Sid. quattuor linearum T—X. *sept.* Melit. 1, 3. *oct.* Sard. 6): et, quae his frequentiores et maxime vulgares sunt, capite superne aperto

Digitized by Google



(*non.* v. Athen. 2. Cit. 2 lin. 2 in משכב, כלא, 3. 7. 18. Cilic. C. D. E. *dec.* in numo Acc. *undec.* Athen. 1 in זכר; *duodec.* Tugg. lin. 1. 3. 4. 5. 6. 7. *dec. tert.* num. Acc., Malac. C. *dec. quart.* Num. 1, 1. 2. 2, 1. 3. 3, 1. 2. num. Jubae senioris, Malac. A. B. D. E. G. *dec. quint.* quae alio styli ductu formata est Numid. 2, 2, cf. Cit. 24, 2 bis; *dec. sext.* Trip. 2, lin. 3. 4). Optimae aetatis est haec quoque figura



(*dec. sept.* Cit. 2 s. Oxon. lin. 1 in אנך, lin. 3 in עבדמלך. Cit. 15 lin. 4 bis. Cilic. A. B. I. P. Laod. *dec. oct.* Carth. 8): sed inferioris aetatis et Numidicae scripturae propriae sunt hae quam negligentissime exaratae, quanquam ex formulis, in quibus occurrunt (§. 35, 2), certae auctoritatis



(*non. dec.* Tripol. 1. Numid. 2, 1. 3, 1. 4, 1 in כמן, 4, 2 in מכם, חכמחעל, Num. 5 in מכת, num. Jubae sen. in מלכת).

Caeterum de hac littera nihil fere dubii est apud eruditos: tironum autem et minus peritorum peccata nil moror.

„Vulgaris Graecorum figura Λ petita est a figg. phoeniciis no. 5. 6. 7.

„Cum figg. no. 9. 10 congruit Caph scripturae veteris aramaeae in Carpen-
„toractensi monumento, et Palmyrenum no. 1."

„In scriptura vetere hebraea, in samaritana, in vetere aramaea (Blacass.) et
„in plerisque Palmyrenis (fig. 2—5) caput maximam partem periit, ut in Phoe-
„niciis no. 16 sqq. Scapus partim sinistrorsum flexus est, partim (in finalibus)
„longius deorsum protensus.

§. 23.

Lamed littera.

Lamed (לָמֶד i. q. מַלְמֵד Jud. 3, 31) *βούκεντρον* significat, quod bene depingitur nativa et legitima eaque maxime vulgari huius litterae forma, quae haec est:



atque id habet sibi proprii, quod superior scapus s. femur inferiore s. crure*) multo longior supra lineam reliquasque litteras eminet, v. Melit. 1, 1 (quater) 4. Athen. 1, 1. 2, 1. Oxon. lin. 2. Carth. 1, 1. 2. 2, 1. 2. 3, 1. 2. 5. 5, 1. 2. 3. 8, 1. Tripol. 1.

*) Superiorem huius litterae partem *femur* (Oberschenkel), inferiorem *crus*, mediam s. curvaturam *genu* appellare liceat.

Digitized by Google

num. Heracl. A. B. Laod. Vacc. al. Ita igitur Lamed differt a Nun littera, ut Nun femur habeat crure brevius, ad summum femur et crus eiusdem longitudinis; Lamed, ut diximus, femur crure longius: id quod dilucide docent et ante oculos ponunt ea exempla, in quibus Lamed et Nun iuxta posita genua habent eadem altitudine, ut Melit. 1, 1:

 i. e. נגלמל

Atque haec *de utriusque litterae discrimine lex* a Koppio iam saepius et recte quidem inculcata in bonae notae monumentis tam constanter observata est, ut nunquam ab eo recessum sit: in apographis contra et delineationibus illud discrimen saepe turpiter neglectum est (vide v. c. numos Heracl. apud Barthel. in Mém. de l' acad. 53, pl. 2, Humbertianorum lapidum delineationes, v. Carth. 1. 2. 3 *) et numorum epigraphas apud Mionnetum), eoque maius ista negligentia omni disciplinae palaeographicae detrimentum attulit, quum ea decepti Palaeographi eo inducti sint, ut etiam in legendo et interpretando illum canonem vel negligerent vel adeo plane sublatum vellent. Palaeographos dixi: quanquam unus est Hamakerus, qui Lamed et Nun eiusdem formae et solo sensu distinguenda esse asseverat (Miscell. p. 40—45 sqq.), omnemque illam distinctionem *ineptam* vocare (ibid. p. 106) non veritus est: excusaturus scilicet sua de בעל חמלא et תלת commenta, reapse autem omni in legendo licentiae, ut cum Comico dicam, fenestram patefaciens. Imo tam constans certaque ista lex est, ut etiam ipsis lapidibus Humbertianis (ipsis dico, non falsis eorum apographis) prorsus confirmetur, nosque, qui in examinandis marmoribus ad hanc rem diligenter attendimus, spondere possimus, in bonae aetatis inscriptionibus et numis ne unicum quidem reperiri exemplum, quod illi licentiae faveat.

Magna vis est earum, quarum crus vel brevissimum est vel plane nullum:



v. *sec.* Melit. 2, *tert. quart.* num. Sid. et Gadit. Ting., *quint.* in num. Sid. deficiente spatio femore breviore picta; *sext.* Cit. 2. Carth. 3, 3; *sept.* num. Cilic. it. Numid. 3, 3. 4, 1. 5, 2. *oct.* Melit. 3 lin. 2. 3. 4. 6. Melit. 4 lin. 3. num. inc. Phoen. C., *non.* Sard. lin. 4. 6. 8. num. Belon. B. Paulo ornatior figura est

Cit 2 lin. 2. 3. quo fortasse pertinet Cit. 8. 29. 33 (ubi vide): sed incertae et suspectae

et

illa Melit. 4, haec in numo Gad. apud Bayerum (tab. 1).

*) In Pocockiano Citiensium marmorum apographo mediocris in hac re diligentia est.

Digitized by Google

Maior etiam varietas est in inferioris aetatis scriptura et in Numidica:

11 12 13 14 15 16 17 18 19 20



undec. et *duod.* vid. Sid. F. H. L., ubi depressior haec figura spatii defectui debetur cf. §. 10. Numid. 6 lin. 4; *tert. dec.* Numid. 4, 3. 7, 1. Tripol. 2, 2., num. Malac. H., *quart. dec.* Tripol. 2, 2 in קלת. Malac. C., *quint. dec.* Numid. 1, 1. 2. et in postscripto, 2, 1. 2. 3. 3, 1. 2. Num. 4, 2. 5, 1. *sext. dec.* Trip. 2, 3 in כלכל, num. Jubae sen. A. B. C. in מלכת; *sept. dec.* Num. 5, 1., num. Malac. E.; *oct. dec.* Num. 2, 1. 3, 1. in מלך, num. Vacc. in מלקר; *non. dec.* Numid. 1, 2 in עלם, ibid. lin. 3, 4 in בעל, Numid. 6, 3 in על, *vic.* Num. 2, 3 in בעל, 4, 2 in משעלך. Sed de his negligentioribus figuris, ut no. 19. 20, quae ad tachygraphiam Numidicam pertinent, et quarundam tantum formularum sunt, adi infra §. 35, 2. Plures ex his (no. 17—20) etiam Nun esse posse, non concedimus tantum, sed adeo docemus (v. infra §. 25): de his vero et de toto hoc scripturae genere Hamakerus non disputabat.

„Plenior illa forma crure longiore et eiusdem paene cum femore longitudinis, „ut in hebraeo ל, transiit ad Palmyrenos (Oxon.), in scripturam Sassanidarum „et in quadratam.“

„Brevior illa sine crure, ut in figg. phoeniciis 6—9, veteribus Hebraeis, „Aramaeis in Aegypto (Carpent.) et Samaritanis placuit. Graeci hanc quidem „litteram inverterunt: siquidem in retrograda scriptura eam pingunt ⅃, in vul„gari graeca ⅂, unde latinum L.“

„Ex utroque autem formarum genere crure plane carentium apparet, quam „verus et legitimus sit canon supra expositus, quo in femore longiore, crure autem „breviore vel nullo, propriam et peculiarem huius litterae indolem cerni docetur.“

„Leviores scripturae numidicae formae no. 13—16 non multum mutatae repe„riuntur in Blacassianis quoque et in Palmyrenis Romanis.“

§. 24.

Mem littera.

Huius litterae perfrequentis et facile dignoscendae in scriptura bona et legitima duo potissimum genera sunt. Unum idque antiquissimum et huius litterae proprium est, in quo media linea directa transversam secat; alterum, in quo eandem tangit tantum, non secat.

Prioris generis hae sunt figurae:

1 2 3 4 5 6 7



v. *prim.* et *sec.* Cit. 3. 8. 21. 23. Melit. 3, 4. num. Sid. D. G. U. X Cilic. A. B. C. D. E. *tert.* Melit. 1 et 2. Cit. 2. Carth. 5. 8. 9. Tugg., num. Panorm. C. D. H. L. Sid. A. B. Marath. Heracl. B. Motyens. *quart.* Melit. 1. Athen. 2., num. Panorm. A.

Digitized by Google

Gadit. C. G. H. *quint.* num. Cilic. G. P. *sext.*, quae figura alio calami ductu picta est, Sard. lin. 4., num. Sid. C. H. I. K. Panorm. F. K. Coss. B, num. *sept.* Sid. L.

Posterioris generis sunt:

8 9 10 11 12 13 14 15 16 17

oct. Cit. 3. 4. 5. 8. 17. 29. 30. 33. *non.* num. Sid. T. U. W. X. *dec.* Carth. 1. 2. 3. 4. Num. 4, 3., num. Bel. Fb. G. Jubae iun A. B. et saepe; *undec.* Melit. 3. Sard. *duod.* Melit. 3 b. *tert. dec.* Cit. 12. Eryc. *quart. dec.* num. Vacc. B. *quint. dec.* Gad. A. D. F. Bel. F. Jubae iun. C. *sext. dec.* v. vas Panorm. *sept. dec.* num. Panorm. E. F. inscr. Cit. 20 lin. 1.

Figurae imperfectae sunt:

Cit. 7 (in נחם); Numid. 4, 3, Cit. 22, 1. sed satis certa, duabus partibus constans (§. 34, 3)

Melit. lin. 1, cf. *Mū* graecum in numis Emesenis, quod pingitur , et *Schin* in eodem monumento similiter exaratum.

A *Schin* littera haec de qua agimus duplici modo distinguitur. Ac primum quidem ita, ut Mem litterae cauda longior, Schin litterae vel brevior vel nulla sit, vide in Melit. 1, lin. 2. 3 אסרשמר, lin. 3 כשמע, Athen. 2 עברשמש, Cit. 22, 2 in שמש, Cit. 12. 17 in אשמן, num. Heracl. in ריש מלקרת, Panorm. H. in שעם מחנת. In apographis quidem hoc quoque discrimen passim mire neglectum est, ut in omnibus numorum Heracleensium delineationibus: sed in ipsis monumentis religiose observatum. Alterum utriusque litterae discrimen in eo cernitur, quod in Mem lineola directa media transversam secat, in Schin non secat. Sic in inscr. in Cit. 21, lin. 1 (in אשמן) et in Tuggensi, contra prioris aetatis consuetudinem, ex qua figurae



sine ullo discrimine adhibentur, v. Athen. 1. 2. In Carthaginensibus Humbertianis adeo Mem pingitur , Schin . At in deterioris aetatis scriptura et in Numidica illud discrimen firmiter servatum est, ut mox videbimus (cf. §. 32).

Huius enim scripturae hae sunt figurae:

18 19 20 21 22 23



quarum prima ita orta est, ut figurae *tertiae* vel *quintae* dextra linea plane omissa sit: ex hac ortae sunt reliquae. Vide *oct. dec.* Tripol. 1., num. Ting. C. D. E. F., *non. dec.* num. Jubae sec. E. K. *non. dec.* (bis) Malac. E. *vic.* (quod longe frequentissimum) Numid. 1 (octies). 2, 1. 3. 3, 1. 2. 4, 1 (bis). 3. 5, 1. 6, 3. 4. 7, 1. Tripol. 2, 1. Coss. G. H. I. L. Malac. A. B. C. D. F., Jubae sen. A. B. C., Jubae jun. C. D. F.

Digitized by Google

G. H., Sabrathae A. B. E. F. Sigae A. B. C., et iam in numo Cilicio I. *vic. prim.* Numid. 3, 2. 3. 4, 2; *vic. sec.* Numid. 2, 1. *vic. tert.* Numid. 2, 2. 3, 2. 4, 2. 5, 2. Tripol. 2, 2. Coss. M. N. O.

Figuram hanc cruciformem, et no. 18. 20 quidem iam Lindbergius *Mem* esse recte agnoverat (de numis Sextor. p. 17, de inscr. Melit. p. 21): qua observatione neglecta Hamakerus ubique eam *Tau* legit et vel hoc errore sibi saepe viam ad veritatem praecludit.

Caeterum figg. 20. 21 et 23 in Numidicis revera etiam potestatem habent litterarum *Tau* et *Aleph*, qua de re vide §§. 12. 33. 35.

„Figg. 3 et 6 in scripturam aram. aegyptiacam transierunt."

„*Mũ* Graecum vetustissimum cum etrusco ortum est ex fig. 11 demta una „lineola ad sinistram. Producto crure sinistro dein orta est vulgaris figura Grae- „corum et Romanorum."

„Figuram *nonam* adoptarunt veteres Hebraei, ex *decima quarta* ortum est ם „Samaritanorum; cauda sinistrorsum inflexa et denticulis fere demtis sensim „Mem Palmyrenorum et scripturae quadratae."

§. 25.

Nun littera.

Nativa figura huius litterae, cuius nomen נון *piscem* significat, haec est:



a Lamed ita distincta, ut in illo inferior pars s. crus superiore longius sit, certe non brevius: quae quidem scribendi lex nunquam violatur in monumentis, quanquam apographa ea in re saepe supra quam credi potest negligenter facta sunt (cf. ad Lamed. §. 23). Exempla vide in Melit. 1, 1. 3. Athen. 1. 2. Cit. 2. Vasc. Panorm. Carth. 1—3. 5. 8. 9. numm. Gaul. Sidoniis, Panormitanis, Laodicenis Coss. A. et saepe. Aliae eius formae, in quibus modo crus, modo femur paullulum inflexum est, genu modo latum et cum femore conflatum (no. 4) modo breve (no. 7), hae sunt:



vide *sec.* in Coss. B., *tert.* cuius femur ob spatii angustias depressum Gaul. D., *quart.* Carth. 2 lin. 2. 3. 4. 5. 3, 2. 5, 2. *quint.* femore et crure aequalibus, in Citt. saepe: *sext.* Sard. *sept.* Melit. 2 lin. 1. 2. 4. Sid. F.

Peculiarem quandam classem constituunt eae figurae, quarum crus paullulum supra genu protenditur



et, quae inde ortae sunt,



Digitized by Google

quae prope accedunt ad Caph et ab eo aegre discernuntur (vide ad Carth. 5, 2): item contra, quarum femur ultra genu descendit,

13 14 15



(vide *oct.* Gaul. E., *non.* Athen. 1, 1. Sard. 2. Carth. 5, 2 in בעלן; *dec.* in num. Ting. D. *undec.* in Eryc. saepe; *duodec.* Carth. 9, 2 in חנא, *tert. dec.* Sid. O. *quart. dec.* Sid. I. K. *quint. dec.* Sid. D.). Sunt etiam, in quibus femur secet crus, et in quibus femoris vestigia non compareant nisi infra genu

16 17 18 19



(vide *dec. sext.* Eryc. *dec. sept.* ibid. et num. Sid. L. *dec. oct.* Coss. E. H. I. L. *dec. non.* Coss. F. G. K. M. N. O.), quas quidem postremas figuras vix Nunim esse intellexisses, nisi in constante monetae Cossuraeae epigraphe אירבנם compararent. Quomodo ortae sint, ex supra dictis apparet.

Magna signorum varietas est in media littera numorum, quos Lindbergius Sextis tribuit, nos Tingi Mauritaniae vindicatum ibimus (v. lib. III, no. XVI). Iam superiores Palaeographi, ut Bayerus, eam *Nun* esse censuerunt, Lindbergius *Caph* esse statuit. Et huic quidem favere videntur figurae,

quae tamen et ipsae Nunim esse possunt (cf. supra 8—12): contra numi F et D habent manifestum Nun, et etiam



in exemplis B et N huc referri possint.

In Numidicis Nun duplici modo pingitur: plenius in nominibus propriis, ubi maiore accuratione opus erat, negligentius in vocabulis tritis:

20 21 22



vic. Numid. 1, 4 in Massinissae nomine: *vic. prim.*, quod infra lineam protenditur, ut Lamed supra eam, Numid. 1, 1. 2. 3. 4 (in מן, ארץ). 2, 2. 3 (in ארץ, בן). 3, 1. 4, 3. 5, 1. 6, 1. 3 (in בן). 7, 1 (in בן). *vic. sec.* Numid. 2, 1. 3, 1. Tripol. 2 (in ארץ). Haec duo signa posteriora nonnisi sensu vel potius totius vocabuli lectione a Lamed distinguuntur, v. infra §. 35.

„Ex primariis et nativis figuris ortum est *Nū* Graecorum, cauda duntaxat „pro ratione graecae scripturae (v. p. 29 not.) minus longa, et genu paullo aliter „et ita picto, ut femur ultra initium cruris descendat, linea autem genu repraesentans „non ad libellam sit sed sinistrorsum inclinata. Contra genu dextrorsum inclinatum „est in scriptura aramaea aegyptiaca, adeoque fere disparuit in Blacassianis, „maxime in figura finali, ut in phoeniciis no. 7. 21."

Digitized by Google

„Ex primaria figura, cauda paullo magis sinistrorsum flexa ortum est Nun „veterum Hebraeorum (no. 3) et Samaritanorum. *Tertia* veterum Hebraeorum „(apud quos magna est in hac littera varietas) figura orta est ex phoenicia no. 8. 9, „cauda itidem fortius sinistrorsum incurvata, et eorundem *quarta* congruit cum „phoenicia no. 17."

„Denique ad phoeniciam no. 17 conferenda figura Etruscorum, Samnitum, „Oscorum, litterae H fere similis, a phoenicia in eo tamen discrepans, quod in „phoenicia linea genu repraesentans dextrorsum inclinat, in Etruscis sinistrorsum."

§. 26.

Samech littera.

Haec littera ad dignoscendum facillima, cuius nomen סמך *fulcrum* significat, has potissimum habet figuras:

1 2 3 4 5 6 7 8 9



v. *prim.* Melit. 1, 2. 3 (ubi figura paullulum fracta comparet, sed plene scripta ductus habet supra pictos); *sec.* Cit. 2, 1. 15, 4. 29, cf. etiam Cit. 8, lin. 4 (ubi figura sexta et octava Samech est, vix duarum litterarum ligatura) et Cit. 31.; *tert.* Cit. 23, 3. *quart.* Carth. 9, 1. *quint.* Carth. 3, 4. *sext.* Melit. 4, 2. Tugg. cf. vas Panorm. *sept.* ex num. Tars. (quem non dedi) inter litteras solitarias; *oct.* inscr. phoen. aegypt. no. 67, *non.* Athen. 1, lin. 1. Tripol. 2, 2.

„Figura litterae Sigma apud Graecos veteres orta est ex Samech Phoenicum „pleno illo et legitimo no. 1, forma illa admodum composita et perplexa pro „sobria Graecorum elegantia ad pauciores et simpliciores ductus revocata."

„Explicatu difficilior videri possit origo figurae quadratae (ס), de qua infra „diximus §. 53, 4 de alphabeto Palmyreno disputantes."

§. 27.

Ain littera.

Etiam haec littera, cuius primaria figura *oculum* (עַיִן) depingit, sibi admodum constat in monumentis et facillime agnoscitur. Nativa eius figura est

in omnium aetatum et regionum monumentis perfrequens, ut inscr. Melit. 1. 3. 4. Cit. 1. 5. 7. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 20 al. Numid. 1—7, num. Laod. Apc. Cilic. I. N. Gadit. Ting. Abd. Iubae maioris, Sabr., quanquam hic illic minus dextere insculpta, angularis magis quam rotunda, siquidem rotundae figurae sculptoribus negotium facere solebant, velut

Digitized by Google

(v. Athen. 1. Cit. 2). In solis fere Hispanicis et Numidicis eae huius litterae formae comparent, quae intus puncto lineisve munitae sunt

2 3 4 5 6

(*sec.* inscr. Tugg. ex apogr. Templii, *tert.* ibid. ex apogr. Borgiano, *quart.* num. Bel. Fb. G. *quint.* num. Bel. F. Gad. H. *sext.* Carth. 10), quam ipsam ob causam minus probanda est ea sententia, in quam ceteroquin facile delabi possis, has formas (apud Graecos etiam in O littera usitatas) antiquissimas et nativas esse. Caeterum figura secunda, quae in inscriptione Tuggensi *Ain* est, in Carthaginensi quinta manifestum est *Tet*, cf. §. 20.

Satis frequentes eae sunt formae, quarum capita in summo aperta sunt, ut

7 8 9 10

(v. *sept.* Melit. 2. Cit. 2. Carth. 1—5. 8. 9. Numid. 4, 2., num. Cilic. A. B., Panorm. A. A. B. E. F. H. I; *oct.* Panorm. D. *non.* ibid. G. *dec.* ibid. C.), rarae, quae infra, vel quae supra et infra aperta sunt

11 12

(*undec.* Gadit. M. Bel. C. Sabr. F. *duodec.* Numid. 4 lin. 2. 3 in חכמחעל, עמח).

In figg. 9 et 10, quae ex duobus monetae Panormitanae exemplis petitae sunt, initia comparent caudulae ad figuram semicircularem vel ante vel pone affixae, quam longiorem habet Ain in scriptura Palmyrena et quadrata. Plures vero huius generis figurae non exstant, nam quod formas caudatas, adeoque triangulares caudatas

in numis Marathensibus reperisse sibi visi sunt Koppius et Lindbergius, id errore niti, infra docebitur (lib. III, no. 5 de numis Marathensibus).

Ab illis autem modo auriculis (no. 5) modo caudulis (no. 9. 10) consulto factis probe discernendae sunt tales sive auriculae sive caudulae pediculique, qui in monumentis lapideis passim in litterarum rotundarum (Ain, Daleth), maxime minoris moduli, margine comparent et invito statuario in circulo excavando stylo vel primum admoto vel lapsante et aberrante obortae sunt (die unwillkührlichen durchs Ansetzen oder Ausgleiten des Meissels entstandenen Stiele und Ansätze), quo pertinet Ain auritum Numid. 1 lin. 3 litt. 3, duo Ain caudata in Tripol. 1, 1 (in עץ) et lin. 3 (in עבדך = ע׳), quae Daleth videri possint: maxime autem tantum non omnia huius litterae exempla in Cit. 2 s. Oxon., ubi vide plura.

Denique animadvertendum videtur, *Ain* etiam in nonnullis Numidicis *mero puncto* indicari, ut Omicron Graecorum in numis Arsacidarum et alibi. Sic quod in

Digitized by Google

numo Sabrathae A est לעמת, in alio exemplo litt. E scribitur לי . מת, idemque signum recurrit in numo litt. B, ubi itidem *Ain* esse potest. Vide lib. IV no. 23.

„Figura plena et rotunda no. 1. servata est a Graecis in vulgari τοῦ *O* μικροῦ „forma. Apud eosdem et Etruscos frequens est figura intus puncto munita (no. 3), „in iis certe monumentis, ubi *Theta* pictum est ⊗ (§. 44. §. 47, sub *O*).

„Figurae quadrangularis apud Graecos, Etruscos et veteres Hebraeos, neque „non triangularis apud eosdem, apud Samaritanos atque Aethiopes prima initia „insunt in orbe illo minus regulari, quem exhibent inscr. Athen. 1, Oxoniensis, aliae.

„Ain superne apertum, ut no. 7, est etiam in scriptura aramaea aegyptiaca, „idque a dextra parte cauda maiore munitum (cuius initia habes in fig. phoen. 9) „in Palmyrenis Oxoniensibus ac Woodianis et in quadrata. In Palmyrenis Romanis „autem vides, quomodo orta sit figura in recentioribus litteraturis aramaeis usitata."

§. 28.

Phe littera.

Sero huius litterae figura indagata est. In Barthelemyi et Dutensii alphabetis ea plane deest: Bayerus duas eius habet figuras, unam, quae Caph est, alteram, quae vere Phe erat, sed in numis Gaditanis, quos modo tractaverat Bayerus, *Beth* (v. lib. III, no. XV): etiam Koppius praeter legitimum Phe in numo Sidonio T. lin. 3 (in אף), figuram quandam in alphabetum suum admisit, quae nihil minus est, quam Phe (Cit. 10, 3): contra genuinum et certum Phe ex Melit. 2, 3 a nobis iam diu indicatum (hist. ling. hebr. p. 169) et ab aliis viris doctis agnitum ne verbo quidem meminit.

Nunc, ubi satis multorum monumentorum copia facta est, de hac quoque littera nobis certius constat, atque has eius figuras reperimus:

primam in Melit. 2, 3 (in מרף, ubi male hanc literam Waw esse putarunt). Sard. lin. 8, num. Sid. U. V. X, *secundam* in inscr. Carth. 3, 4 (in ספר). 5 lin. 4 (in שפם). Tugg. lin. 1. 3 (יפשעה), lin. 7 (in פעל). Numid. 5, 2 (in פגע), *tertiam* in numo Sid. T. W.

At nativa et primaria forma, quam vero in monumentis hodie superstitibus frustra quaeras, nescio an fuerit

ut in scriptura Graecorum retrograda, apud Etruscos et veteres Hebraeos, ex qua demum orta est forma vulgaris et rotunda.

Ceterum quod Beth in scriptura Hispanica et Numidica eandem figuram habet, atque *Phe* no. 3, id nemo miretur, neque hoc ita explicandum est, quasi aliqua fuerit harum labialium in figuris cognatio. Nam huius figurae, quae nunc eadem est in

Digitized by Google

utraque littera, diversa est origo:) *Phe* ortum ex 7 7; contra) *Beth* ortum ex 9 9.

„Primam et nativam figuram eam esse, quae apud veteres Hebraeos, apud „Graecos in scriptura retrograda et apud Etruscos usitata est 7, iam supra „diximus. Inde orta figura in summo rotunda, ut apud veteres Romanos, apud „Phoenices (no. 1) et in monumento Carpentoractensi.

„Priorem illam, sed scapo sinistrorsum flexo, habent Samaritani, angulo „superne acutiore Palmyreni (in Oxoniensibus), posteriorem scapo flexo Blacass. „et fragm. Taurinense (cf. Palmyr. Rom.), unde ortum ף ם.

„In scriptura Sassanidarum ex figura rotunda caput ortum est undique „clausum, idque servatum in litteris Estrangelo et Nestorianorum.

§. 29.

Zade littera,

cuius nomen (צדי) Simonis bene *instrumentum (uncum, hamum) piscatorium* interpretatus est, figuram habet hamo similem, unco modo duplici modo simplici, modo deorsum modo sursum flexo:



vide *prim.* num. Sid. A. B. D. U. V. X. *sec.* ibid. T. W. *tert.* num. Tyr. D. F. N. Sid. G. P. *quart.* Tyr. A. B. C. E. *quint.* Marsal. Tyr. G. H. *sext.* Sabrath. A. B. C. *sept.* Cit. 23, 1. 33, 3. Tyr. L. *oct.* Eryc. lin. 2. *non.* Tyr. K. M. *dec.* Trip. 2, 1. *undec.* Sid. I. L. al. Dubia videtur figura in Sid. K., duobus uncis praedita.

Iste vero uncus sensim paullatimque in solum punctum abiit, raro duplex, plerumque simplex: talesque figurae etiam in bonae aetatis monumentis usitatae sunt:



v. *duod.* Sid. H. *tert. dec.* Athen. 1, 1. Cit. 2, 1. 29, 1. *quart. dec.* Cit. 3, 1. 30, 2. *quint. dec.* Cit. 3, 2. *sext. dec.* Cit. 20, 1.

Ceterum pro nescio an passim etiam alio calami ductu pinxerint (cf. ad Caph), quod in iis numis accidisse crediderim, quos Sigae infra tribuimus.

Unica littera, quae cum nostra confundi possit, cuique nonnullae eius figurae ita similes sunt, ut aliqua legentium dissensio orta sit (vide ad numos Sextorum lib. III, 16), est *Tau.* In genere autem utriusque discrimen ita statuendum est, ut uncus Tau litterae saepe scapum secet, Zade litterae nunquam, idemque in Tau littera semper deorsum, nunquam certe sursum, flectatur. Cf. vocabulum מצבת Cit. 23, 1 et saepius.

Digitized by Google

„In reliquis scripturae generibus, quorum multa (Graecum, Etruscum, Per-
„sicum) hac litera prorsus carent, figurae sunt, quae Phoeniciis dissimiliores sunt.

„In scriptura vetere hebraea soli unci s. denticuli servati sunt abiecto scapo,
„unde figura quaedam orta nostro m ( ) similis: ex hac dein forma
„Samaritana, cui uncinus a sinistro accessit, quo haec littera distinguatur a
„simili Jod.

„Usitatissima Phoenicum figura no. 1 varie inflexa reperitur etiam in monu-
„mento Carpentoractensi, in Blacassianis et in Palmyrenis."

§. 30.

Koph littera,

cuius nomen vel *foramen securis* et *acus* (coll. chald. קופא foramen acus, arab. قف, قفة foramen securis, res securi similis) vel, quod magis placet *), *occiput* (arab. قف occiput, pars postica cervicis) significat, has figuras habet plenas et legitimas:

1 2 3 4 5



v. prim. Melit. 2, 1. Carth. 1, 2. 5, 3. 8, 1., num. Heracl. A. B. Panorm. L. *sec.* Athen. 2, 2., num. Vacc. F. G. H. *tert.* num. Iubae iun. (in מקם), incert. Afr. F. *quart.* Melit. 1, 1. 4. Eryc. Heracl. C. Vacc. A. B. C. D. E. *quint.* Cilic. P.

Sensim autem vel una vel altera pars figurae deficere coepit, unde hae ortae sunt formae:

6 7 8 9 10

sext. v. Carth. 3, 5. *sept.* Melit. 2, 2 (cui simile Koph Hebraeorum). *oct.* Numid. 3, 2. Tripol. 2, 1. 2. *non.* Eryc. lin. 5. Numid. 1, 2. 2, 2. 4, 3. Tripol. 1. Sig. A. B. C. *dec.* Marsal.

Figuram *nonam* in interpretandis inscriptionibus Numidicis Hamakerus *Daleth* esse putabat: quem errorem facile correxisset vir doctus, si modo formulam קלח bis obviam Numid. 3, 2 et 4, 3 inter se componere voluisset. Nihil enim hac figura certius, sive originem eius spectas, sive verborum formularumque, in quibus invenitur, rationem.

Praeterea notandum est 1) complures Palaeographos in figuris huius litterae recensuisse etiam ex Cit. 23, 1, quod Koph esse non potest, et tum analogia tum sententia iubente *Chet* est, quamvis imperfectum; 2) a Dutensio et Lindbergio multas figuras ad Koph referri, quae Aleph sint, v. illam litteram.

*) En duas litteras in alphabeto iuxta se positas, quae *caput* significent, Koph et Resch, et supra duas, quae *manum* repraesentent, *Jod* et *Caph*. Non male autem dixeris, *sinciput* depingere, *occiput*.

Digitized by Google

„Ex figg. 2. 3 ortum est Koph Samaritanorum, scapo sinistrorsum flexo: ex „iisdem figuris integris etiam, ni fallor, Koppa Graecorum et Φ Aethiopum. „Ad figuras autem imperfectas et defectivas no. 7. 8. 10 prope accedunt eae, „quibus Hebraei veteres et Aramaei in Aegypto utebantur, ex quibus ortum ק „scripturae quadratae.

„In scriptura Palmyrena collum plane amputatum est, ut nihil nisi occiput „reliquum sit."

§. 31.

Resch littera.

Plenae et legitimae huius litterae, cuius nomen (ריש = ראש) *caput* significat, formae hae sunt:



v. *prim.* et *sec.* quae sola colli longitudine differunt Melit. 2, 1. 3. 4. Sard. 3. Carth. 1—3. 5 ubique. 8, 1. 2. Tugg., num. Tyr. A. B. Sid. U. Marath. H. I. Heracl. A. Gad. G. *tert.* Tugg. ex apogr. Templiano; *quart.* Cit. 10, 1. 2. 23, 4, *quintam*, quae omnium longe frequentissima est, Melit. 1, 1—3. Athen. 1. 2. 3. Cit. 3, 1. 3.—11, 1. 3. 13, 1. 15, 4. 22, 2. 24, 1. 33, 5. Eryc. Marsal. vasc. Panorm. Tripol. 2, 1. 4. Numid. 7, 1. num. Tyr. C. D. F. Sid. W. X. Marath. omnes, Syrac. A. B. C. Panorm. L. Gadit. A—E. I—M. Sabrath. *sext.* Numid. 5, 1. *sept.* Cit. 1, 3. 7, 2. 17, 2. 24, 2. *oct.* Sard. 1, ut artificia quaedam lususque calligraphicos taceamus, velut in Syrac. A. B.

Vident lectores, hanc litteram eandem offerre in capitibus pingendis varietatem, quam supra in Beth et Daleth observavimus, quanquam in hac dubitari potest, utra forma antiquior et nativa sit, triangularis an rotunda. In illis enim forma triangularis iccirco origini propior videbatur, quod talis figura melius cum *tentorii* et *portae* (tentorii) imagine congruebat (§. 13. 15): in hac contra sola forma rotunda (no. 5. 6) *capitis* imaginem refert. Fortasse igitur haec ut omnium frequentissima ita etiam antiquissima est et nativa, ex qua reliquae ad exemplum similium litterarum Beth et Daleth conformatae sunt: quanquam in talibus suum quisque iudicium sequatur.

De legitimo Resch, Beth et Daleth discrimine iam supra ad has litteras dictum est (§. 13. 15). Sed non adeo facilis est harum litterarum, praecipue Resch et Daleth, distinctio: praesertim ubi non ex ipsis monumentis, sed ex apographis iudicium ferendum est, ut in inscriptionibus Citieis: neque negari potest, collum Resch litterae nonnunquam brevius esse (v. Tyr. N.), adeoque inflexum, ut Beth videri possit (v. Melit. 4, 2. Sidon. V lin. 4, Marath. C. Panorm. K cf. Kopp II, p. 202): ita ut in legendo non sola litterae figura metienda, sed verborum etiam et sententiae ratio consulenda sit. Duas praeterea alias addere placet regulas, ex quibus illud discrimen subinde iudicari potest. Ac *primum* Resch solet maioris moduli esse, Daleth minoris, v. חדר in Melit. 2, 1, גדר in numis Gadit., *dein* Resch (caput cum collo repraesentans) solet

Digitized by Google

erectum esse, Daleth (cuius figura nativa haec est △) ad sinistram inclinari (v. שרדן Sard. 3).

Capite superne aperto

9 10



Resch pingitur in solis Ciliciis (A. B. C. G) et in inscr. Oxoniensi s. Cit. 2. A tachygraphico autem studio profecta sunt haec signa, quorum caput hic illic deficit

11 12 13



(*undec.* Abd. C. F. Gad. F. *duodec.* Numid. 4, 1. *tert. dec.* Abd. D) et tandem plane evanuit (ut in similibus litterae Daleth et Beth figuris),

14

(*quart. dec.* Tyr. K. L. M. Sabrath. F).

Caeterum ipsi Phoenices experientia edocti sensisse videntur, nimis facilem esse litterarum Daleth, Beth et Resch inter se confusionem: quapropter in recentioris maxime aetatis monumentis Resch lineam habet diacriticam instar R litterae Romanorum (quam etiam in monumentis Graecis reperiri constat)

15



(v. num. Tyr. I. Iubae sen. A. B. C. Tripol. 1. Trip. 2, 1. Numid. 5, 2 in רמי, Numid. 6, 2. 4), sive haec distinctio a Phoenicibus primum inventa ad Graecos et Romanos transiit, sive ab his demum excogitata et a Phoenicibus adoptata est, quanquam prius illud magis placet *). Singularis autem in hac figura Lindbergii error (p. 49), qui eam *Beth* esse putabat.

Figuras raras et incertas ad eandem Resch litteram pertinentes habes Cit. 25, et num. Tyr. G.

„Figurae antiquissimae et primitivae no. 1. 2 et no. 5 ad Graecos et Etruscos „transierunt: cum iisdem atque Romanis Phoenices communem habent figuram 15 „ , v. supra. Sola primitiva illa triangularis (no. 1. 2) Samaritanis usitata „est in codicibus biblicis, sed alibi etiam rotunda utuntur.

„Fig. 10 capite superne aperto vulgaris est in numis hebraeis, in lapide „Carpentoractensi, et in Palmyrenis Oxoniensibus. In aliis id genus monumentis „aramaeis, ut in Blacassianis et Palmyrenis Romanis, caput magis magisque „evanuit, ut orta sit figura quadratae similis ר.

*) Apud Graecos primum est vestigium huius formae , in titulo Syracusano Olymp. 76. — Alia signorum diacriticorum vestigia, quae in litteris ד et ר apud Phoenices reperisse sibi visus est *Koppius* (I, p. 228. II, 136), inania sunt et commenticia.

Digitized by Google

§. 32.

Schin littera,

cuius figurae primariae et nativae *dentem* (שִׁן = שין) referre videntur, pariter atque Mem, in bona et legitima scriptura duo habet figurarum genera, unum in quo linea media directa transversam secat, alterum in quo non secat. Prioris generis sunt

1 2 3 4



posterioris generis

5 6 7 8 9 10 11 12 13



(v. *prim.* Cit. 2. 8, 5. Carth. 8. 9. *sec.* Melit. 1, 1. 2. 3. Heracl. A B. Panorm. H. K. *tert.* Carth. 1, 2. 2, 2. 3. 5. 3, 3. 4, 2. 5, 3. *quart.* Carth. 5, 4. *quint.* Cit. 13. *sext.* Tugg. ubique; *sept.* Athen. 2. Melit. 2 lin. 3. *oct.* Cit. 3, 3. 10, 4. 17, 1. 23, 2. *non.* Athen. 1. 2. Cit. 4. *dec.* Melit. 3. 4. Sard. *undec.* Melit. 3, 2. *duodec.* Cit. 7. 33, 6. Panorm. L. *tert. dec.* Eryc.). In his aliae caudulam habent, sed brevem, aliae nullam: aliae pluribus, duobus certe, calami ductibus pictae, aliae uno (no. 10. 12): una figura (no. 11) in duas quasi diffracta est, cf. simile Mem in eodem monumento Melit. 3, et infra §. 34, 3. Raro et singularis figura est

Cit. 8 lin. 2, sed manifesto tamen Schin.

Inter Schin et Mem duplex discrimen esse, supra (§. 24) vidimus: unum quod in caudae sive longitudine sive brevitate adeoque absentia cernitur, alterum quod ad mediam lineam attinet, quae in Schin rarius quam in Mem transversam secat (cf. not.).

Et hoc quidem discrimen religiose observatur (excepta una figura Numid. 1, 3) in scriptura Numidica, quae has habet Schin litterae figuras:

14 15 16 17 18

(*quart. dec.* Numid. 1, 1. 4. 2, 1. 3, 2. 4, 1 quater, 5, 1. 4. 6. 7, 1. 2. *quint. dec.* ib. 2, 2. 6, 3. *sext. dec.* Numid. 2, 3. *sept. dec.* num. Iubae maj. A. B. C. Iubae min. E. Numid. 7, 2. *oct. dec.* Numid. 4 lin. 3 et in numis Iubae min. in שמש). In his decima sexta eadem est, atque priores, sed alio calami ductu facta: decima septima orta est ex tertia: octava decima ex no. 13. Quomodo Poeni Numidae Schin distinxerint a Mem, optime intelligent lectores, si modo contemplentur verba, in quibus hae duae litterae copulatae sunt, velut שמע Numid. 1, 1. 2, 1. 3, 2. 4, 3. משיבעל Numid. 1, 3, משעלן Numid. 4, 2.

Schin in hac scriptura signis diacriticis carente etiam *Sin* comprehendere, non est quod moneamus. Sed Sin litterae paucissima exstant exempla, et fortasse

Digitized by Google

unicum est Tugg. lin. 3 (שר princeps). Videntur autem Phoenices pariter atque Chaldaei et Syri discriminis causa multa vocabula, quae apud Hebraeos litteram שׂ habent, Samech littera scripsisse, ut סכל *intelligens* pro שׂכל Tugg. lin. 5, סרגד (princeps fortunae) inscr. 67b et סראסר (princeps Osiridis) no. 68.

„Duplex, quem supra posuimus, canon de legitima figura Schin litterae „eiusque a Mem littera discrimine, eximie confirmatur cognatis scripturae gene- „ribus, in quibus ne una quidem nostrae litterae forma est, quae a dextra parte „caudata sit, et in qua media linea transversam secet. Contra omnes figurae ex „earum genere sunt, quas dedimus fig. 8—13.

„Fig. 8 est Schin Samaritanorum, fig. 9 exstat in Palmyr. Romanis, fig. 10, „12 in moneta Hebraeorum, fig. 13 in Aramaeis aegyptiacis et Palmyrenis. — Ex „fig. 12 ortum etiam Aethiopum Ш *Saut*, quod (sibilantibus inter se permutatis) „cum nostro ש comparandum esse recte observat Koppius (II, 350. 356). Apud „Graecos vetus *τοῦ* Sigma figura est Μ, quae non potest non ex fig. 10 „inversa orta esse.

§. 33.

Tau littera,

cuius nomen (תָּו) *signum cruciforme* significare constat, primariam et nativam habet hanc figuram



(vide Cit. 4, 1. 29, 2. Eryc. Carth. 2, 1. 4. 3, 1 [ter]. 4. Carth. 10., num. Panorm. E. Iubae min. A), unde originem duxerunt reliqua genera contractiora:



(v. *sec.* Cit. 2. Carth. 5, 1. 4. 5. Carth. 8. 9., num. Panorm. F. G. H. L. Heracl. B. Ting. D. N. a. b. *tert.* Syrac. A. B. Pan. B. (cf. Cit. 2 lin. 3). *quart.* Tugg. *quint.* Cit. 29, 2. *sext.* Melit. 2, 1. 2. 3. Athen. 1 ter, 2, 1. Cit. 2, 2. 3. Tripol. 2, 3., num. Sid. U. W. X. Heracl. A. Panorm. C. D. Cilic. A—E. *sept.* num. Ting. A. B. H. I. K. *oct. non.* Melit. 1. Athen. 3. Cit. 31, 2. 3. 32, 2., num. Sid. T. V. Marath. omnes, Gadit. B. H. Iubae iun. C. *dec. undec.* Athen. 2, 2 bis. Cit. 24, 1. num. Sig.).

Scripturae Numidicae figurae (quae partim etiam in Hispanicis et in Sardica comparent) modo pleniores sunt, ut



Digitized by Google

quae *secundam* figuram imitantur, modo defectivae et a *sexta* vel *decima* profectae:

17 18 19 20 21 22



(v. *duod. tert.* et *quart. dec.* Numid. 2, 2. 3, 2. 4, 3 in קלח. Tripol. 2, 2 ter., num. Malac. A. D. F. *quint. dec.* Sard. 1. 6. Numid. 1, 2. 3, 2. 5, 2., num. Iubae min. L. *sext. dec.* Numid. 4, 2., num. Iubae min. B. *sept. dec.* Numid. 1, 3. 4, 2. 6, 2—5. 7, 1., num. Iubae maj. A. B. C. Sabr. E. *oct. dec.* et *non. dec.* Num. 1, 2. Tripol. 1 bis, 2, 4 bis, Belo F, Fb. Sig. D. Sabrathae in plerisque. *vic.* Numid. 5, 1. *vic. prim.* Gad. I. K. Belo A. *vic. sec.* Numid. 4, 2. Gad. M. Ting. O. Abder. Belo B. C. E. H. Abder. A—G. Sabr. D. Sigae B. C.

In harum figurarum numero sunt, quae etiam alias potestates admittant, velut no. 12—14 ab *Aleph* Numidico non discernendae, et no. 15, quae etiam *Mem* est. Sed ubicunque tales litterae, quae iisdem figuris pingi potuissent, iuxta se positae apparent, ut את, una hac altera alia figura pingitur, vide את Tripol. 2, 3, בריאת ibid. lin. 4. et ita semper.

„Vetustissimam figuram cruciformem (†) adoptarunt Hebraei in moneta et „Aethiopes: quorum priores etiam hanc habent (X) ortam ex fig. 2 cf. fig. 15.

„Apud Graecos et Etruscos superior pars figurae periit, unde ortum T vulgare.

„Figurae a sinistra parte mancae, ut no. 6—9, placuerunt Aramaeis aegyptiacis „et Palmyrenis, a quibus profectum est ת quadratum. Tau Samaritanorum quomodo „ortum sit, facillime perspicitur ex figura alphabeti Akerbladiani; constat enim „ex scapo cum uncino ad dextram sursum flexo: scapus vero symmetriae causae, „ne ultra versum descendat, brevius pictus est."

§. 34.

1. Praeter eas, quas modo illustravimus, litterarum figuras in monumentorum apographis potius quam in monumentis ipsis, hic illic reperiuntur figurae *obscurae et incertae*, quae partim insolito modo exaratae, partim in monumentis male conservatae (v. Athen. 1 lin. 1), partim male descriptae esse videntur (Cit. 1 lin. 2.—19. 29. 33, 1. 2 et saepius etiam in Erycina). De aliis coniecturas nostras in commentariis propositurі unam h. l. memoramus, quae in numis Sidoniis Y. Z. AA. BB. inter litteras solitarias est, et de cuius fide dubitari vix potest:

Videant autem viri docti, sitne ea Aleph, cuius similis figura in Etruscis et Celtibericis habetur.

2. De litteris *inversis* egimus ad numum Panormitanum I, v. infra lib. III, no. IX, 3 cf. §. 41.

3. Nonnunquam litterae quaedam ita exaratae reperiuntur, ut singulae earum partes non cohaereant et a lectoribus facile pro duabus litteris haberi possint, maxime in

Digitized by Google

apographis minus accuratis. Vide *Chet* et *Samech* Melit. 1, 2, *Chet* Cit. 15, 1. 3, *Zade* Cit. 20, 1 (in מצבת), maxime *Mem* et *Schin* Melit. 3, 1. 2, in quibus legendis revera lapsus est Hamakerus. Eiusdem rei exempla in antiquis titulis graecis reperiuntur, velut *Eta (H)* in Corp. inscr. T. 1 no. 1 eodem modo fractum atque phoenicium pingi solet, quod vix restituere debebat Boeckhius, *Gamma*, *Epsilon*, *Sigma* ibid. no. 11, et *Mῦ* in numis Emesenis (Pellerin rois et peuples, tab. 16). Quod vero antiquiore tempore rarum erat et quasi illegitimum, id labente aetate legitimum factum est, certe in littera *Chet*, quam in Numidica scriptura, et subinde iam prius, vel duabus vel tribus lineis non cohaerentibus pictam esse vidimus (§. 19).

4. Peculiares *litterarum finalium* formae in scriptura vetere Phoenicia nullae exstant: nec facile oriri poterant in verbis continua plerumque serie scriptis (v. §. 53, 2). Quod enim Lindbergius (p. 16) Nun finale animadvertisse sibi visus est, iam supra refellimus ad Jod litteram (§. 21); Mem autem finale, quod idem laudat duce Koppio, est in monumento Hebraeo, non Phoenicio. Possunt autem huc referri litterae *Lamed* et *Nun* in scriptura Numidica extremis vocibus partim longius pictae, v. בעל Numid. 1, 3. 4. 4, 1 extr., בן 1, 3. 4, quanquam hoc alibi neglectum, v. משעלן Num. 4, 2 extr.

5. Ubi unius litterae plures formae usitatae sunt (id quod in plurimis usu venit), plerumque sibi constare solent singula monumenta, ita ut eadem littera ubique eodem fere modo exarata sit. Sic in numis Ciliciis litterae Beth et Resch capita habent angularia superne aperta: in inscr. Oxoniensi omnes litterae capitatae et rotundae angulares sunt et saepe superne apertae: in Carthaginensibus 1—4. 5 Ain superne apertum est, Beth, Daleth, Resch triangularia, Tau constanter 𐤕, Mem 𐤌, Schin 𐤔: in Tuggensi Ain constanter 𐤏, Schin 𐤌, Mem 𐤍 cet., quam ipsam ob causam alphabeta ex singulis quibusdam monumentis magno cum fructu concinnantur. Sed contra fuerunt etiam calligraphi et statuarii, qui in figurarum varietate elegantiam quandam captarent, pluresque unius litterae figuras in eodem titulo admitterent. Sic in Melit. prima A Aleph ubique pingitur 𐤀, in eadem B modo ita, modo ⅄: in Melit. 2 Koph duobus, in Athen. 1 Mem tribus modis scribitur; maxima autem varietas est in Erycina, quae praeter vulgares multarum litterarum formas etiam insolitas quasdam et peregrinas habet.

§. 35.

De Numidica scriptura separatim.

Numidarum litteras easdem fere fuisse atque Punicas, vel ex nobilissimo Ciceronis loco (in Verrem act. II, 4 c. 46) discere poterant eruditi, quo Masinissae titulus quidam memoratur *Punicis litteris* ebori inscriptus, collatis Valerii Maximi verbis (1, 1) qui pro „*punicis litteris*“ „*gentis suae* (i. e. numidicae) *litteris*“ *) scribit. Quum vero plures monumentorum Numidicorum, ac maxime quidem numis-

*) Utrumque locum plenius exscriptum v. infra lib. II. post init.

Digitized by Google

matum, litteras a vulgaribus Punicis diversas esse viderent viri docti, et propterea epigraphas illas legere non possent, mira (ut fieri solet, ubi omnes caecutiunt) orta est opinionum discordia, aliique litteras Numidicas easdem esse atque Punicas affirmarunt, alii negarunt *): alii linguam certe Numidicam a Punica differre existimarunt **).

Nobis, postquam singulorum huius scripturae elementorum rationem eorumque cum Phoeniciis modo convenientiam modo discrepantiam supra copiosius exposuimus, nunc quidem nonnulla de hoc scripturae genere seorsum addere placet, ad quod explicandum qua via adducti simus, in commentatione supra (p. 8) citata exposuimus.

Non dubitamus enim fore, qui alphabetis nostris perlustratis mirum sane et singulare illud scripturae genus dicant, in quo quinque litterae *(Beth, Daleth, Lamed, Nun, Tau)* una lineola recta modo breviore modo longiore indicentur, aliaeque etiam figurae plures potestates habeant (cf. *Aleph* et *Tau, Mem* et *Tau)*; quique talem scripturam et olim legi potuisse et nunc probabiliter legi posse negent ac pernegent. Horum dubitationibus ut occurramus, duo potissimum nobis observanda sunt:

---

*) Eckhelius in doctr. num. IV, p. 154 de numis Jubae: „*Literas epigraphes, cuius hactenus explicatum nemo reperit, Punicas plerique statuunt, sed forte rectius putandae sunt Numidicae a Punicis distinctae, quod iam opinatus est Pellerinius* (Rec. III, p. 150. Melanges I, 143)." Vaterus (*Mithridates* III, p. 47): „*Dass die Numidier auch eigenthümliche Buchstabenzeichen hatten, erhellt aus* Val. Max. I, 1." Koppius (*Bilder und Schriften* II, 106): „*Da nun nicht alle semitische Schriften auch semitische Sprachen zum Gegenstande haben, so bleibt immer eine Ungewissheit bei denen, welche man zwar vor Augen hat, aber wegen mangelhafter Kenntniss der Sprache nicht mit Sicherheit lesen kann. Hieher gehört die numidische Schrift auf den Münzen. Denn wenn gleich* Valerius Maximus (I, 1. p. 12) *durch den Ausdruck* „insculpta gentis suae literis" — *eine eigene Schriftart anzudeuten scheint: so war sie doch höchst wahrscheinlich semitischer Abkunft, zumal da Cicero statt* gentis suae *sagt* punicis literis inscriptum. *Allein alle bisherige Versuche, jene Münzschriften zu erklären, sind an dem Mangel der Sprachkenntniss (?) gescheitert.*" Falbius (ex schedis Lindbergii) de inscriptione Numidica *secunda* verba faciens: „*Un dessin de oe cippe, tracé avec la plus scrupuleuse exactitude ..... est digne de l'attention des paléographes, et les engagera sans doute à se livrer à leur tour aux recherches, qui pourroient jetter quelque lumière sur cette partie encore inconnue de la science. Si la langue dont on s'est servi dans cette inscription est numidique, et que, comme on peut aisément se le figurer, elle soit différente du Punique, de la même manière, que ces nouveaux caractères diffèrent de l'alphabet carthaginois, il est à craindre, que tous les essais à venir ne soient encore infructueux.*" Ipse tamen paulo post recte observat, idem litterarum genus esse in numis Jubae et in duabus inscriptionibus Hamakerianis.

**) Praeter Koppium et Falbium (vide not. praec.) ita Mannertus (*Geogr. der Alten* X, b, p. 197): „*die phönizische Sprache, welche die Numidier nicht redeten, ob sie gleich einzelne Ausdrücke von den Karthaginensern mögen angenommen haben.*" Hamaker. Miscell. p. 79 de inscriptione Tripol. 2 loquens „*saepe*, inquit, *et multum haesimus dubitantes utrum Numidica ista verba forent, an Punica.*" Muenterus de ecclesiae afric. primordiis p. 17: „*propriam Numidis fuisse linguam, praeter locum Sallustii mox laudatum* [Jug. 77] *testem quoque habemus* Val. Max. I, 1, *de dentibus elephanti templo Iunonis Melitensis a Masinissa restitutis, gentis suae literis inscriptis narrantem,*" qui quidem locus supra iam tractatus ad *linguam* prorsus non refertur. Maiore iure Münterus et *Vaterus* (Mithridates III, p. 47) ad Sallustii locum provocare poterant: in quo tamen nescio an Numidae veteres Africae incolae s. Libyes intelligantur (v. p. 12 not.).

Digitized by Google

Ac *primum* quidem si qui forte mirentur et ineptum censeant atque inauditum, idem signum plures litteras significare posse, hi unum illud reputent, hoc scripturae genus non primarium esse et nativum (in quo tale quid accidere non poterat), sed secundarium et degeneratum, omnesque illas litteras, quae nunc tachygraphorum negligentia in meram lineam directam vel in signum cruciforme reciderunt, olim plenius fuisse pictas et a se invicem probe discretas. Ita vidimus | = *Beth* sensim ortum esse ex), idque ex 9 , | = *Nun* ex 𐤍 , | = *Lamed* ex 𐤋 , | = *Tau* ex 𐤕 , idque ex 𐤕 . *Eadem* prorsus *ratio est* alphabeti cufici, in quo similiter quinque litterae (Beth, Je, Nun, The, Thse) eandem figuram habent: non quasi sic inventae sint, sed quia quinque litterae scripturae veteris Syrae Estrangelo dictae (unde cuficam scripturam ortam esse constat) a scribis Arabum in hanc unam et simplicissimam figuram contractae sunt*). Item res se habet de scriptura Sassanidarum in numismatis**), adeoque de scriptura nostra germanica cursiva, in qua ⁓ est *N* ortum ex lat. *n*, et *U* ortum ex *u*, postea demum signo diacritico (⁓̆) distincta: cuiusmodi signis diacriticis etiam Arabes postea has litteras in Nischi scriptura discrevisse (ب, ي, ن, ت, ث) satis constat.

Deinde ad eiusdem scripturae cuficae rationem eos remittere possimus, qui nimiae et paene inauditae ambiguitatis hoc scripturae genus accusent. Sed profecto non multo maior est huius quam phoeniciae vulgaris difficultas, modo hoc teneant, qui talia monumenta legere volent, non in singulis tantum elementis haerendum esse, quae saepe ambigua sunt, sed, ut in scriptura aegyptiaca enchoria, ut in codicibus arabicis graecisque negligenter scriptis, id agendum, ut integra statim vocabula, formulas, signorumque quasi symplegmata (quorum plura in his monumentis identidem recurrunt) oculis et mente comprehendant, quo facto demum singulorum elementorum potestas accuratius definiri potest. Accedit quod vocabula admodum obvia et usu trita tachygraphorum more quasi per compendium multoque negligentius scripta esse solent, quam reliqua, maxime nomina propria:

V. c.

𐤀𐤃𐤍 et | 𐤀𐤃 = אדן (dominus) Num. 1, 1. 2. 2, 1 2. 3, 1. 4, 2. 3. 5, 1 (bis). Trip. 2, 4.

---

*) Vide scripturam cuficam cum Estrangelo comparatam in tabula ab Hupfeldio delineata, in Ewaldi gramm. arab. T. 1.

**) Vide §. 54. De Sacy de his litteris (apud Mionnetum, Recueil des planches p. 6) ita: *Dans les médailles*, inquit, *plusieurs lettres reduites presqu' à un seul trait perpendiculaire perdent leurs formes caracteristiques, et se confondent les unes avec les autres.* Et revera *sex* litteras (He, Waw, Zain, Jod, Lamed, Resch) ita in simplicem lineolam contractas esse monstrabit tab. nostra quinta. — Quid quod? adeo Aleph, littera ex multis lineis composita, in scriptura Peschito et Nischi tandem in unam lineam perpendicularem recidit, quod quomodo sensim factum sit, vide apud *Koppium* II, p 377.

Digitized by Google

 = בן (filius) 1, 3. 4. 2, 2. 3.

= בעל (dominus, Baal) 1, 1. et in app. bis. 2, 1. 3. 3, 1. 4, 1. 5, 1. Trip. 2, 1.

= id. 1, 3. 4. 2, 2. 3. 4, 2.

= חמן (חַמָּן deus Solaris) 1, 1.

 = כמן id. 2, 1. 3, 1. 4, 3.

= מכת (i. q. מלכת imperium) 1, 2. 5, 1. 4, 2.

 = קלת (voces, preces) 1, 2. 2, 2. 3, 2. 4, 3. Trip. 2, 2.

Adde quae de litteris ligatis scribendique compendiis statim observabimus §. 36. 37. Ceterum ex his ipsis consequitur, in talibus legendis sola palaeographiae cognitione nihil effici, nisi magna quaedam linguae exercitatio accedat: neque mirum est, viros, qui illam solam tenerent linguarum cognitione minus imbuti in talibus legendis non magis profecisse, quam in Cuficis, in Arabicis Graecisque vulgaribus et in Aegyptiacis legendis.

§. 36.

De litteris connexis.

Litterarum connexarum, quae in solis fere numis Tyriis, in inscriptionibus Citieis et in quibusdam Numidicis, omnino raro, occurrunt, duplex est ratio. In aliis enim duae litterae connexae integrae manserunt, ut in צר num. Tyr. E, incert. Phoen. E, אב Cit. 13, 2, עם gemm. Clark. no. 45, ים Tugg. Templ. lin. 1. 3. הי ibid. lin. 5: in aliis contra utraque littera ita in unum tanquam symplegma coaluit, ut vel unius vel alterius lineae quaedam perierint, illudque symplegma unius tantum litterae spatium occupet, velut Cit. 3, 3 = למ, cf. לע ibid., שא Cit. 26, 2, צב Cit. 10, 1. יס 23, 3, נ 18, lin. 3, עצ (vulgo עץ) 23, 2, עי 12, 2. ום 18, 1. שנ 13 extr. Trium litterarum (קבר) symplegma esse videtur Cit. 26, 3.

Digitized by Google

Causa autem litterarum ita ligatarum partim in quodam statuariorum lusu studioque calligraphico magis quam tachygraphico partim in spatii angustiis quaerenda videtur. Ad tachygraphiam vero pertinere videntur huius generis ligaturae in Numidicis obviae, ut  filius Numid. 1, 3 et app. 4, 2 (cf. 4, 1).

Ceterum nonnullas figuras, quas ex pluribus ligatas esse statuunt, equidem simplices habere malim (v. ad Cit. 8, 4): nonnunquam etiam in apographis eiusmodi litterarum connexio reperitur, ubi in monumento ipso nulla est, velut Melit. 1, lin. 4, ubi litterae יב in apographis Barthelemyi, Swintonis, Bayeri connexae sunt, in ipso monumento non sunt.

„Litterae inter se connexae hic illic etiam in scriptura Graecorum (v. maxime „monogrammata numismatum), Romanorum, Etruscorum (v. Passeri Museo Etrusco „T. III. p. 87. Lanci Saggio 1, p. 220), Aramaeorum in Aegypto (v. fragm. Turi„nense, apud nos no. 73), adeoque in codd. hebraeis scriptura quadrata scriptis „obviae sunt (v. Kall de codd. hebr. p. 15). Frequentiores etiam hi nexus sunt „in Palmyrenis, quanquam non in omnibus monumentis (§. 53, 2). Tandem in „scriptura Syra recentiore, velut Estrangelo, in Zabica, Peschito, Nischi si non „omnes, certe plerasque litteras inter se nectere consueverunt.“

§. 37.

De notis siglisque.

Paucas quasdam notas siglasque, velut שת in numis Marathensibus aliisque Phoeniciae incertis, in scriptura Phoenicum iam diu agnoverunt Palaeographi. At multo latius patet haec per compendia scribendi consuetudo, quae apud Phoenices haud multo minus quam apud Graecos et Romanos viguisse videtur, nobisque in titulis obscuris legendis nihil maiori usui fuit et adiumento, quam semel observata haec compendia v. c. ע pro עבדך *servus tuus* i. e. ego.

Plura autem sunt harum notarum genera. Atque in plerisque quidem littera initialis pro integro vocabulo ponitur, ut ע pro עבדך; in aliis, sed rarius, duae adhibentur litterae initiales, ut נץ pro נציב, vel initialis cum finali, ut שת pro שנת (anno). Passim etiam duae tresve litterae totidem integra vocabula significantes componuntur, ut מע = מלך עלם, quae quidem ratio in compendiis Rabbinorum ראשי תיבות dictis longe frequentissima est. In uno exemplo (כ pro מלך) etiam finalis littera pro integro vocabulo ponitur, ut apud Arabes, v. c. ن pro بلد urbs, ة pro قرية vicus, ع pro موضع locus.

En indicem litterarum, quae integrorum vocabulorum notae vel sunt vel esse videntur:

א pro אבן *lapis* Cit. 3, 1.

א pro אש (vir) v. אע.

אבע fortasse pro אבעלינים (pater Superorum) n. pr. Cit. 5, 2.

אע pro אש עבדך יגע *vir servus tuus fessus* i. e. ego vir aetate fessus s. senex. Cit. 33, 3. 4, ubi vide.

Digitized by Google

ב pro בעל, inde

בסם pro בעל טעם *praefectus provinciae*, Numid. 3, 3.

ג pro גדל, v. כג.

י fortasse pro יעץ Cit 8, 1.

כ pro מלך, inde כע pro מלך עלם *rex aeternus*, epith. Baalis Numid. 1, 1, quod plenius scribitur מלך ע׳ 2, 1. 3, 1.

כ pro כהן *sacerdos*, unde כג = כהן גדל *sacerdos magnus* (ex alia lectione אג = אדן גדל dominus magnus) num. Cilic. A.

מ pro מצבת *cippus* Cit. 25, 1. 32, 1.

מ fort. מלך *rex* Numid. 2, 3 (ubi vide).

מח pro מחנת *Panormus*, unde מחשרם pro מחנת שרם Panormus Romana, num. Panorm. K.

מע fort. מלך עלם num. Jubae min. L.

מך pro מלך *rex* Tugg. lin. 1. 3.

נ pro נציב *cippus* Cit. 11, 2.

נץ — — — Cit. 8, 1.

ע pro עבדך *servus tuus* (o Baal) i. e. *ego*, quam formulam nominibus suis apponere solent titulorum auctores. Cit. 11, 1. Numid. 3, 3. 4, 1. 2. 6, 2. 7, 1. Trip. 2, 3, conf. eandem vocem in eadem sententia plene scriptam Melit. 1, 2. Cit. 7, 2.

ע pro עלם *aeternitas*, in מלך ע׳ rex aeternus Num. 2, 1. 3, 1.

עע pro עבד עליונים *servus Superorum* i. e. vir pius Cit. 7, 3.

ש pro שר *princeps* Cit. 8, 5.

ש fort. pro שלם *pax* Cit. 33.

שת pro שנת *anno*, in numis Marathensibus et in incertis Phoenices.

Alia eiusmodi compendia, sed minus certae explicationis, quam quae in hunc indicem reciperentur, vide in numo Sidonio T. et passim alibi.

§. 38.

De verborum distinctione.

Antiquitus et plerumque Phoenices, pariter atque Graeci antiquissimi, sine ulla verborum distinctione continua serie scribebant et sero demum vel proprio usu vel Graecorum exemplo edocti, quanta esset indivisae scripturae ambiguitas et quam egregium facilius certiusque legendi adminiculum inesset in verbis distinctis, quum de aliis ambiguitatis tollendae subsidiis circumspicere, tum singula verba vel punctis interiectis vel spatiis relictis dispescere coeperunt. Qua quidem in re observari potest quaedam per gradus processio.

1. Ac *primum* quidem plerique iique ut videtur antiquissimi tituli sine ulla verborum distinctione scripti sunt: statuarii adeo elegantiae et symmetriae cuiusdam magis quam perspicuitatis studiosi, ubicunque versus ad finem vergens integrum quoddam verbum non capiebat, tot eius litteras in primo versu ponebant, quot spatium admittebat, reliquas in alterum versum transferebant id unice caventes, ne spatio vacuo

Digitized by Google

in extremis versibus relicto aequalitas turbaretur, interdum adeo quandam in litterarum numero convenientiam affectantes (Melit. 3). Ita Melit. 2. Cit. 7. 8. 10. 14. 15. 17. 18. 20. 23. 24. 26. 29—31. 33. Sard. Marsal. Carth. 1—3. 5. 8. 9.

2. Paullo magis perspicuitati adiuvandae tollendaeque ambiguitati prospectum est ab iis, qui verborum divisionem et fracturam magis quam inaequalem litterarum numerum reformidantes, ubi versus integrum verbum non capiebat, spatio in extrema parte relicto integrum et indivisum verbum secundo versui reservabant. Ita factum in Melit. 1, in Athen. 1. 2. Cit. 3. 4. 12. 22, in Erycina, in Numidica 1—4, in numis Sidoniis T, numis Jubae maioris. Vide prae ceteris duplex tituli primi Melitensis exemplum, in quorum priore (nunc Parisiensi) verba עבדך, שן בן, קלם ab initio versus secundi, tertii, quarti, in posteriore (etiamnunc Melitensi) iam versu primo, secundo, tertio exeunte comparent, in neutro fracta sunt, quod consulto evitavit statuarius.

3. Mox alia quaedam, licet parva, legendi adminicula excogitata sunt:

a) *puncta* aliave distinctionis signa *sententiis interiecta.* Ita Cit. 3, 1 punctum ponitur post (בן) מצבת א, Cit. 8, 2 signum distinctionis (⟍•) post nomen sepulti.

b) *nomina propria* hominum distinctionis causa *punctis inclusa.* Ita in Cit. 15 nomen proprium חר בן עבדא, Cit. 23 (ex apogr. Porteri) n. pr. אעבדא*), prae ceteris autem in Sardica, ubi lin. 6. 7 nomen proprium sepulti בנרש בן נגר ita signatum est, ut punctum in *mediam* litteram initialem et finalem (ב et ד) immissum sit.

c) *nomina propria* etiam ita notata, ut *singulis eorum litteris punctum appositum sit.* Vide nomen לכח inscr. Tripol. 2, lin. 4, et Cit. 25 (fortasse etiam numos incertos Sid. U—X), collata Aegyptiorum et Sinensium nomina propria marginibus includendi consuetudine.

4. Tandem singulas *voces distinguere* coeptum est, idque

a) *punctis*, ut in titulo Citiensi secundo, in Tuggensi ex apographo Templii (no. 56) et Tripolitano secundo (no. 65): ita tamen ut inter voces arctius connexas, certe minores, interpungi non soleret. Vide ad Cit. 2 et Tugg. no. 56.

b) *spatiis interiectis*, ut in Athen. 3, Numid. 5, Tripol. 1, gemma Clarkii (no. 45), in numo Syracusano B (באר את), numis Sabrathae et Sigae: quo etiam pertinent omnes numorum epigraphae in quibus bina verba in binas lineas dispertita sunt, ut in Gaditanis

בעלת מבעל
הגדר אגדר

in numis Jubae min. D. E., Vaccae al. Ceterum in nonnullis haec vocum distinctio sibi non satis constat, v. c. in Tripol. 1, ubi singulis verbis spatia interiecta sunt, sed verba רסקם sine spatio copulata: cuius inconstantiae causa in rei novitate legibus nondum satis adstricta et in quadam eorum populorum ἀγραμματίᾳ quaerenda videtur **).

* * *

*) In Pocockii apographo alia quoque reperiuntur puncta male posita Cit. 5, 1. 14, 1. 2, quae sana esse non possunt.

**) Eodem modo de scriptura Etrusca iudicat Odofr. Müllerus (*die Etrusker* II, 315): „*Die Interpunction ist so inconstant als möglich: auf der-*

Digitized by Google

5. Facilius, quam illis distinguendi signis, Phoenices caruissent signis quibusdam ab initio et fine titulorum, subinde etiam singulorum versuum obviis, partim ornamenti partim spatii explendi causa positis, vide Cit. 3 init. 7. 8 extr. 14. 22 extr. 23 init. 29 (cf. Kopp B. und Schr. 1, 225, qui recte iam eadem signa in inscriptionibus Romanis reperiri observavit), Cit. 33 lin. 4. 5, et fort. Numid. 2 extr. Molesta adeo huius generis signa, quippe quae cum litteris Sain et Zade facile confundi possint et saepius iam ab interpretibus confusa sint. Idem de aliis quibusdam ornamentis finalibus dicendum est v. c. in vase Panormitano (no. 43), Cit. 29 ab interpretibus perperam in litterarum numerum relatis, cf. etiam Cit. 10. 27. 32. 33.

„De Graecis vetustis modo indivisa scriptura modo singulis binis ternisve „punctis utentibus v. infra §. 48. De Etruscis modo dictum not. **)."

„Praeter hos *indivisa scriptura* nunquam non utuntur veteres Hebraei in „numis, Palmyreni, Persae in monumentis Sassanidarum."

„Verba *spatiis* distingui solebant in scriptura aramaea aegyptiaca et in quadrata."

„*Singulis punctis* utebantur veteres Romani (§. 49, 5) et Samaritani, *binis* „*punctis* Aethiopes (cf. Kopp. §. 77—80)."

§. 39.

Num signa vocalia habuerint Phoenices.

Signorum vocalium ne minimum quidem vestigium in monumentis phoeniciis reperitur. Quod enim olim in titulis quibusdam Melitensibus apud Castellum eius generis signa animadvertisse mihi visus eram (hist. ling. hebr. p. 184), id nunc mihi retractandum est, quum illa apographa fide prorsus indigna sint (v. lib. 2. post inscr. 4): neque magis audiendus Lindbergius (de numis Sextorum p. 31), qui disiecta quaedam litterae fractae membra in numo sive Sextano sive Tingitano vocalium signa esse suspicabatur.

Lineae diacriticae vero ad vocalium defectum quodammodo resarciendum excogitatae exemplum, licet unicum, exstat in inscriptione Carthag. 8. lin. 1 ubi vide.

§. 40.

De defectiva scribendi ratione apud Phoenices usitata.

Signorum autem vocalium (quorum inventio recentioris quam ipsa novissima monumenta phoenicia aetatis esse videtur) usum quomodo a Phoenicibus exspectes, qui ne eo quidem vocalium indicandorum subsidio, quod in litteris quiescentibus ו et י habebant Hebraei sine punctis scribentes, uti solebant, quam parcissime certe utebantur, et litteraturam habebant meris consonantibus constantem? Qui quidem locus quamvis ad

---

selben, sonst gut geschriebenen Perusinischen Inschrift sind die Worte oft durch Puncte von einander getrennt, oft nicht: und in den Aufschriften auf Todtenkisten werden oft Worte durch Interpunction zerrissen. Kurz diese Inschriften beweisen deutlich, dass die Tusker kein literates Volk waren, wie die Athener des Pericles u. s. w. Cf. Lanzi Saggio di lingua etrusca I, 281."

Digitized by Google

grammaticae partem orthographicam pertinere videatur, tamen iam hoc loco mihi tractandus videtur, ut quaecunque ad Phoenicia recte legenda faciant, hoc capite comprehendamus: praesertim quum in hac litterarum quiescentium omissione praecipua quaedam ambiguitatis causa et haud minimum Phoenicia recte legendi impedimentum situm sit.

Sed agite iam de singulis litteris אהוי seorsum videamus.

1. Ac primum *Aleph in mediis vocibus* omittitur, ubicunque illud quiescit; servatur, ubicunque mobile est et consonam agit. Ita constanter omittitur in רש pro ראש *caput* *), ברי n. pr. (pro בְּאֵרִי *fontanus*), cf. in V. T. רמים pro ראמים Ps. 22, 22; רשית pro ראשית Deut. 11, 12; sed ponitur in באר *fons* (hebr. בְּאֵר) cf. באר את in num. Syracus., in מאת (מְאַת) *centum*, תאם (תְּאוֹם) *gemellus* n. pr., תאר (תֹּאַר) *species*. Semel poni videtur ad vocalem graecam *A* exprimendam in לאדכא *Laodicea*, sed hoc potius pronunciandum לְאֹדְכָא *L^{a}odica*, quanquam etiam Arabes scribunt لاذقية. Singulare quoddam exemplum est בחאיי *in vita mea* Cit. 3, 1, ubi א adeo pro a brevi ponitur, quod vix admittendum esse censeres, nisi scriptura ibi ita esset perspicua, ut mutare quicquam religio fuerit.

In fine א quiescens apud Phoenices paullo usitatius est quam apud Hebraeos, et etiam pro ה fem. gen. ponitur (cf. no. 4).

2. *Vav* praeter unicum quoddam exemplum constanter omittitur, ubicunque quiescit:

a. in *mediis vocabulis*, ut עלם *aeternitas*, שלם *pax*, אדן *dominus*, הא *is*, צדן *Sidon*, מקם *locus*, קלת *voces*, אבת *patres*, נחם *Nahumus*, מלכת *regnum*, רח *spiritus*, ne eius generis exempla memorem, in quibus etiam Hebraei ו saepe omittunt, ut ספר *scriba*, יצר *figulus*, שפם *iudex*, *sufes*.

b. in *extremis*, לאדנן (pro לַאֲדֹנֵינוּ) *domino nostro* Melit. 1, 1, מלכתן *imperium nostrum* Sard. lin. 5. 6. num. Iubae mai. B. C, כבאדו (pro כְּבֹאֲדוֹ) *quum intrasset* Tugg. lin. 5. Unicum illud exemplum est n. pr. מחובעל (מְחוּבַעַל vir Baalis) Numid. 7, 2.

3. *Jod* servatur, ubicunque mobile est, et propterea etiam in suffixo ־ִי, ut hac quoque re refellantur, qui veras diphthongos Hebraeis tribuunt. Sic בחיי (בְּחַיַּי) *in vita mea* Cit. 2, 2, דברי (דְּבָרַי) *verba mea* Melit. 3, 6, cf. etiam חילא (חַיְלָא more aramaeo) Cit. 8, 3.

Praeterea ad Jod mobile quodammodo referri potest ־ִי terminatio gentiliciorum et patronymicorum (arab. ـِيّ), in feminino ־ִיָּה, apud Phoenices propterea constanter plene scripta, ut צדני *Sidonius* Athen. 1, 2, כתי *Cittiensis* Athen. 2, 2, חחי id. Cit. 33, 5, לבי *Libys* Numid. 5, 2, רמי *Romanus* ibid. (dubium est ערב pro ערבי *Arabs* Cit. 12, 2), et eodem modo iudicandum אי *insula*, in אי בנם (insula filiorum), עי *ruina*, quae arabice scriberentur إِيّ, عِيّ, ut زِيّ.

Ubi *Jod quiescit*, sive î pronunciandum sive ê (־ִי, ־ֵי), vulgo omittitur, sed non eadem constantia atque Vav.

---

*) Singulos inscriptionum numorumque locos non laudamus, quum facile inveniri possint in indice, quem concinnavimus lib. IV, cap. 2.

Digitized by Google

a. in *mediis vocibus* omittitur v. c. צרן (צִידוֹן) *Sidon*, נגד (נָגִיד) *princeps* Sard., אש *vir* persaepe (pro אִישׁ), תנת *Tanith*, Tanaïtis, בת (pro בַּיִת) *domus* in statu constructo, praecipue in plurali masc. חים (pro חַיִּים) *vita*, עבדסמ (cultor equorum) n. pr., צדנם *Sidonii* *), אי בנם (insula filiorum) Cossyra; כתן *Citii*, שרדן *Sardi*, et ubi Hebraei Jod compaginis inserunt, quod Phoenices etiam pronunciando exprimunt, ut חנבעל *Hannibal*. Contra reperiuntur exempla, in quibus Jod quiescens scriptum exstat, neque solum in deterioris aetatis monumentis v. c. אחיק *sinus* Eryc. 4, שמיר *adamas* Tugg. 6, בריאת n. pr. Tripol. 2, 4, בילת num. Sig., sed etiam in antiquo quodam, velut עין *oculus* st. constr., in num. Cilic. F. — Eadem inconstantia est in verbis compositis, ubi י in fine prioris partis modo reticetur modo ponitur, ut אשר מלכתך pro אשרי מלכתך (beatum regnum tuum) Cit. 24, מעשנתן pro מעשינתן, sed מעשיבעל, מעשילים, משיבעל.

b. in *extremis vocibus* diversae formae distinguendae sunt. Ac primum

α) *Suffixum primae pers. sing.* paene constanter *plene* scribitur, אחי *frater meus* Melit. 1, 2, אבי *pater meus* Cit. 3, 2. 23, 3, אמי *mater mea* Tugg. 6, מזרי *sidus meum* num. Cilic. G., נחתי *quies mea* Cit. 2, 2. Contra tamen את (pro אִתִּי) *mecum* Cit. 2, 2. 29, 2.

β) Eodem modo *Affirmativum* 1 pers. sing. plene scribitur, שתי *posui* Cit. 2, 3.

γ) *Defective* scriptum אנך (pro אנכי) *ego* Cit. 2, 1. 3, 1, רו pro רוי *irrigatio*, *pluvia* Cit. 22, 2, למ pro למי *ei quae* Cit. 2, 2, et

δ) constanter ita *plur. cstr.* in ..., ut בן pro שני בני *duo filii* Melit. 1, 3, מבעל pro מבעלי *a civibus*, num. Gadit. Ting., fortasse בעל pro בעלי *cives* num. Tars. Vides aliquam in his inesse constantiam, et plerumque servatum esse Jod finale, ubi ad formam indicandam necessarium erat (cf. α. β): sed neque ubique positum esse, ubi eo opus fuisset, neque satis constanter in singulis formis, docent exempla litt. α. δ. laudata.

4. Plane singularis ratio est *He* litterae, quam extremis vocibus *mobilem* in Phoeniciis me usquam deprehendere non memini, quum pro ־ָה, feminei sexus indice, vel ת scribant (שנת *annus*, מאת *centum*, איה *insula*) vel א (עבדא, בעלא, איא) **), passim etiam feminei sexus notam plane omittant, ut ימנאת pro ימנא אתי *consuevit mecum* Cit. 2, 2, יסד pro יסדה Cit. 23. Eodem modo ־ָה sub finem vocabulorum omissum, velut in מרפ pro מרפה *remissio* Melit. 2, 3, adeoque ־ָה mobile in א mutatum, v. כלא pro כֻּלָּה *omnis ea* Cit. 2, 2.

Ex his autem, quae modo exposuimus, facile intelligent docti harum rerum arbitri, quomodo in utramque partem in hoc argumento diiudicando peccatum sit ab O. G. Tychsenio et Koppio ***). Ille enim, etsi in universum veram de hac re senten-

---

*) מעשילים Numid. 1 lin. 3 esse videtur pro מעשילִים, ita ut Jod mobile sit.

**) Vide infra grammaticam phoeniciam lib. IV, cap. 4.

***) V. Hartmanni vitam Tychsenii II, 2 p. 276. Kopp *Bilder und Schriften* II, p. 111 sqq.

Digitized by Google

tiam tenens, in eo tamen erravit, quod litteras ו et י in Phoeniciis unquam vocales esse negans *) propterea scripturam phoeniciam syllabarium esse affirmavit, quae appellatio huic scripturae plane inepta est: quanquam non dixit Tychsenius, quod ei tribuit adversarius, omnes et singulas litteras veri nominis syllabas fuisse. Sed magis etiam peccavit Koppius, qui adversarium subsannans ad eum refutandum summaque sententiam tuendam talia profert exempla, quae ne tironi quidem ignoscas, veluti בעלמלך, בעלתרז, מרתא **), ex quibus appareat veteres Phoenices litteris vocalibus usos esse. Scilicet talis erat Ain!

§. 41.

A dextra ad sinistram procedere scripturam Phoeniciam, id utpote rem in vulgus notam ne memorassem quidem, nisi unius cuiusdam exceptionis a Koppio iam animadversae (*Bilder und Schriften* II, 193) mentio iniicienda esset. In uno videlicet exemplo numorum Heracleensium eadem illa epigrapha, quae in vulgaribus exemplis solito modo a dextra ad sinistram progreditur (v. numos Heracl. litt. A. B. C), ita expressa reperitur, ut litterae more Graecorum a sinistra ad dextram currant, singulaeque inversae sint (litt. C), ut solent apud Graecos esse in iis titulorum *βουστροφηδὸν* scriptorum versibus, qui occidentali more scripti sunt. Quandam graeci moris imitationem ea in re quaerendam esse, nulli dubitamus: et alia etiam singularum litterarum graeco more inversarum exempla exstare infra docebimus (lib. III, ad numum Panorm. I). Adde Aleph litterae figuras inversas in Eryc. lin. 1. 4. 7.

CAPUT QUARTUM.

DE SCRIPTURA ARAMAEA AEGYPTIACA.

§. 42.

Peculiare quoddam litterarum genus, phoeniciis litteris simile, neque tamen recte in harum numero habitum, in iis monumentis comparet, quae in Aegypto reperta sunt, *aramaea* lingua inscriptis, velut in lapide Carpentoractensi et huic simili Rogersiano, in papyro Taurinensi et in fragmentis Blacassianis (v. lib. II, no. 71—75), ne alia minoris momenti fragmenta papyracea memorem, de quibus infra (ad II, 75) breviter dictum est. Quorum quidem monumentorum maxima pars nuper demum et nostra memoria in lucem protracta est: lapis vero Carpentoractensis iam

*) Ipse Tychsenius postea in epistola ad Rosenmuellerum (p. 279) exceptiones statuit צדיני, ימי, מרי, easque ad causas suas revocare studet. Poterat haec facile ex linguae arabicae (in qua Jod in illis exemplis mobile est) analogia confirmare, sed non erat profecto quod vir orientaliam linguarum peritissimus ad collegam scribens huic talia explicaret.

**) In hac quidem epigraphe ע ad מרת non pertinere, infra videbimus, lib. III, no. 5.

Digitized by Google

Barthelemyum nactus est interpretem, qui singularum litterarum potestate feliciter exputata primum huius scripturae alphabetum ex illo monumento concinnavit (v. Mémoires de l'acad. XXXII, p. 725 pl. 1), postea saepe, sed interdum minus accurate repetitum (v. Opus encyclopaed. Paris., Recueil des planches P. I. Pl. 5. *Büttner Vergleichungstafeln* tab. 2, no. 4. *Wahl Gesch. der morgenl. Sprachen* tab. 7. *Edm. Fry pantogr.* p. 56), hac una in re emendandus, quod litteris vere phoeniciis hoc litterarum genus annumeravit, quum partim earum figura a phoeniciis satis diversa sit, partim lingua his characteribus expressa non phoenicia sit, sed aramaea *). Contra in litterarum potestate definienda Lancius, recentissimus talium monumentorum editor, tantum abest ut Barthelemyum correxerit, ut in novos quosdam errores inciderit ab aliis demum expellendos (v. lib. II, no. LXXI §. 1). Idem tamen vir doctissimus fragmentis Blacassianis a se editis et transscriptis huius scripturae alphabetum insigniter locupletavit (v. lib. II, no. LXXIV. LXXV), et Ed. Frid. Ferd. Beerius in singulari doctoque libello, cui inscribitur: *Inscriptiones et Papyri veteres Semitici quotquot in Aegypto reperti sunt, editi et inediti, recensiti et ad originem hebraeo-judaicam relati.* P. I. Lips. 1833. 4. omnia huius generis monumenta cum palaeographice tum philologice illustrare coepit.

§. 43.

Quod nos tab. 4 exhibemus huius scripturae, quam utpote in solis monumentis aegyptiis aramaea lingua scriptis usitatam *aramaeam aegyptiacam* appellare placuit **), triplex alphabetum, ex lapide Carpentoractensi, ex papyro Taurinensi et ex fragmentis Blacassianis concinnavimus. Quas *prima* columna collocavimus figuras maiores ex lapidis Carpentoractensis apographo Barthelemyano repetivimus, minores passim additos ex Lanciano eiusdem monumenti exemplo: in singulis litteris definiendis Barthelemyum, non Lancium secuti, praeter unum Zade, quod illius alphabeto addendum putavimus ***). Quae in altera columna exstant, figurae ex Rochettii maxime fragmenti Taurinensis apographo petitae sunt, et ita dispositae, ut infra a nobis copiosius disputatum est †). Quae tertia columna exhibentur formae ex papyris

*) Kopp *Bilder und Schriften* I p. 226: „*Irre ich nicht, so hat man die Benennung phönizische Schrift bisher etwas zu freygebig gebraucht, den Phöniziern alles gegeben, und den Aramäern nichts gelassen, gleichsam als ob diese gar nicht hätten schreiben können, oder doch von ihnen nicht ein einziges Denkmal aus ältern Zeiten sich sollte erhalten haben. Selbst Schriften, in welchen sich die aramäische Mundart gar nicht verkennen lässt, nennen die Orientalisten phönizisch, blos weil sie noch nicht gekandet haben, dass eine Verschiedenheit vorhanden seyn könne.*“ Quae quidem verissima Koppii observatio ab Hamakero (diatr. p. 68. 69) temere impugnata omnibus aliis eius generis monumentis postea demum in lucem editis confirmata est.

**) Aramaicam *veterem* (*Alt*-aramäisch) hanc scripturam vocabat Koppius, quod minus probandum, quum non adeo vetusta sint illa monumenta, immo phoeniciis plerisque recentiora videantur.

***) De his, quae novare volebat Lancius, vide quae disputat *Beerius* l. c. p. 8. 9.

†) Lib. II, no. LXXIII §. 3.

Digitized by Google

Blacassianis desumtae sunt, sed ita ut a Lancii alphabeto in nonnullis litteris (Daleth, Sain, Phe, Resch) definiendis discedendum putaremus *).

De horum autem alphabetorum egregie se invicem illustrantium mutua inter se ratione et cum aliis scripturae generibus necessitudine haec maxime nobis observanda videntur:

1. Carpentoractensis monumenti litterae, utpote ad phoeniciarum similitudinem prope accedentes, harum omnium antiquissimae, Blacassianae contra, ad scripturam quadratam magnopere inclinantes, recentissimae esse, Taurinensis fragmenti figurae medium fere inter illas locum obtinere videntur. Etenim, quae litterae in prima columna capitibus integris comparent superne apertis, *Beth*, *Daleth*, *Caph*, *Resch*, in tertia capita vel maximam partem vel prorsus abiecerunt: in secunda unum Resch capite comparet paene abiecto.

2. Primae columnae figurae (praeter He et Jod) omnes in Phoeniciis etiam monumentis comparent, ita ut hanc quidem scripturam ex ipsa Phoenicia **) ortam esse non dubites. Litterarum *Ain*, *Beth*, *Daleth*, *Resch* capita superne aperta, quae huic scripturae plane peculiaria et priva esse volebat Koppius ***), etiam in Ciliciae numis adeoque in inscriptione Oxoniensi comparent, et speciatim quidem *Ain* superne apertum perfrequens est (§. 26, fig. 7). *Aleph* litterae prima figura ad numidicam prope accedit, reliquae ad eam figuram, quae in inscriptione Oxoniensi est. *Vav*, *Sain*, *Caph*, *Lamed*, *Mem*, *Nun*, *Phe*, *Zade*, *Tau* formas habent in scriptura Phoenicia vulgares: *Koph* eodem modo pictum habes in Melit. 2 lin. 2, *Schin* eiusdem figurae in Erycina. Unum He et Jod paullum immutatum, illud ex fig. nostr. 9: *Jod* (iam *minima littera*) ex fig. nbstr. 10.

3. In tertiae columnae i. e. Blacassianorum papyrorum figuris prima litterarum finalium (*Caph* et *Nun*) vestigia nobis occurrunt, quae nunc demum in scripturae genere spatiis distincto (haec enim consuetudo cunctis his monumentis communis) oriri poterant (§. 33, 4. 53, 2).

Ceterum haud ullum exstat monumentum, quod magis faciat ad origines scripturae quadratae illustrandas, qua de re alio loco †) uberius disputaturi sumus.

De orthographica ratione observandum, in omnibus huius generis monumentis litteras ו et י more Hebraeorum et Chaldaeorum in V. T. (secus atque supra expositum §. 40) nunquam non plene scriptas esse.

---

*) Vide lib. II, ad no. 74. 75.

**) Neque vero ex vetere hebraea in numis usitata (§. 51), manifesto id arguentibus litteris א, ה, ו, ע, ש, maxime autem *Vav*, quarum figura in prisca Hebraeorum scriptura plane diversa est.

***) *Bild. u. Schr.* II, 227: *So viele phönizische Denkmäler ich auch betrachtet habe, so sind mir doch in keinem einzigen ächtphönizischen diejenigen Gestalten vorgekommen, welche sich oben öffnen. Nur bey dem einzigen y finden sich, jedoch höchst seltene, Ausnahmen, die zuweilen blos von der Uebereilung des Schreibers* (? num fugiente calamo insculpi poterant haec monumenta?) *herrühren.*

†) In historia ling. et scripturae hebraeae denuo edenda.

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

DE VARIIS LITTERATURAE GENERIBUS EX PHOENICIA ORTIS.

§. 44.

Palaeographiae comparatae ratio et utilitas.

Quum in hoc libro solius Phoeniciae scripturam, non integram populorum Semiticorum palaeographiam illustrare propositum sit: inutile videri possit et a consilio nostro alienum, de iis etiam agere litteraturae generibus, quae ex phoenicia, tanquam ex communi matre, ortae sunt. At satis certam videtur, brevem certe huius rei tractationem non sine ipsius propositi nostri detrimento omitti potuisse, quum ex hoc ipso comparandi negotio non exigua quaedam commoda in subtilius litterarum Phoeniciarum studium redundent. Quemadmodum enim in linguis docte tractandis non solum recentiorum linguarum origines ex antiquioribus illustrare, sed etiam in antiquis linguis, aliarum matribus, illustrandis saepe ex recentioribus lucem petere solemus; ita non solum antiquioris Graecae, Etruscae, Hebraeae scripturae cognitio eximie iuvatur subtiliore Phoeniciae litteraturae cognitione, sed etiam contra Phoenicia litteratura haud raro illarum comparatione egregie illustratur, praesertim quum nonnulla litteraturae genera, maxime Graeca antiquior, aetate nostris monumentis anteriore ex illa matre prognata sint, et postea quoque in tanto horum populorum, maxime Phoenicum et Graecorum, commercio, subinde unius populi consuetudo ad alium transiisse videatur *). Quod quidem utrumque nonnullis exemplis illustrare placet.

In inscr. Melit. 3 *Mem* et *Schin* litterae ita exaratae sunt, ut duabus partibus constare videantur, id quod Hamakerum ita fefellit, ut *Mem* כנ, *Schin* לל esse putaret. Veram potestatem nos etiam fortasse non omnibus persuaderemus, nisi addere possemus, etiam in Graecis monumentis *Mῦ* litteram eodem modo in duas, adeo tres partes fractam conspici, hoc modo: in numis Edessae, in Boeckhii inscr. no. III vers. 2. no. XI.

In numo quodam Persico-phoenicio ad Ciliciam pertinente (v. Cilic. litt. G) in voce מ.כי reperitur littera , quam Koppius (II, 242) temere *Lamed* esse putavit, quanquam hoc nunquam tali forma comparet. Collata epigrapha מורך

*) De Phoenicibus etiam et Graecis quodammodo valent, quae Odofr. Muellerus de scripturae Etruscae origine ita disputat (*die Etrusker* II p. 292): „*Diesen Uebergang darf man sich aber durchaus nicht als einen einmaligen, momentanen denken, so dass die Etrusker durch eine bestimmte einzelne Ueberlieferung die Schrift empfangen, und dann in demselben Zustande festgehalten oder für sich umgebildet hätten. Vielmehr liegt ein deutlicher Beweis fortdauernder Verbindung und Mittheilung darin, dass in mehrern Fällen, wo die Griechen ältere und jüngere Formen haben, auch beide bey den Etruskern vorkommen.*“ Ceterum haud scio an ea aetate, qua nostra monumenta phoenicia scripta sunt, maior fuerit vis scripturae graecae in phoeniciam, filiae in matrem, quam contra phoeniciae in graecam (§. 41).

Digitized by Google

(*sidus tuum*) in aliis eius regionis numismatis frequentata suspicari quidem possis, illam *Zain* esse, illamque vocem זורי *sidus meum* legendum: sed in mera hoc coniectura positum esset, nisi satis constaret, Graecorum Zeta a Phoenicibus acceptum eiusdem formae (Σ Z) esse: unde recte colligi potest, etiam apud Phoenices hanc, non I, antiquissimam eius litterae figuram fuisse. (Cf. ad §. 18 et quae de litterarum Phoenicarum *Daleth*, *Vav*, *Phe* nativa figura apud Graecos superstite animadvertimus ad §. 15. 17. 28).

In inscr. Erycina figura Nun est, quod dudum vidi. Sed egregie mihi hanc litterae potestatem confirmavit scripturae Etruscae et Oscae auctoritas (vid. tab. 2), unde has formas etiam Graecis et Phoenicibus olim notas fuisse colligo.

Contra Boeckhium in sagacissima tituli Crissaei interpretatione (Corp. inscr. T. I. p. XXI et pag. 2) videmus figuram in lapide bis obviam restituisse in i. e. H, quod ad contextum egregie accommodatum est. Sed nihil mutasset vir summus, si scire potuisset, etiam apud Phoenices litteram Chet (= H) non raro ita pingi, ut duabus partibus constare videatur, v. §. 18, Fig. 3. 4. 5.

Illam igitur harum litterarum comparationem ita instituemus, ut partim ea scripturae genera sive orientalia sunt sive occidentalia, quae vel ex ipsa Phoenicia matre orta sunt vel certe non magno spatio ab ea distant, tabulis repraesentemus ad alphabeti Phoenicii ordinem dispositis (tab. 2 — 5) brevibusque commentariis historicis, litterariis et palaeographicis illustremus (§. 45 — 55): partim singularum litterarum ex litteris Phoeniciis originem monstremus earumque quasi stemmata describamus ex Phoeniciis formis tanquam gentis auctoribus ducta: quam quidem posteriorem palaeographiae comparatae partem non hoc capite atque seorsum tractare, sed nostris de singulis litteris phoeniciis commentariis (§. 12 — 33) corollarii loco adiungere placuit, ut integram singularum litterarum historiam in conspectu positam haberent lectores.

A simili Koppii consilio (*Bilder und Schriften* II, p. 375 sqq.) haec nostra ratio duabus maxime rebus differt. Nos enim scripturam phoeniciam potius illustraturi, quam universam palaeographiam semiticam comprehensuri, omnia ea scripturae genera omittenda putavimus, quae nimis longo intervallo a matre remota sunt, quam ut huic illustrandae inservire possint: contra vero eas litteraturas, quas Phoeniciae *filias* neptesque *natu maximas* vocare possis, licet non Orientales, veluti Graecam antiquiorem, Etruscam, Umbricam cet. a Koppio plane neglectas, pro nostri consilii ratione diligentius tractavimus.

§. 45.

Litteraturarum ex phoenicia ortarum stemma.

Praecipua autem scripturae genera ex matre Phoenicia deinceps prognata haec sunt:

A) *antiquissima Graecorum scriptura* (§. 46 — 48), in qua antiquissimas atque nativas Phoenicum litteras servatas esse supra observavimus (§. 15. 17. 18. 28), ut iure suo harum sororum natu maxima vocetur. Ex ea deinceps emanarunt Etrusca (cum Umbrica, Osca, Celtiberica) et vetus Romana (§. 49).

Digitized by Google

B) *prisca Persarum scriptura* (§. 50).

C) *Hebraeorum litteratura* in numis (§. 51), unde *Samaritanae* litteraturae variae species prodierunt (§. 52).

D) *Scriptura Aramaea in monumentis Aegyptiacis* conspicua (§. 42. 43), multarum nepotum fecunda mater, ex qua prognata est *Palmyrena* (§. 53), ex hac quadrata, et variae scripturae veteris Syrae, Persicae, Arabicae species. Quemadmodum autem in prisca graeca scriptura antiquissimae et principes Phoenicum figurae comparent, ita in hanc transierunt recentioris aetatis figurae (v. supra ad Aleph, Jod, Samech, Koph, Schin): qua una re refellitur praepostera illa de litteris apud Syros Babyloniosque, non apud Phoenices, inventis coniectura.

E) *Scriptura Phoenicia recentior* s. *Punico-Numidica*, si tamen hanc a matre diversam cogitabis (§. 35).

F) *Scriptura vetus arabica* s. Himjaritica, ex qua nata est *Aethiopica* (§. 53).

De singularum harum filiarum aetate mutuaque aetatis ratione nihil certi statuere licebit, quum in aliis de monumentorum aetate non satis constet, aliae, veluti Numidica, non semel et uno quasi partu a matre editae sint, sed sensim paullatimque ex ea profluxerint. Omne autem stemma etiam neptes (quarum sanguis dein variis connubiis inter se mixtus et adulteratus est) comprehendens hoc fere fuerit:



Digitized by Google

A. PRISCA GRAECORUM SCRIPTURA CUM FILIABUS.

§. 46.

Prisca Graecorum scriptura.

Quo tempore et a quo litterae Phoeniciae ad Graecos delatae sint, qua de re apud ipsos veteres variae erant sive traditiones sive doctorum hominum opiniones (Herod. 5, 57. 58. Diod. 5, 24), nobis nunc quidem disputare non vacat, unumque probasse sufficiat, id a Phoenicibus factum esse, neque vero sensim pedetentimque primum sedecim, dein reliquas litteras, sed omnes alphabeti orientalis litteras simul ex Phoenicia esse allatas, postea aliis ex Graecorum ingenio auctas.

Id enim ex eo apparet, quod antiquissimae litterae graecae *A* — *T* cum viginti duabus Phoeniciis litteris א — ת plane conveniunt, sive litterarum *formam potestatemque*, sive earum *ordinem* et *nomina* spectas, dummodo observes *):

1. Ubi a dextra ad sinistram scribunt Graeci antiquiores, litterarum graecarum *forma* cum phoenicia in plerisque signis prorsus congruit, idque, quod probe tenendum, cum *antiquioribus Phoenicum figuris* (v. ad §. 12—33), quum contra scriptura aramaea ex recentioribus eorum figuris prognata sit. Quanquam autem certum est, antiquissimo tempore hanc scribendi rationem apud Graecos etiam pervulgatam fuisse (talis enim a Graecis ad Etruscos pervenit), pauci tamen tituli servati sunt, qui vel integri vel ex parte (*βουστροφηδὸν*) orientali more exarati sint ipsasque Phoenicum litteras referant **): in iis vero titulorum versibus, qui a sinistra ad dextram currunt, pleraeque litterae inversae sunt, ita ut, quae earum capita brachiaque in orientali scriptura sinistram spectarent , nunc dextram spectent , quae figurae postea solae retentae sunt. Vide utriusque generis formas tab. 2, col. 1.

2. Litterarum *potestas* quanquam in universum in utraque hac litteratura eadem sit, nonnulla tamen pro diversa utriusque linguae indole mutanda erant. Quum enim aspirationibus sonisque gutturalibus (אהחע) abundaret alphabetum phoenicium, vocales vero vix ullas haberet ***), Graecis contra, in aspirationibus sat parcis, id agendum esset, ut etiam vocales (maioris illas in lingua sua, quam in phoenicia, momenti) accuratius designarent: gutturales nonnullae in subsidium vocatae et vocalibus designandis adhibitae sunt, hunc in modum:

Spiritui aspero designando adhibitum est *Chet* (H), quod hac potestate etiam ad Romanos transiit, serius demum a Graecis vocalis vim accepit.

---

*) Cf. librum nostr. *Gesch. der hebr. Sprache und Schrift* p. 162 sqq. Inanes parumque doctas hypotheses continet Hezelii libellus: *Paläographische Fragmente über die Schrift der Hebräer und Griechen.* Berlin 1816. 8. Cf. Allgem. Litt. Zeit. 1816, p. 153. 154

**) Titulos more orientali a dextra ad laevam currentes, sed unius versus modum non excedentes v. apud *Boeckhium* no. 31. 33 35. 36. 37. 40, bustrophedon scriptos no. 1. 8. 9. 23. 27. 39.

***) Phoenices *perraro* litteris debilibus usos esse, ubi vocalium potestatem haberent, supra vidimus §. 40.

Digitized by Google

Vocali A designandae adhibitum *Aleph*, apud Phoenices et Hebraeos spiritus lenis, sed in vocalem A inclinans.

Vocali E (item ē, *ei*) adhibitum ה *He* Phoenicum, tum nomine tum in nonnullis vocabulis sono ita suadente.

Vocali I peraptum erat י *Jod*, quod apud ipsos Phoenices interdum litterae vocalis vim habebat (v. §. 40, 3, a).

Denique pro vocali *O* (et *U*) non Vav littera utebantur, quae nunquam quiescebat apud antiquiores Phoenices (v. §. 40, 2), sed *Ain*, quod ne cui mirum videatur, hoc statim loco praemuniendum est, quod infra copiosius docebimus (lib. IV c. 4), hanc gutturalem apud ipsos Phoenices in vocalem O inclinasse.

3. Ut intelligatur, etiam *ordinem* litterarum apud Phoenices Graecosque eundem fuisse, ante omnia tenendum est, in vetere Graecorum alphabeto praeter hodiernas litteras tria antiqua phoeniciae originis elementa fuisse, quorum duo postea extrusa cifrarum (*ἐπισήμων*) tamen potestatem retinuerunt, unum cum alio quodam elemento coaluit et in desuetudinem abiit.

Et horum quidem primum erat *Bαῦ* (*F*), vulgo Digamma dictum, eundem locum inter ה et ז (*E* et *Z*) occupans atque ו Phoenicum, et prorsus eiusdem potestatis, unde ortum latinum F, postea ex litterarum numero extrusum et *senarium* numerum designans (cf. §. 47 s. F. litt.).

Alterum est *Κόππα* ( ), tum figura et potestate, tum nomine et ordine Koph phoenicio (קוף) respondens, in numis Crotonis, Syracusarum et alibi obvium (v. Eckhel D. N. II, p. 245. IV, p. 390. 392. Classical Journal I. p. 330), postea in obsoletis et supervacaneis habitum, ita ut, quum sensim duae litterae Koppa et Kappa in unum Kappa coirent, Koppa (iam prius in Italiam transvectum ibique Q scriptum) solius episemi vim retineret.

Similis ratio est litterarum *Sigma* et *San*, quarum historia et mutua ratio mihi hunc in modum expedienda videtur. Antiquitus Graeci a Phoenicibus et *Sameck* adoptabant et *Schin* ( ). Illud *Sigma* appellabant pro *Simcha* (סמכא) et his figuris pingebant a phoenicio Samech petitis: (nisi duae posteriores ad Zain = Zeta pertinent, §. 47 s. litt. Sigma); hoc, cui sonus asperior et raucus erat instar Schin, *Σὰν* appellatum, ut sono et nomine ita etiam figura (M M) phoenicio Schin respondebat. Mox, quum pinguior iste sonus graecis auribus displiceret et raro audiretur, utraque illa littera in unam coalescere coepit, quam Ionos *Σῖγμα* appellabant et tenui sono s pronunciabant, Dores contra *Σὰν* nuncupatam pinguiore sono efferebant (Herod. I, 139), donec sonus iste rusticus et spurius (*Σὰν κίβδηλον* Pind. apud Athen. XI, 5 p. 467) ex Graecis plane expulsus est et in desuetudinem abiit, quo facto utrumque nomen (*Σῖγμα* et *Σὰν*) et utriusque litterae figurae (et M) promiscue de eodem sono usurpari coeperunt et prorsus in unam litteram coierunt, in eum autem alphabeti locum, quem *Σῖγμα* (Samech) prius occupaverat, nova littera Σ concessit*).

*) Sententiae nostrae de signis et M (Sigma) olim diversis insigne firmamentum haud

Digitized by Google

Zade litterae certum vestigium equidem apud Graecos non reperio. Quod enim Zade eandem litteram esse dicunt*), atque Zeta, id mihi persuadere non possum, quum Zeta tum forma et potestate, tum ordine atque nomine litterae Zain respondeat**): videtur igitur Zade, utpote littera supervacanea a primis statim litteraturae graecae auctoribus repudiatum et ex litterarum serie eiectum esse.

Antiquiores igitur litterae graecae phoeniciis hunc in modum respondebant:

א	*A*	ט	*Θ*	ע	*O*
ב	*B*	י	*I*	פ	*Π*
ג	*Γ*	כ	*K*	צ	—
ד	*Δ*	ל	*Λ*	ק	*Κόππα*
ה	*E* (h, ĕ, ē)	מ	*M*	ר	*P*
ו	*F Βαῦ*	נ	*N*	ש	*Σ Σάν*
ז	*Z*	ס	*Σίγμα*	ת	*T*
ח	*H*				

ex qua comparatione simul intelligitur, quomodo Pliniana illa de *sedecim octodecimve* litteris Cadmeis opinio orta sit (hist. nat. 7, 56). Quanquam enim iste sedecim elementorum numerus iusto minor est, re vera tamen Graeci antiquiores eiectis litteris *Zade*, *San*, *Koppa* nonnisi *undeviginti*, et in tanta litterae Z raritate reapse nonnisi *duodeviginti* elementis ex Phoenicia sibi traditis utebantur, quem ipsum numerum litteris Cadmeis tribuit Aristoteles (ap. Plin. l. c.).

4. Litterarum graecarum *nomina* vel ipsa sunt phoenicia et hebraea (*Ἒ* = הֵא, *Βαῦ* = וָו, *Ταῦ* = תָּו), vel sibi additum habent *α*, quod etiam aliis substantivis extremis adiectum reperitur ex Phoenicia in Graeciam transvectis (גֶּבֶל *γάβλα*, מֶלֶם *μάλθα*), sive a statu emphatico Aramaeorum repetendum, sive feminini sexus***) terminatio est (*Ἄλφα* = אַלְפָא, atque ita *Βῆτα*, *Γάμμα* pro *Γάμλα*, *Δέλτα*, *Ζῆτα* pro זַיְנָא, vide

---

scio an sit in scriptura Etrusca, in qua signorum Z et M diversitatem iam agnoverunt *Lanzius* (1, 265) et *Odofr. Müllerus* (*Etrusker* II, p. 307): „*Wahrscheinlich unterschieden also die Etrusker die weiche und harte* spirans, *unser s und ss, den* bussing *und* hissing sound *der Engländer: doch gibt es kaum einen sichern Entscheidungsgrund für die Frage, welcher von beiden der härtere war.*“ [Nonne M ex orientali ש ortum asperior littera putanda?]. Eodem autem modo duo sibilantia Hebraeorum ס et שׂ, apud Syros et Arabes in unam litteram coaluerunt, ita quidem ut Syri pro utraque semper *Semcath* = Samech, Arabes *Sin* ponerent. Alias de sibilantium ratione et historia sententias v. §. 47 ad litteras *Z* et *Ʒ* et §. 49, 2.

*) *Boeckh Staatshaushaltung der Athener* II, 386. Lepsius de tabulis Eugubinis p. 68.

**) De *figura* vide §. 18; de *potestate*, *pronunciatione* et *usu* cf. LXX interpretes, qui paene constanter ז littera *Z* exprimunt, velut זְכַרְיָה *Zaχαρίας*, זְרֻבָּבֶל *Ζοροβάβελ*, עַזָּה *Γάζα* et vicissim inscr. Athen. 3, in qua *Βυζάντιον* phoeniciis litteris scriptum est בזנתי; de *nomine* tenendum, *Ζῆτα* dictum esse pro זיתא forma feminina a זַי pro זַיִן Mischna Schabbath XII, 5, cf. arab. زاى Notices et Extraits VIII, p. 46, gr. *Ζαΐ* Montfaucon ad Hexapl. II, p. 395, aethiop. Zaï.

***) Statum emphaticum, non feminei generis terminationem, esse suadent *Δέλτα*, ubi iam דלת est femineae formae, et *Ζῆτα*, a זי fem. זית, emphat. זיתא.

Digitized by Google

not. **), *Ἦτα*, *Θῆτα*, *Ἰῶτα* ex יודא vel יודחא, *Κάππα* ex כַּף, *Σίγμα* ex סמכא, *Κόππα* ex קָף), vel paullulum immutata et decurtata sunt (א *Πῖ*, שין *Σάν*, *Πῶ* ex *Πῶς* ראש, *Νῦ* ex *Νῦν* נון, *Μῦ* pro מם, consona in vocalem soluta vel pro מי quod pariter atque מים aquam significat). In una littera O appellanda, cui Graeci novam quandam potestatem tribuerant, misso nomine quasi proprio solum sonum sequebantur.

§. 47.

Quae fuerint litterarum graecarum antiquissimarum figurae, tum ex titulis antiquissimis intelligitur quos collectos et illustratos exhibet Boeckhii opus (T. I. p. 1 sqq.), tum ex numismatis, in quibus etiam recentiora nonnulla antiquitatis speciem affectant. Ac qui ex numismatis palaeographiam graecam illustraverint, plures sunt, ut Dutensius (Explication des médailles grecques etc. p. 196 sqq.), Eckhelius (Doctr. num. T. I. p. XCVII sqq.), Mionnetus T. V. p. 31 sqq., qui ex titulis antiquis nunc iunctim editis litterarum formas collegerit, unum novi C. Fr. Krusium (Hellas T. I. p. 578 sqq.), cui addenda, quae passim in commentariis disputavit Boeckhius l. c., it. *Lanzi* Saggio di lingua Etrusca I, p. 77 sqq. *Payne Knight* essay on the greek alphabet. Lond. 1813. 4.

Quod nos tab. 2 dedimus alphabetum ex utroque monumentorum genere concinnatum, pro consilio nostro nonnisi eas exhibet litteras, quas Phoenicibus acceptas referebant Graeci: ita quidem dispositas, ut priores figurae punctum praecedentes ex versibus retrogradis s. orientali more scriptis desumtae, posteriores punctum subsecutae ex versibus integrisque monumentis occidentali more exaratis haustae sint.

De singulis autem litteris hos habeas commentarios:

A. Fig. 1 ex phoenicio orta, est in tit. Criss. Sig. al. ap. Boeckh. inscr. 1, 8. 27. et in antiquissimo numo Pandosiae Bruttiorum. Fig. 2 Boeckh inscr. 8. Fig. 3 ibid. inscr. 7. 34, et in numo Faliscorum Etruriae. Fig. 4 Boeckh inscr. 10, fig. 5. 6 in numis antiquissimis Cauloniae et Metaponti, vide Etruscorum figuras col. 2 et cf. figuras phoenicias capitibus rotundis §. 12, no. 8.

B. in numis antiquissimis Segestae Siciliae.

Γ. Fig. 1 inscr. Sig. Boeckh inscr. 8, fig. 2 ibid. et inscr. 38, fig. 3 ibid. inscr. 8, fig. 4 ibid. inscr. 11, fig. 5 ibid. inscr. 7 et in numis Siculis, v. Raoul-Rochette epist. ad Aberdeen p. 83. Boeckh l. c. p. 14, fig. 6 Boeckh inscr. 4. — Figuram *septimam* inveniri in scriptura a laeva ad dextram currente inscr. 3 mirum est, sed eodem modo hoc iudicandum est atque ea, quae tetigimus §. 41.

Δ. Fig. 1 inscr. 8. 34, fig. 2 inscr. 8, et in numis antiquissimis Zancles, Posidoniae, Pandosiae, fig. 3. 4 inscr. 11.

E. Figurae obliquae reliquis sunt antiquiores. Quattuor priores phoeniciis ad amussim respondentes reperiuntur fig. 1 inscr. 1. 8; fig. 2 inscr. 34; fig. 3 inscr. 39; fig. 4 inscr. 22. — Fig. 5 inscr. 10. 11. 12; fig. 6 inscr. 34; fig. 7 inscr. 23 et in numo antiquissimo Neapolis Campaniae; fig. 8 est recentioris aevi.

Digitized by Google

F. Littera vere graeca, mater *F* litterae Etruscorum et Latinorum, postea suffecto *Q* antiquata, reperitur inscr. 11, in omnibus numis Faliscorum Etruriae et in pluribus aliis Achaeorum, Boeotiorum. De episemo Vau eiusque figuris, inter quas praecipue haec notanda est, vide quae docte disputant Eckhelius D. N. IV p. 383 sqq. *Boeckh Staatshaushaltung d. Athener* II, p. 383.

Z. Fig. 1 ipsa est antiquissima Phoenicum forma, sed inversa, ut fit in scriptura dextrorsum currente. Reperitur in autonomis Zacynthi, Sardium, Temni al. Fig. 2 in tetradrachmis Smyrnae, in numis Locrorum Italiae, Cyzici, Byzantii al. Utraque forma postea etiam pro *H* usurpata est. Sed quamquam hoc certissimum, equidem tamen vix dixerim, *H* ortum esse ex phoenicio *Sain* (Boeckh l. c. II, 386. Buttmanni gr. ampl. II, 12 p. 376), quum eo tempore, quo *H* inventum, phoeniciam litteraturam in pingendis litteris vix consulere solerent Graeci.

H. Fig. 1 inscr. 2. 13. 16. 18. 19. 39, fig. 2 inscr. 1 lin. 1. 3, ubi emendatione non opus est, quum eadem figura in Phoeniciis reperiatur. Vide §. 44.

Θ. Figurae priores posterioribus antiquiores. Qui hanc litteram ⊗ scribebant, Omicron solebant ⊙ pingere, qui Theta uno puncto munitum, Omicron sine puncto exarabant, v. Boeckh T. I. p. 31.

I. Priores formae originem phoeniciam luculenter prae se ferunt. Fig. 1 est in inscr. 7. 20, fig. 2 in inscr. 30. et in numis Lucaniae, fig. 3. in inscr. 4, fig. 4, v. Boeckh ad inscr. 3, fig. 5 in numo antiquissimo Gortynae Cretae, cf. figuras phoenicias no. 17. 19.

K. Fig. 1. 2 v. inscr. 39.

Λ. Fig. 1 inscr. 8, fig. 2 ibid. 39. fig. 3 inscr. 3. 4. 7. 10. 20; fig. 4 inscr. 2. 6. 14. 17. 18. 19; fig. 5 inscr. 8; fig. 6 (qua nulla phoeniciae figurae similior est) inscr. 34. 39.

M. Fig. 1 inscr. 1. 8. 27; fig. 2 inscr. 2. 8. 12. 20. 38; fig. 3 inscr. 3, fig. 4 ibid. lin. 2, fig. 5 in numo Manni, Edessae regis, Pellerin Rois, tab. 16.

N. Fig. 1 inscr. 39. Fig. 2 inscr. 2. 12 et in numis antiquissimis Crotonis, Agrigenti, Neapolis Campaniae.

Sigma (Samech). Sub hac littera posui omnes *Sigma* litterae figuras, quas ex Samech (non Schin) Phoenicum ortas esse existimo, v. §. 45, 3 (fig. 1 inscr. 1. 2. 39 et in numis perantiquis; fig. 2 inscr. 8. 11. 22. 34; fig. 3 in antiquissimis Messanae Siculae numis*); fig. 4 inscr. 12. 13. 22. 23. 25. 34. 38. 41, et in antiquissimis titulis Boeotiae inscr. 1599. 1639. 1640. 1644. 1649 cf. Villoison anecd. II, p. 167; fig. 5 inscr. 10 et in antiquissimis Messanae Siculae), quanquam non repugno, si quis in his figuris distinguendis ulterius processurus primam figuram a quattuor reliquis segregare velit, ita ut solam primam a Samech repetat, reliquas ad Sain referat, cum cuius figura Phoenicia permagna earum est similitudo. Atque haec Lepsii videtur sententia

*) Haec figura, non C, esse videtur, quae a veteribus arcui scythico et cincinno (*πλοκάμῳ*) comparatur, v. Athen. 10, p. 454 D, cf. *Müller Etrusk.* 307.

Digitized by Google

esse (de tabb. Eugubinis p. 69 sqq.), quanquam hic a Koppio in errorem inductus in Sain litterae figura phoenicia indicanda fallitur. Eidem favent litterae Etruscae et Umbricae.

O. Figura puncto munita est in inscr. 12. 17. 18. 19. 37 et in antiquissimis numis Cauloniae et Crotonis. Cf. ad Theta.

Π. Fig. 1 inscr. 8. 34, fig. 2 usitatissima in optimae aetatis monumentis, fig. 3 inscr. 7.

Koppa. Vide §. 46, 3. Reperitur etiam inscr. 29. 31. De episemo Koppa plura dabit *Eckhel* D. N. IV p. 390.

P. Pleraque obvia, de fig. 4 v. inscr. 3, 24, fig. 6 (litterae caninae apud Latinos simili) inscr. 16. (Olymp. 76, 3). 18. 25. 54.

Σ (San). Antiquissima figura est M; quae ubi reperitur, *Mῦ* pingitur M (v. Boeckh ad inscr. 1. 4), id quod optime explicatur ex eo, quod apud Phoenices inter Mem et Schin intercedit, discrimine (§. 24. 32). Reliquas figuras, quas ad hanc litteram referunt, vide sub *Sigma* (Samech).

T. Fig. 1 inscr. 20 cf. Phoenicium .

Reliquas litteras inde ab Y, ut a proposito nostro alienas, mittimus.

§. 48.

De triplici veterum Graecorum scribendi modo, a dextra ad laevam, a laeva ad dextram, et *βουστροφηδόν*, iam supra paucis dictum est §. 46, 1. *Interpunctionis* autem ratio apud vetustiores Graecos plane eadem est atque Phoenicum (§. 38). Plerique enim tituli interpunctione prorsus carent (Corp. inscr. 1. 4. 9. 10 al.), quanquam verba extremis versibus integra esse solent (inscr. 2. 3. 7. 16). Si qua sunt verbis distinctis, vel uno puncto id factum (ibid. inscr. 4), vel duobus (inscr. 11. 34) tribusve (inscr. 8. 18. 22): raro lineola directa (inscr. 13, ubi Boeckhius tria puncta reponit), semel tribus lineis transversis (inscr. 25). Rarissime autem omnia et singula verba punctis distincta sunt: in plerisque verborum arctius inter se copulatorum continua scriptura est v. c. *TANFOIKIAN* inscr. 4, *TOHEPMOKPATOC* (*τοῦ Ἑρμοκράτους*), *KAIHEΘMON* (*καὶ ἡθμόν*), *EΣΠPYTANEION* inscr. 9: interdum integra sententia finita demum interpunctum est (inscr. 11).

§. 49.

De antiquissima Italiae litteratura.

Antiquissimam Italiae litteraturam a Graeca esse profectam, non solum veterum scriptorum auctoritate constat (Tac. Ann. XI, 14. Dionys. Halic. 1, 21. 4, 26. Plin. H. N. 7, 58), sed ipsa rei ratio docet. Tanta est enim litterarum in monumentis Etruscis, Umbricis, Oscis, Samniticis obviarum inter se et cum Graecis litteris necessitudo, ut vel sine ullo veterum testimonio de huius litteraturae origine dubitari non possit. Eo maius autem est huius litteraturae in disputatione nostra momentum, quum satis certum sit, Graecas litteras tempore antiquissimis titulis Graecis (i. e. Olympiade fere XL) antecedente in Italiam delatas esse, ita ut veteres Italiae litterae satis fidam antiquissimae

Digitized by Google

litteraturae Graecae ex Oriente recens advectae imaginem referant *), licet in monumentis hodie superstitibus hic illic recentiore cum Graecia commercio temperatam.

1. Prae caeteris Phoeniciam originem redolet **) *veterum Etruscorum* scriptura in varii generis monumentis, maxime sepulcralibus, quorum permulta exstant, et in eius regionis numis obvia ***), post *Buonarotii*, *Bourgeti*, praecipue *Gorii* curas a Lanzio (*Saggio di lingua Etrusca e di altre antiche d' Italia.* Roma 1789 T. I. II. P. I. II. cf. Eckhel D. N. I, p. 119 sqq.) et nuper ab *Odofredo Müllero* (*die Etrusker.* Breslau 1828. I, 406 sqq. II, p. 290 sqq.) docte illustrata, cuius litteras repraesentat tabulae nostrae secundae columna altera (cf. Lanzium I. p. 208 sqq. Müllerum II. p. 294) sed ita dispositas, ut cum alphabeto phoenicio facilius componi possint, iis elementis, quae a Graecis addita sunt, ut 8 (φ) et Ψ (χ) plane omissis †).

De singulis litteris, quae ex scriptura retrograda petitae sunt omnes, atque de universa scribendi ratione haec notasse sufficiet. *B*, *Δ* et *O* (Omicron) in hac litteratura desunt, propterea quod lingua Etrusca his sonis carebat: O litterae exempla in peregrinis tantum obvia sunt. Eo alphabeti loco, quo Zeta Graecorum est, Sain Phoenicum, duas figuras posuimus, quae vulgo quidem ad Sigma referebantur, haud dubie tamen diversae originis sunt (v. Müllerum p. 307) et suadente figura ad Sain potius quam ad Samech pertinere videntur (v. ad §. 46, 3. 47 ad Zeta et Sigma). — Ceterum nonnunquam duae litterae inter se connexae sunt (Passeri Museo Etrusco III, p. 87. Lanzi l. c. p. 220), vocales breves more Phoenicum subinde omissae. Versus in plerisque monumentis a dextera ad laevam currunt, licet etiam contrarii moris et scripturae *βουστροφηδὸν* nonnulla exempla adsint (Lanzi I, p. 221); verborum distinctio fit per singula puncta, sed saepe vaga est et inconstans (Lanzi p. 281). De signis numeralibus Etruscorum paucis dictum est infra §. 58.

2. A litteris Etruscis prope absunt *litterae Umbricae* in tabulis Eugubinis ††) aliisque minoris momenti titulis obviae, de quibus enodandis et illustrandis post Lanzium

---

*) Scriptura vetus Italica tantum non omnis a dextra ad laevam currit more orientali, qui apud Graecos, ut vidimus (§. 46, 1), monumentorum hodie superstitum aetate si non in desuetudinem abierat, certe rarissimus erat.

**) Fuerunt iccirco, qui Etruscos ab *ipsis* Phoenicibus litteras didicisse contenderent, velut Bruni opusc. letter. III, p. 114, quos merito refellit *O. Müllerus* l. c. p. 291.

***) Vide inscriptiones numorum, gemmarum, vasorum, laminarum variique generis monumentorum funebrium apud *Lanzium* T. II. P. I, ibique tab. 1—16. De horum monumentorum aetate vide O. Muellerum II, p. 315, qui seculis V—VIII post V. C. ea tribuit.

†) Cf. similem Lepsii tabulam, *de tabulis Eugubinis* p. 73.

††) Teste Conciolo *novem* eiusmodi tabulae Iguvii, haud ignobili Umbrorum oppido, inter rudera templi Iovis Apennini anno 1444 reperta sunt: quarum *septem* (reliquae ubi sint, nescitur) vulgavit Dempsterus in *Etruria regali* ad T. I. p. 91 cf. Gruteri Thes. inscr. T. I. p. CXLI, illustravit *Lanzius* in *Saggio* cet. II, p. 657 sqq. Et harum quidem *quinque* Umbricis litteris inscriptae sunt, duae eaeque maximae Latinis. De aetate tabularum incerta sane et dubia disputatio: non contemnendis tamen argumentis *Lepsius* tabulas Umbrice inscriptas *seculo* post V. C. *quarto* ad finem vergenti, Latinis litteris inscriptas *seculo secundo* tribuit.

Digitized by Google

nuper meruit *C. Rich. Lepsius, de tabulis Eugubinis* (Berolini 1833. 8) *), cuius alphabetum (p. 43 sqq. p. 73) nos etiam secuti sumus in tabulae nostrae secundae columna tertia. Cui illustrando haec sufficiant:

a. Litterae caninae binae Etruscis sunt figurae, utraeque ex Phoenicia scriptura profectae, quarum prima R vulgare designans eadem hac littera in tabulis latine scriptis expressa est, altera contra in iisdem duabus litteris RS redditur, non quasi duos hos sonos coniunctos habuerit illa littera, sed litterae caninae additus est sibilus, quod sonus eius blaesus ad sibilum prope accedebat (Leps. p. 47 sqq.), id quod egregie illustratur analogia litterae polonicae *rz*.

b. Sibilantia in Umbrorum scriptura tria sunt: quod in Graecis et Etruscis *σ* vulgare esse vidimus, sed probabiliter ex Zain ortum; quod non x, sed itidem s esse ostendit Lepsius l. c. p. 59—65; et quod in tabulis latine scriptis hac figura 'S exprimitur. De duobus posterioribus autem ita statuit Lepsius, ut ex Zade Phoenicum et graeco *Zeta* ortum existimet, cum Samech eiusque figura quadrata comparet (p. 58 sqq.): quod quidem utrumque mihi non persuasit. Ac primum a phoenicio Zade profectum esse satis credibile videri possit, si modo ullum idque certum huius litterae vestigium in veterum Graecorum litteratura inveniri possit (§. 46, 3): hoc vero posito figura repetita esse non potest a Zeta, quod a Zade plane diversum esse vidimus. Multo autem minus ad Hebraeorum referri potest, quod tam recentis aetatis et duobus tribusve demum post Chr. seculis ex Palmyrena scriptura ortum est (§. 53, 4), ut litterae Etruscae mater esse nullo modo possit. Malo igitur, quum meliorem certamque sententiam dicere non possim, nunc de harum litterarum origine ignorantiam fateri, quam ad coniecturas delabi nimis temerarias.

c. Quae pro O posita est V littera, proprie *U* est, quo pro *o* utuntur Umbri.

Ceterum scriptura Umbrica, pariter atque Etrusca, a dextra ad laevam currit verbaque habet duobus punctis distincta.

3. Litteras *Oscas* atque *Samniticas* in titulis Abellano et Pompejanis atque in numis obvias, utpote non multum discrepantes, una columna (tab. 2 col. 4) comprehendere visum est, ad quam qui uberiores commentarios cupiat, adeat *Passeri Pict. Etruscas* T. II. p. LI, *Eckhel D. N.* I. p. 119 sqq. cf. Müller Etrusker Einleit. I, 7 et T. II. p. 313, quorum auctoritatem nos quoque in illa tabula secuti sumus, addito (auctore Lepsio l. c. p. 34) uno i. e. D Oscorum, de quo ita censeo, Oscos Delta illo modo pinxisse, ut distingueretur a littera canina, idque ea aetate inventum esse, qua litterae caninae haec forma vel nondum inventa erat vel certe Italis non innotuerat.

---

*) Cf. *G. F. Grotefendii rudimenta linguae Umbricae*, Hannoverae 1835. P. 1. 4. *Lassen über die Eugubinischen Tafeln, Rheinisches Museum für Philologie* T. II. fasc 2.

Digitized by Google

Quam figuram sub *Sain* s. *Zeta* posuimus, ea vulgo sub Sigma comparet, cuius potestatem haud dubie habet: nos ad originem suam eam revocavimus.

4. De litteris *Celtibericis* in Hispaniae Tarraconensis et Baeticae moneta obviis (v. *Mionnet* I p. 5. 21. 40 sqq. 50 sqq. *Recueil des Planches* tab. 16. 17. 18) non ita constat, ut singularum vis certo definiri possit. Quam vero *Velasquez* (*Ensayo* cet. tab. 5) contexuit earum tabulam, ea, licet ab Eckhelio iniquius iudicata (D. N. I p. 6), in plurimis satis recte se habere videtur, et partim litterarum Italicarum analogia, partim nonnullorum nominum propriorum lectione confirmatur. Certiores eius figuras eo saltem consilio apposui (tab. 2 col. 5), ut appareret, has litteras Oscis esse vicinas et eiusdem originis atque veterem Italiae litteraturam, manifestum autem esse eorum errorem, qui litteras incognitas in monumento Tuggensi obvias (de quibus vide lib. II, ad inscr. 56) Celtibericas esse censuerunt: quanquam nonnullae illius litterae Italicam originem prae se ferre videntur.

5. *Romanos* *) duobus primis post V. C. seculis Graecis Tuscisve litteris usos, dein litteraturam sibi propriam non ab Etruscis Oscisque, sed a Graecis Italiae incolis, fortasse a Campanis, petiisse, cum universa harum litterarum ratio et historia docet, tum egregie nuper exposuit *Odofr. Muellerus* **). Namque non in eo tantum recentiorem Graecorum morem imitabantur, quod litteras a laeva ad dextram dirigebant, sed plures etiam litteras a Graecis adoptabant, quibus caruerant veteres Itali, ut B, O, Q. Una in re Tuscorum vicinorum exemplum secuti esse videntur. Hi enim tertiae litterae *Γ*, *C* potestatem *τοῦ κ* tribuerant, idque ipsum fecerunt Romani, quorum littera C usque ad bellum Punicum secundum et C valebat et G (in columna Duilliana scribitur MACESTRATOS, CARTACINIENSIS), donec hoc posterius ab illo segregatum et in septimum alphabeti locum tunc vacuum (nam littera Z ea aetate uti nondum coeperant) insertum est.

In nostra tabula singularum litterarum originem monstraturi tertio loco et C posuimus et G: septimo loco Z (Zet) ex graeco Zeta ortum, licet sero demum a Romanis revocatum et propterea ultimo loco positum: sed consueto suo loco reliquimus S litteram, quanquam haec eius figura non a Schin, sed a Samech vel Zeta, originem repetit. Figurae ipsae in antiquissimis monumentis ***) a vulgaribus non multum diversae sunt. Vocabula aut continua serie scripta aut singulis punctis discreta sunt, ita tamen, ut praepositiones a nominibus suis disiunctae non sint, v. c. INITALIAM. DENOVO., alia quoque verba minora inter se copulata, NECHOC. NIQVISCIT †). A et E vocales, ut in Etruscis, more Orientalium passim omissae, v. c. *bne* pro *bene*, *cra* pro *cera*, *dcimus* pro *decimus*, *crus* pro *carus*, *Lebro* pro *Lebero* s. Libero ††): litterae nunquam geminatae v. g. *adito*, *ilo* in XII tabb. pro *addito*, *illo*.

*) v. SWINTON *de priscis Romanorum litteris*. Oxon. 1746. 4. LANZI *Saggio* T. I. p. 115 sqq.

**) *Etrusker* II, p. 311 sqq.

***) v. LANZI *Saggio* T. I. p. 142 sqq. cf. tab. 2.

†) LANZI I, 130.

††) MARIUS VICTORINUS p. 2459. LANZI p. 118.

Digitized by Google

B. DE ANTIQUISSIMA PERSARUM SCRIPTURA.

§. 50.

Persarum Sassanidarum scripturam ex Syriaca s. Palmyrena ortam esse, et satis constat inter eruditos et infra docebitur (§. 54). Sed ante invectum novum hoc scripturae genus iam aliud quoddam antiquius in usu fuisse, tum res ipsa poscit *), tum vetera monumenta monstrant, in quibus praeter nobilissimam illam scripturam cuneatam in ruinis aedificiorum, in lateribus et cylindris conspicuam, alius etiam litteraturae specimina reperiuntur, quam Phoeniciae filiam esse nemo facile infitias eat **), quanquam ipsa monumenta legere nemini hucusque contigit. Quo ea tempore a Phoenicibus ad Persas delata sit, ignoramus quidem cum ignarissimis: attamen in nostro litteraturae stemmate secundus hic locus ei assignandus videbatur, quum monumenta his litteris inscripta monumentis hebraeis et aramaeis (litt. C. D) ex parte certe antiquiora esse certo constet.

Illa autem monumenta haec fere sunt: 1) *numi* quidam *veterum regum Persarum* ante Alexandrum Magnum, *Darici* vulgo dicti a Numismatologis, quorum descriptionem et epigraphas habemus apud *Mionnetum* T. V, p. 640 sqq. pl. 29, no. 1 — 14. 30 bis, no. 7 — 17, qui propter miram similitudinem illam scripturam *phoeniciam* appellat.

2) *numismata Arsacidarum*, quorum pleraque, ut constat, graece inscripta sunt, nonnulla tamen persice, quorum epigraphas exhibet *Mionnetus* tab. 29, no. 1 — 8, cf. Tom. V, p. 686 sqq. Atque horum scriptura paullulum discrepat ab illa, originem tamen phoeniciam non minus manifesto prae se fert.

3) *numismata regum Bactriae* sec. 3 et 2 ante Chr. n. nuper ab *Honigbergero* reperta, graecis et persicis litteris inscripta, ab ill. Rochettio edita et illustrata (vide eius *Supplém. à la notice sur quelques médailles des Rois de la Bactriane*, *Extr. du Journal des Savans.* 1835. 4.). Epigraphas earum Persicas peculiari libello illustraturus est Jacquetus.

4) Ad idem scripturae genus mihi pertinere videntur *numismata* quaedam *Pamphyliae*, litteris inscripta, quae phoeniciae vulgo appellatae sunt, a nemine tamen probabiliter enucleatae (vide lib. III, cap. 2 fine).

Denique 5) nescio an eodem referendae sint *inscriptiones quaedam* in lateribus Babyloniis iuxta inscriptiones cuneatas repertae, quarum *duas* a *Bellinio* et *Ker Portero* anno 1818 in ruinis Babylonis repertas exhibemus inscr. 77 a. b ex apographo Hugii, quod exemplum Bellinii accurate imitatur. Priorem iam dedit *Grotefendius* (*Fundgruben des Orients* VI p. 161. 162), unde profecerunt Koppius (II, p. 154) et alii multi, paulo aliter delineatam (v. no. 77, aa) *Robertus Ker Porter* (Travels T. II.

*) Memoratur antiquior haec Persarum scriptura in Epiphanii loco, quem ad §. 54 exscripsimus. De inscriptionibus Darii persicis ad Bosporum vide Strabon. XV, p. 502, easdem assyriacas appellat Herod. 4, 87. Et ita Thucydides (IV, 50) memorat epistolas Artaxerxis litteris assyriacis scriptas.

**) Haec etiam Koppii sententia est II, p. 280 sqq.

Digitized by Google

tab. 77): praeterea autem viginti fere eiusdem generis lateres reperti sunt, quarum inscriptiones tamen vix et ne vix quidem dignosci poterant. Ipsi Bellinio hae litterae Semiticae una cum scriptura cuneata incisae videbantur, sed dubitat Grotefendius *),

*) Quum post Koppii praeconium hoc monumentum multorum virorum doctorum sermone celebratum sit, ipsius autem de eo relationes errore nitantur, adscribere liceat, quae Grotefendius V. ill. a me interrogatus, qua est integritate et humanitate, per litteras d. 18. Iul. 1825 datas mecum communicavit ex parte ex Bellinii epistolis excerpta, in quibus ea quoque, quam supra tetigimus, quaestio tractatur. „*Gern theile ich Ihnen die gewünschte Nachricht über die semitische Inschrift auf einem babylonischen Backsteine mit, bei welcher sich Herr Kopp ein* Quid pro quo *hat zu Schulden kommen lassen. — Die Zeichnung, welche er nach meiner Mittheilung gegeben hat, ist richtig, aber die Nachricht, die er S. 153 darüber mittheilt, ist falsch, weil sich diese auf ganz andere Denkmäler bezieht. Ich verdanke die Kunde von diesen Denkmälern und die genauen Abzeichnungen derselben meinem vormaligen Freunde Bellino, Secretär des Residenten Rich in Bagdad, dessen reiche Sammlungen nun das brittische Museum angekauft hat ..... Die von Herrn Kopp bekannt gemachte Inschrift führt, wie Sie aus der beiliegenden getreuen Kopie ersehen, den Buchstaben U, und was Herr Bellino darüber mittheilt, besteht in folgenden Worten eines Briefes vom 19. April 1819: «U sind Zeichen, die sich etwa einen Zoll unter einer dreizeiligen Backstein-Inschrift befinden, die mit der «übersandten [von mir in den Fundgruben mitgetheilten, Grot.] ganz gleichlautend ist. Ich erinnere «mich, früher mehrere Bruchstücke von Backsteinen «mit dergleichen Zeichen gefunden zu haben, die «ich aber nicht beachtete, und daher wieder wegwarf. Ich bin aber jetzt aufmerksamer geworden: «denn als ich die Ruinen mit Sir Robert [Ker «Porter] besuchte, brachte uns ein Araber einen «Backstein, worauf an der Stelle, wo sonst die «Inschrift zu seyn pflegt, die Figur eines Thieres «und einige den gegenwärtigen ähnliche Zeichen «erhaben ausgedrückt waren. Beides und ein Bruchstück mit dergleichen Zeichen hat Sir Robert für sein Werk abgezeichnet, worin auch die Inschrift U «erscheinen wird.» [Vide Ker Porter tab. 77] ... Die Nachrichten, welche Herr Kopp S. 153 mittheilt, sind aus einem Briefe vom 22. Mai 1818 und betreffen die babylonischen Urkunden, deren ich 12 besitze. Alle Briefe des Hrn. Bellino, eines gebornen Schwaben von italienischer Abkunft, sind deutsch geschrieben, nicht französisch, wie Herr K. vermuthet, weil in den Fundgruben statt des schwäbischen Ausdrucks «ausnehmen», gedruckt war «ausrechnen», welches Herr K. albern genug für eine falsche Uebersetzung des Wortes déchiffrer hielt. Hr. K. hat die übele Gewohnheit, sich allein für klug, und andere Leute für so dumm zu halten, dass er ihnen die albernsten Dinge zutraut, während er selbst zuweilen auf die albernste Weise verfährt. Was Hr. Bellino chaldäische Schrift nennt, habe ich später, Morier's Reise zufolge, für Pehlvi erkannt, obgleich die meistens sehr unkenntlichen Züge nach Bellino's Zeichnung der hebräischen Quadratschrift gleichen. Eben solche Schrift findet sich am Rande einer mit dem Namen Darius bezeichneten Urkunde quer eingeschrieben: aber dass diese Schrift, wie Hr. Bellino meinte, zugleich mit der vertieften Keilschrift eingegraben sey, ist meiner Ansicht nach ungegründet. Denn auf derjenigen Urkunde, wovon Herr Bellino spricht, ist am Runde, wo die Siegel der Zeugen aufgedruckt zu werden pflegen, wie man noch aus den Resten einiger Zeichen bemerkt, das Siegel weggekratzt, und in den dadurch entstandenen leeren Raum die chaldäisch-scheinende Pehlvi-Inschrift verkehrt eingegraben, so dass man deutlich erkennt, der Schreiber dieser Zeilen habe nicht mehr gewusst, wie die Keilschrift zu lesen sey. Wahrscheinlich hatte der spätere Besitzer dieser Urkunde, die von einem mir noch nicht deutlich erkannten Könige unterzeichnet worden, nach orientalischer Sitte darauf geschrieben, wie er zum Besitze dieses schätzbaren Alterthums gelangt sey. Als ich Herrn Bellino diese Vermuthung mittheilte, antwortete er mir in einem Briefe vom 15 April 1820: «Sie irren «sich, wenn Sie glauben, dass hier die Keilschrift «ausgekratzt wurde, um der chaldäischen Schrift «Platz zu machen: denn diese ist ungezweifelt, wie «der Augenschein lehrt, noch ehe das Thonstück

Digitized by Google

nec sine iusta ratione, quum scriptura Semitica inverso ordine posita sit et ab homine profecta videatur cuneatae scripturae imperito. Maior autem est de ipsa scriptura et, quam repraesentet, lingua virorum doctorum discordia.

« gebacken ward, eingegraben worden. Besässe ich « nur ein einziges solcher Stücke mit chaldäischer « Schrift [sie gehörten dem Herrn Rich], mit Freude « würde ich es Ihnen übersenden, um Sie durch « Selbstansicht zu überzeugen; durch Beschreibung « ist das kaum möglich, und noch weniger durch « Zeichnung. Die chaldäische Schrift ist allerdings « bei weitem nicht so tief als die Keilschrift; allein « diese ist überall, mit Ausnahme der Backstein- « Inschriften, welche auf einmal eingedruckt sind, « mit einem scharfen, messerartigen und spitzigen « Werkzeuge eingeschnitten, die chaldäische « Schrift hingegen ist mit einem Werkzeuge einge- « graben, dessen Spitze wie die einer Feder gewesen « seyn muss, womit man sich zum Arabisch- und, « wie ich glaube, auch zum Hebräischschreiben « bedient. Wäre die chaldäische Schrift nicht, ehe « noch das Thonstück gebacken ward, eingegraben « worden, so würde sich am Rande der dicken Züge « derselben gewiss nicht die kleine Schwulst befinden, « welche augenscheinlich von dem durch das Schreib- « werkzeug auf die Seiten gepressten Thon gebildet « ist, und sich nur durch äusserst hartes Backen « erhalten hat. In der Keilschrift ist diese Schwulst « nicht vorhanden, eben weil ihre Zeichen dort einge- « schnitten sind, auf den Backsteinen aber stempel- « artig auf einmal die ganze Inschrift eingedruckt « ward. Alles dieses gilt besonders auch von einem « vor mir liegenden, noch unabgezeichneten Stücke, « auf dem die chaldäische Schrift gleichfalls im Ver- « hältniss gegen die Keilschrift verkehrt geschrieben « ist. Für dieses Verkehrtseyn, das Ihnen so ver- « dächtig vorkömmt, wüsste ich zwar keinen guten « Grund anzugeben; vielleicht dürfte es aber blos von « einer abergläubischen Grille herrühren, eine Schrift « nicht über die andere zu schreiben. Ihren vorge- « schlagenen Versuch, ob dergleichen Thonstücke « durch ein zweites Backen so weich werden, dass « sich darauf schreiben lasse, kann ich hier nicht « anstellen, und ich dächte, Chemiker sollten Ihnen « hierüber wohl befriedigende Auskunft geben können.» Hiezu füge ich noch eine Bemerkung aus dem Briefe vom 22. Mai 1818: « Die chaldäische Schrift steht « auf dem linken Rande, und ist an ihrem linken « Ende, sowie dieses auch in einigen Stellen in D « [der von einem noch unbekannten Könige unter- « zeichneten Urkunde] der Fall ist, zur Hälfte mit « sehr feinem Sande bedeckt, der durch das starke « Backen wie verglast erscheint.» « Auf der Inschrift « D (heisst es im Briefe vom 15. April 1820) ist « unmittelbar von der obersten Zeile an die ganze « Fläche mit einer dichten Kruste von verglastem « Sande bedeckt, an dem sich das schärfste Messer « abstumpft.» Aus dieser Verglasung schloss Herr Bellino auf meinen Irrthum in Bezug der später eingegrabenen chaldäischen Schrift: indessen da nicht nur die Schrift verkehrt eingegraben, sondern auch sichtbar ein Siegel darunter weggekratzt ist, so kann ich mich immer noch nicht von meinem Irrthume überzeugen, und glaube, dass der spätere Einschreiber der Pehlvischrift (denn dafür halte ich die chaldäischscheinende Schrift) den Sand aufstreute, welcher durch ein zweites Backen des Thons verglasete. Denn warum hat man solche Verglasung nicht auf den andern Urkunden bemerkt, und warum erstreckt sich diese Verglasung nur auf denjenigen Theil der Urkunden, wo die Pehlvi-Schrift steht? Ich würde Ihnen übrigens von alle diesem nichts geschrieben haben, wenn nicht Hr. Kopp eines mit dem andern verwechselt hätte: denn die Pehlvi-Schriften kann ich Ihnen nicht mittheilen, weil sie im Ganzen so unkenntlich sind, dass sich daraus nichts Sicheres abnehmen lässt.“ — Quod Hugius (*Zeitschrift für die Freiburger Geistlichkeit* IV, p. 63) in ruderibus *Ninives*, non Babylonis, hos lateres repertos esse narrat, id haud scio an mero errore nitatur, quanquam idem vir egregius inde plura ad historiam Ninives pertinentia colligi posse censet „*Diese Backsteine*, inquiens, *beurkunden eine Thatsache, welche uns die Geschichte nicht überliefert hat, nämlich dass Ninive oder ein Theil desselben unter den persischen Königen wieder mit Mauern umgeben, oder in der Nähe des Alten ein Neues Ninive erbaut worden ist.*“ Namque etiam *Ker Porterus* tabulae suae no. 77, in qua inscriptionem edidit, ita subscripsit: „found at *Babylon* on bricks and marbles,“ idemque T. II. p. 421 de his

Digitized by Google

Ac primum quidem A) Koppius illam scripturam „babylonicam“ totius litteraturae antiquissimam, ipsa Phoenicia superiorem esse censet, quae ab ipsius scripturae inventione (quam Babyloniis ille potius quam Phoenicibus tribuit) omnium proxime absit: linguam vero *hebraeam* esse statuit, priorisque inscriptionis octo litteras ita legit et interpretatur

בו(א) חלד לנו

„veni duratio ad nos“

i. e. sit nobis perennitas, vel

„per id duratio nobis.“

Cui quidem opinioni, licet saepe temere repetitae, neque scripturae neque linguae rationes favent. Namque *litterarum formae* minime ita comparatae sunt, ut phoeniciis antiquissimis antiquiores, adeoque harum matres haberi possint. Ne *Beth* et *Resch* (tale enim, non *Daleth* videtur quinta littera) litterarum rotunda capita memorem, ne *Lamed* crure carens, *Vav* bis obvium figuram habet ab antiquissimis (v. §. 17 ibique notam) plane alienam, quae nonnisi in Palmyrenis et in Persica scriptura (tab. 4. 5) reperitur. Multo minus autem b) linguam hebraeam exspectes in monumento antiquo in Babylonia scripto, nisi forte ab Judaeo ibi exule haec scripta esse statuis. Et est haec

B) *Hugii* sententia, qui illius inscriptionis verba interpretatur: *per hoc* (opus latericium) *vita nobis*, et alterius

שטר אשף מרצש

ורא ויבוש

„es grub es ein Aschaf von Dezesch

und siehe! er erröthete“;

scripturam autem vetustam assyrio-hebraeam putat. Sed neque haec opinio probabilis, praesertim quum *multae* eius generis epigraphae exstare dicantur: atque haec ipsa inscriptio altera (cuius explicationem vir praestantissimus Palaeographis et Philologis aegre persuadebit) luculento mihi testimonio est, neque hebraeam esse illam scripturam, neque vetustissimam quandam Phoenicia superiorem, sed

C) quod recte viderat Grotefendius, *Persicam*, quanquam Pehlevicam eam non appellarim, siquidem nullum in eo vestigium est novarum illarum, quibus vetus alphabetum Persicum in monumentis Pehlevicis auctum est, litterarum.

Licet igitur de scriptura illa eiusque interpretatione certi atque comperti nihil dici possit, nisi prius veteris scripturae Persicae in numis conspicuae ratio enodata sit: illud tamen exploratum esse videtur, ad Phoeniciae litteraturae *filias* eam perti-

---

fragmentis: This idea (de scripturae semiticae usu in vita communi, cuneiformis in publicis monumentis) is supported by certain more easy marks observable on many of the clay cylinders and other fragments of the same material, engraved in short lines and evidently by some sharp-pointed instrument: a part of these is shewn in Plate 77, e. I have also in my possession two fragments of large bricks found at *Babylon*, containing similar apparently more familiar writing.“

Digitized by Google

nere, non eius *matrem* esse, illiusque inscriptionis, de cuius aetate et lingua minime constat, litteras a Koppio et qui hunc temere secuti sunt, sine ulla idonea causa in prima totius litteraturae acie collocatas esse.

C. SCRIPTURA HEBRAEORUM ANTIQUIOR CUM SAMARITANA.

§. 51.

Prisca Hebraeorum scriptura.

1. Eam scripturam, quae in principum Maccabaeorum numismatis comparet, priscam fuisse Hebraeorum litteraturam, in eo nostrae aetatis Palaeographi fere consentiunt, idque a nobis alibi copiosius disputatum *). Eiusdem autem permagnam esse cum litteris Samaritanis similitudinem ita agnitum est a viris doctis, ex quo innotescere coeperunt illa numismata, ut propter hoc ipsum ad nostra usque tempora „numi Samaritani, Hebraeo-Samaritani" appellati sint (§. 2), licet ad Samaritanos prorsus non pertinerent **). Quaecunque igitur antiquior eius historia est — qua de re disputare nunc non vacat — illud certissimum videtur, a Phoenicia litteratura eam prognatam esse, a Samaritanis autem utpote veterem et genuinam populi scripturam paucis mutatis retentam, quum Judaei contra Aramaeum quoddam scribendi genus amplecterentur (cf. §. 42, 4); neque prorsus contemnenda est trita illa de scriptura mutata traditio, quam tanquam inutilem fabellam abiectam volunt nonnulli recentiores a Koppio (II, 160 sqq.) dictata temere recinere, quam suis oculis videre malentes. Quanquam enim facile concedimus, Esram scripturae mutatae auctorem esse non potuisse, et scripturam quadratam seculo demum post Chr. tertio ortam esse, attamen Judaeos seculis aeram christianam proxime antecedentibus una cum lingua Chaldaea etiam Aramaeum quoddam scripturae genus adoptasse, Judaeorum Aegyptiorum monumenta (§. 41 sqq. lib. II, cap. 8) luculenter docent. Praeterea scriptura quadrata minime ex prisca illa Hebraeorum scriptura orta est, quam nunc tractamus, quae contra Samaritanis cessit: sed ex Aramaea Aegyptiaca et Palmyrena, ut verbo dicam, ex Aramaeis scripturae generibus, quae soli linguae Aramaeae scribendae olim adhibebantur. Quodsi igitur *Hebraeum* Veteris Testamenti contextum in codicibus his litteris exaratum invenimus, non possumus non dicere, has ad Hebraica scribenda *translatas* esse.

Numi hac litteratura inscripti inde ab anno CLXX computationis Selencidarum (qui coepit auctumno anni p. V. C. 611), quo principes Maccabaei monetae cudendae veniam impetrarunt (1 Macc. 13, 41), cusi sunt, plerique a Simeone, nonnulli a Jonathane, pauci iique bilingues (graece et hebraice inscripti) ab Alexandro Jannaeo et Antigono: delineati et explicati quum ab aliis multis, quos recenset Eckhelius III, 456, tum

*) *Geschichte der hebr. Sprache* §. 41 sqq. cf. Kopp *B. und Schr.* II, p. 220.

**) Eadem haec cum litteris samaritanis similitudo viris doctis viam ad litteras phoenicias legendas stravit. Samaritanae enim litterae, quarum potestas ex codicibus nota erat, ad valorem priscarum hebraearum in numis obviarum definiendum adhibitae sunt: harumque ope litterarum phoeniciarum potestas extricata (§. 2. 3).

Digitized by Google

maxime a *Francisco Perezio Bayero* (§. 3), qui duobus libris: *de numis Hebraeo-Samaritanis*, Valentiae Edetanorum, 1781. 4. *Numorum hebraeo-samaritanorum Vindiciae*, 1790. 4. priorum auctorum laudes longe superavit, omniumque suffragia meruit, frustra lacessitus a *G. O. Tychsenio*, cuius libellos silentio transimus.

Quod doctus ille Hispanus ex horum numorum epigraphis contexuit alphabetum (p. 224. vindic. p. 122), saepe recusum est (Eckhel doctr. num. III, 404. Mionnet Recueil tab. 26), subinde auctum a *Koppio* (II, p. 222 sqq.) et *Lindbergio* (de inscr. melit. p. 67): a nobis tab. 3 col. 1. in brevius contractum et ad ectypa Mionhetiana revisum. Singulas in eo litterarum formas ita disposuimus, ut initium faceremus ab iis, quae ad Phoenicias proxime accedunt, desineremus in eas, quae Samaritanis similes sunt.

Singulis autem quibusdam figuris illustrandis haec inserviant:

He alterum ita ortum ex priore, ut duo brachia inferiora sub finem coniuncta sint.

Vav litterae variae formae huic scripturae prorsus peculiares, de quarum origine vide §. 17 not.

Caph in Bayeri alphabeto omissum ex Jonathani numo supplevit Koppius.

Nun litterae quarta figura eadem potestate est in inscr. phoen. Erycina.

Zade ex figuris phoenicis, no. 1. 2 scapo abiecto ortum est.

In universum observandum est, litteras Beth, Resch capitibus superne apertis in hac scriptura, ut in phoenicia, raras esse: notas s. verborum compendia passim inveniri (ש pro שנת): orthographiam, quae apud Phoenices defectiva esse solet, subinde iam plenam esse v. c. ירושלים קדושה, quanquam etiam ירושלם קדשה, scribitur.

§. 52.

Scriptura Samaritanorum.

Samaritanarum litterarum duplex est genus, alterum maius codicum biblicorum, alterum minus librorum liturgicorum.

Prius illud, quo non solum Pentateuchi codices hodie superstites secc. XIII ad XVI scripti sunt, sed etiam epistolae ab huius gentis antistitibus ad viros doctos in Europa datae *), pariter atque scriptura quadrata, calligraphorum quidem artificia expertum est, sed in plurimis tamen figuris exemplar suum manifesto prodit. Una sibilantium (Sain, Samech, Zade) origo obscurior, neque facile dicas, unde repetitum sit Sain, unde Zade ea quam tabula ostendit figura pictum, qua de re apud

*) De codicibus Pentateuchi Samaritani, quorum septendecim (ad sedecim a Kennicotto et de Rossio descriptos unus accedit Gothanus partem Geneseos continens) in Europae bibliothecis exstant, paucis diximus in *Comment. de Pent. Samaritano* (Halae 1815. 4.) p. 17. De epistolis ad *Jos. Scaligerum*, *Job. Ludolfum*, *Gregorium*, et *Silvestrum de Sacy* datis v. *de Sacy Mémoires sur l'état actuel des Samaritains* p. 47 sqq. et eiusd. *Correspondence des Samaritains de Naplouse*, in *Notices et Extraits* T. XII. Paris. 1829.

Digitized by Google

Koppium quoque, in his rebus alias diligentissimum, altum silentium est. Iam supra autem vidimus, nil facile in hac litteratura intricatius esse, quam sibilantium historiam et mutuam rationem, et haud scio an harum nonnullae figuras inter se permutaverint (v. infra).

Posterius in codicibus liturgicis Londinensibus et Gothanis a me repertum et nuper editum *) ex illo manifesto ortum est, ita quidem ut tachygraphi figuras formarent nullo negotio et fugiente fere calamo pingendas, in nonnullis litteris etiam ad veterem simplicitatem redirent (v. Beth, Resch, Daleth). Prae caeteris notatu dignae figurae *Caph* et *Mem* litterarum, quarum denticuli a sinistra parte scapi comparent, quod ipsum a scribarum festinatione profectum videtur. Litterarum autem tabulae a nobis confectae aliam addidimus a Samaritano Jaffensi *Akerbladio* datam et a *Vlotenio* editam (*descr. cod. Samaritano-arabici Lugdunensis.* Lugd. 1803. 4. tab. 1), quarum figurae ab illorum codicum figuris satis discrepant **), ex parte tamen memoratu dignissimae sunt, v. c. *Aleph* et *Tau*, quae linea diacritica, *Tet* et *Koph*, quae puncto discernuntur; maxime autem sibilantes *Sain*, *Samech*, *Zade*, quarum figurae mihi ita explicandae videntur, ut *Sain* et *Samech* ortae sint ex variis figuris antiqui Samech ( ), *Zade* ex phoenicio .

Ceterum in utroque charactere verba singulis punctis distincta sunt: quae pronunciatu ambigua erant, subinde, sed raro, signo diacritico notata (v. lib. II ad inscr. 53).

D. SCRIPTURA ARAMAEA CUM FILIABUS.

§. 53.

Palmyrenorum litterae.

Scripturam vetustissimorum Aramaeorum Judaeorumque Aegyptiorum aramaice scribentium iam supra tractavimus (§. 41. 42). Huic proxima eiusque sive filia sive soror appellanda est *scriptura Palmyrena*, de qua nunc paucis agendum est.

Marmora hac litteratura inscripta, quorum *quindecim* hucusque innotuerunt (in his *decem* bilinguia), in ruderibus urbis Tadmor s. Palmyrae in Syriae deserto reperta, seculo p. Chr. secundo et tertio (ab anno 396 ad 569 aerae Seleucidarum) florentibus Palmyrenorum rebus dedicata sunt. Duo eorum iam sec. XVII Romam transvecta ibi in Museo Capitolino asservantur, tria alia inter marmora Oxoniensia reposita sunt, reliquorum nonnisi apographa a Dawkinsio et Woodio in Europam allata et edita exstant in eximio opere: *the Ruins of Palmyra*, London 1753 fol., unde repetita sunt a *Swintone* in *Philos. Transactions* Vol. 48. Accuratiorem tamen quattuor Oxoniensium imaginem dedit Rich. Chandler in *Marm. Oxoniens.* no. 8—11 (repetitam a *Koppio*, *Bilder und Schriften* II, 133. 251. 256), duorumque titulorum

*) *Carm. Samaritana s. Anecdotorum orientalium fasc. I.* Lips. 1824. tab. I, cf. p. 7. 8.

**) Nonnullae etiam suspectae sunt, certe vix accuratae, ut Schin.

Digitized by Google

Romae reconditorum post *Gruterum* (*Corp. inscr.* p. LXXXVI), *Sponium* (*recherches curieuses d'Antiquité* p. 59), *Hydium* (*de religione vett. Persarum tab.* 14), *Relandum* (Palaest. p. 526), *Adlerum* in *Aug. Ant. Georgii epist. de inscriptionibus Palmyrenis, quae in Museo Capitolino asservantur*, Romae 1782. 8. eximiam delineationem, quae iustam litterarum magnitudinem referat, dedit MICHELANGELO LANCI *de monumento Carpentoractensi* p. 142.

Litterarum in his monumentis potestatem post „*Rhenferdii periculum phoenicium*" (1704 editum, repetitum in Opp. Franequerae 1722. 4.) minus prospere eodem fere tempore enodarunt BARTHELEMYUS (*Reflexions sur l'alphabet et sur la langue, dont on se servoit autrefois à Palmyre.* Paris. 1754 cf. *Mémoires de l'acad.* T. 45 p. 179 sqq.) et Jo. SWINTON (in *Philos. Transactions* T. 48 ad annum 1754, T. II p. 338 sqq.) in summa rei inter se consentientes, quamquam alter alterius conatus ignoraverat. Atque hic quidem omne argumentum uberius tractans cunctas illas inscriptiones laudabiliter explicavit, curasque suas in eosdem lapides secundas edidit ad Chandleri Marmora Oxoniensia, ultra quas hodieque non multum processerunt viri docti (parum enim lucri inest in his, quae disputarunt Hartmannus in vit. Tychsenii II, 2 p. 282 et contra eum Koppius, *B. und Schr.* multoque minus in Georgii curis), nisi quod Lancius l. c. de duobus titulis Romanis optime meruit.

De horum titulorum explicatione fortasse alibi acturi hoc loco in unis litteris considerandis acquiescimus, quarum figurae in variis titulorum delineationibus et apographis ita diversae sunt, ut vix easdem esse credas: parvae gracilesque in Woodianis (unde litterarum tabulas fecerunt Barthelemyus et Swinton), crassae et horridae in Oxoniensibus, quae repetiit Koppius, ab utrisque diversae in Romanis apud Lancium; quae diversitas partim quidem ex apographis pendet (qui enim tituli gracilibus litteris pinguntur a Woodio, iidem crassis rudibusque exhibentur a Chandlero litterarum figuras accurate imitante), sed partim etiam in ipsarum litterarum varietate posita est. Nam quae in duobus monumentis Romanis a Lancio nitidissime depictis comparent figurae, et inter se et ab Oxoniensium lapidum figuris eodem modo et magis etiam discrepant, quam lapidis Carpentoractensis figurae a Blacassianis, vel adeo scriptura Palmyrena ab Aramea Aegyptiaca: ita quidem, ut in Romanis pleraeque figurae, ut *Beth*, *Daleth*, *Resch*, *Ain*, capitibus carentes, posteriorem aetatem prodant, aliae tamen, ut *Jod*, *Samech*, *Tau* ad Phoeniciam matrem prope accedant.

In litterarum igitur tabula condenda ita versatus sum, ut sub singulis litteris primo loco ponerentur figurae ex Oxoniensibus petitae, secundo loco puncto interposito ex titulo Romano Palmyreno-Latino incertae aetatis, tertio loco iterum puncto interiecto figurae lapidis Romani Palmyreno-Graeci anno 547 computationis Seleucidarum inscripti, quarto loco apographorum Woodianorum formae. *Koppius*, quem recentiores plerique sequuntur, in alphabeto suo Palmyreno (II, p. 157) ex solis Oxoniensibus pendet: unus *Hoffmannus* (*gramm. syr.* tab. 3) Romanorum etiam titulorum figuras ex exemplo Adleriano in tabulam suam retulit.

Digitized by Google

De universa autem hac litteratura singulisque eius litteris haec nobis animadvertenda sunt:

1. Palmyrena haec scriptura appellatur, quoniam tantum non omnia eius monumenta Palmyrae reperta sunt. Illorum vero titulorum unum ad Abilenen pertinere, illamque scripturam ea aetate probabiliter in Syria universa viguisse, ut iure suo *Syra* vocari possit, dudum observavit *Swinton* (l. c. pag. 748).

2. Matrem haec litteratura habet scripturam Aramaeam Aegyptiacam, ex cuius figuris Palmyrenae explicantur ad unam omnes (etiam *Nun* litterae figura finalis iam in illa scriptura invenitur): in eo praecipue immutata, quod litterae iam in illo scripturae genere paullulum sinistrorsum flexae, ut *Beth*, *Mem*, *Samech*, *Ain*, *Phe*, in Palmyrenis cum sequentibus litteris saepe copulantur, eamque ob causam etiam ubi non sunt copulatae (nonnulli enim tituli a litteris ligatis abstinent), scapos habent sinistrorsum flexos *). Aliae litterae, ut *Daleth*, *Resch*, *Vav* cum antecedentibus tantum litteris copulari possunt, et nullam fere mutationem subierunt. Peculiarem formam *finalem* una habet littera *Nun*, quum in Aramaeo-Aegyptiacis iam duae litterae finales exstant. Neque hoc mirum, quum eiusmodi figurae nonnisi in tali scriptura oriri possent, quae verba spatiis distincta haberet. Contrarium quidem magno cum strepitu, ut solebat vir beatus in rebus parvis, contra nos affirmat Koppius (II p. 132) ad Nun finale Palmyrenorum in scriptura non distincta provocans, sed hac ipsa re vir doctissimus luculenter refellitur: *hoc enim Nun finale* Palmyrenorum *non apud ipsos* Palmyrenos, *neque in continua scriptura ortum est, sed ex scriptura Aramaeo-Aegyptiaca petitum*, in qua verba nunquam non spatiis distincta sunt. Simili modo figurae litterarum *Beth*, *Caph*, *Mem*, *Samech*, *Ain* scapos infra sinistrorsum flexos, quos in scriptura ligata Palmyrenorum adoptaverant, etiam in scriptura quadrata retinebant, quanquam huius litterae ligari non solent.

3. Contra scriptura Hebraeorum quadrata nostram scripturam agnoscit matrem, ita ut omnes eius figurae vel eaedem sint (modo in Oxoniensibus, modo in Romanis), vel facile inde explicari possint (cf. *Gimel*, *He* ה ex , *Samech* ס ex): exceptis solis litteris *Chet* et *Koph*, in quibus quadrata figura ad Aramaeo-Aegyptiacam propius accedit, et ab illa, non a Palmyrena repetita est.

4. Litterarum in Phoeniciis capitatarum *Beth*, *Daleth*, *Caph*, *Ain*, *Resch* hic etiam habemus formas capitibus superne apertis: in multis autem titulis praecipue in Romanis, capita plane evanuerunt, ut in quadrata. Ain adeo, quod in Oxoniensibus figuram quadratam habet, in Romanis eam iam formam exhibet, quae in Syrorum scriptura Estrangelo dicta vulgaris est. — *He* in inscriptione Romana Palmyr. Graeca variarum figurarum antiquissima est et originem suam ex scriptura phoenicia (cf. etiam *He* fragmenti Taurinensis) prodit: ex eadem ortum He quadratae scripturae. — *Jod* reliquis multo maius in eodem titulo comparens itidem parvis figuris antiquius esse

*) Vide Kopp II, pag. 104.

Digitized by Google

videtur, et ex phoenicio ⌒ ortum. — Quod *Lamed* in utroque Romano lineam habet infra sinistrorsum flexam, ex litteris ligatis ortum. — *Samech* litterae ea figura antiquissima est et primaria, quae in titulo Romano Aramaeo-Graeco comparet, videlicet superne dentata. Dentes enim, sensim omissi, ad veterem et genuinam huius litterae formam pertinent: figura rotunda scripturae quadratae ex illa iunctura orta est, ut hunc in modum se excipiant figurae:

Etiam *Tau* litterae antiquiores figuras habet alter titulus Romanus, reliquae sensim paullatimque ad figuram quadratam deflectunt.

5. Verba, ut iam diximus, ubique non distincta: orthographia more Aramaeorum in litteris *Vav* et *Jod* semper plena. Ligaturae ubique intra singulorum verborum fines se continent, et nunquam plures, quam duae, litterae copulantur.

6. De cifrarum in his titulis ratione vide infra §. 58 *).

§. 54.

Scriptura Sassanidarum et Zendica.

1. De antiquissima Persarum scriptura supra (§. 50) dictum est. Hanc deinceps Sassanidarum aetate aliam excepisse ex Syriaca s. Palmyrena ortam et nobilissimus docet Epiphanii locus **) et harum litterarum inter se comparatio confirmat ***).

Reperitur haec litteratura a) in inscriptionibus ruderum *Nakschi-Rustam* dictorum (v. prae ceteris *Niebuhrii itin.* II, tab. 27 ad p. 142) in vicinia Persepoleos, quas docte explicavit Silv. de Sacy in *Mémoires sur diverses antiquités de la Perse* p. 1 sqq. [alias nondum explicatas exhibet *Ker Porter*, *Travels* I, p. 512]; b) in inscriptionibus montis *Bi-sutoun* prope Kirmanschah, Curdistaniae oppidum, (v. itineratorum narrationes apud *de Sacyum* l. c. p. 217 sqq. adde *Ker Porter Travels* II, 178 sqq.) ab eodem illustratis (p. 242 sqq.); c) in numismatis regum Sassanidarum (ibid. p. 166 sqq.), quanquam litterae in his conspicuae tam degeneratae sunt, ut sine reliquorum monumentorum ope vix et ne vix quidem discerni potuissent. Vide tab. nostram *quintam*, in qua Sassanidarum alphabetum ita disposuimus, ut primo loco poneremus figuras ex inscriptionibus Nakschi-Rustamicis petitas; his puncto interposito adiungeremus, quae forte

---

*) Mittimus reliqua alphabeta Syra et antiquiora arabica, ut Zabicum, Estrangelo, Cuficum, et aliunde satis nota (cf. Hoffmanni gr. syr. tab. 2. 3. de Sacy gramm. arab. T. I. tab. 1. Hupfeld in Ewaldi gr. arab. T. I) et, quum pleraeque figurae litteras ligandi consuetudine vehementius immutatae sint, a consilio nostro nimis aliena.

**) Adv. haereses lib. 2 p. 629 ed. Patav. *Βίβλους γὰρ οὗτος* (Manes) *διαφόρους ἐξέθετο. μίαν μὲν ἰσάριθμον εἰκοσιδύο στοιχείων τῶν κατὰ τὴν τῶν Σύρων στοιχείωσιν δι' ἀλφαβήτων συγκειμένην· χρῶνται γὰρ οἱ πλεῖστοι τῶν Πέρσων μετὰ Πέρσικα στοιχεῖα καὶ τῷ Σύρῳ γράμματι, ὥσπερ παρ' ἡμῖν πολλὰ ἔθνη τοῖς Ἑλληνικοῖς κέχρηνται καὶ τοίγε ὄντων σχεδὸν κατὰ ἔθνος ἰδίων γραμμάτων. ἄλλοι δὲ δῆθεν τὴν βαθυτάτην τῶν Σύρων διάλεκτον σεμνύνονται, τὴν τε κατὰ τὴν Παλμύραν διάλεκτον, αὐτὴν δὲ καὶ τὰ αὐτῶν στοιχεῖα, εἰκοσιδύο δὲ ταῦτα ὑπάρχει.*

***) Cf. de Sacy l. c. p. 22.

Digitized by Google

in titulis Kirmanschahicis essent ab illis discrepantes (v. *Mionnet Recueil* tab. 26, cf. pag. 6); et nove puncto interiecto potiores figuras ex numismatis petitas (*de Sacy* l. c. p. 171 ibique tab. 7).

Plerarumque litterarum ex Palmyrenis origo satis manifesta est (v. Beth, Vav, Chet, Jod, Caph, Lamed, Resch, Tau): alia non minus certa, licet non statim in oculos incurrens, velut *Aleph* fig. palmyr. 7, *Samech* ex Palmyreno no. 2. Sed nonnullae tamen figurae ex hoc fonte explicari nequeunt, et vix dubitari potest, quin hae ex antiquiore scriptura Persica, quam Phoeniciae originis fuisse supra vidimus (§. 50), ortae sint, veluti *Zain*, quod antiquissimam figuram phoenicio-persicam servavit (§. 18), et *He*, quod haud scio an ortum sit ex Chet recentiorum Phoenicum (§. 19).

Ceterum in omnibus Sassanidarum monumentis verba continua serie retrogrado cursu scripta sunt: litterarum ligatarum nulla exempla exstant.

2. Alphabetum *Zendicum* nunc ditissimum multisque litteris constans, quarum potestatem ex linguarum Sanscritanarum analogia nuper egregie explicavit *Boppius (Vergleichende Grammatik des Sanscrit, Zend u. s. w.* p. 29 sqq.) a disputatione nostra alienius videri possit. At in tantis eius mutationibus incrementisque haud paucas eius litteras partim ex vetustissima Persarum scriptura servatas esse et ipsam Phoeniciam originem prodere (v. Daleth, Sain), partim ex Palmyrenorum et Sassanidarum litteratura ortas, et satis certum videtur et tabula nostra (tab. 5 col.) monstrabit, in quam omissis reliquis incertae originis litteris nonnisi eas recepimus, quarum origo Semitica ex ipsa figura manifesta est.

E. SCRIPTURA AETHIOPICA.

§. 55.

Aethiopum litteras neque ab ipsis Auximitis inventas, neque graecae originis esse *), sed Phoeniciam litteraturam matrem vel potius aviam habere, primus, ni fallor, ipse paucis exposui in *Encyclopaedia universali ab Erschio et Grubero edita* T. II. p. 112 (1819), quod fugisse videtur *Koppium*, qui biennio post (*Bilder und Schriften* II, p. 344) hoc argumentum tanquam recens a se inventum retractans vulgarem de graeca origine opinionem penitus explosit **).

---

*) Prior sententia erat Iobi Ludolfi in *hist. aethiop.* 4, 1 cf. *Comment. ad hist. aethiop.* p. 555, posterior multorum, quos recenset *Koppius* l. c., cuique et ipse olim subscripseram (*hist. ling. hebr.* p. 138). His vero, qui reiecta Graeca origine domesticas huic litteraturae origines tribuerent, prae ceteris accensendus Salttus contra *Murrayum* (ad *Bruce's Travels* Vol. II, p. 402) disputans in *Travels in Abyssinia* p. 414, ubi veteres litteras Aethiopicas exhibet in aversa parte monumenti Axumitani insculptas. Si enim, quod sane probabile, haec inscriptio Aethiopica eodem tempore cum Graeca incisa est, recte inde colligas, litteras eius iam Aizanae tempore in Aethiopia domesticas fuisse.

**) Cf. *Hupfeldii exercitt. aethiop.* p. 1 sqq.

Digitized by Google

Phoeniciae, non Graecae, originis duae potissimum causae sunt. Una est in manifesta haud paucarum *figurarum* cum Phoeniciis similitudine (v. tab. nostram 5, ibique maxime Gimel, Lamed, Nun, Ain, Koph, Tau): altera in *nominibus* litterarum, quae non cum Graecis Arabicisve, sed cum Hebraeis s. Phoeniciis congruunt, et, ubi discrepant, eiusdem tamen significationis sunt, velut *Alf*, *Beit*, *Geml*, *Dent* (pro Daleth), *Hoi*, *Zai* (cf. זַי pro זַיִן), *Haut* (حوط = חוּט sepes, septum), *Tait*, *Jaman* i. e. dextra pro *Jod* manus, *Kef*, *Lawe* s. Law, *Mai* i. e. aqua pro Maim, *Nahas* serpens (pro *Nun* pisci), *Ain*, *Af* i. e. os i. q. פֶּה, *Kuf*, *Rees*, *Sen*, *Taw*. Neque tamen ab ipsis Phoenicibus litteras accepisse censendi sunt Aethiopes, sed ab Himjaritis s. Homeritis, qui scripturae genere utebantur aethiopico admodum simili, المُسْنَد (i. e. scriptura *fulta*) apud Arabes appellato in vetustis inscriptionibus superstite et litteris non ligatis conspicuo *): cuius accuratior notitia tum alias ob causas, tum ad aethiopicae litteraturae origines plenius enodandas magnopere optanda est.

In tabula nostra *quinta* nonnisi eas Aethiopum litteras dedimus, quarum cum Phoeniciis similitudo manifesta est: de reliquarum etiam origine qui coniecturas legere cupit, is Koppium adeat l. c.: sed vereor ne Homeritica scriptura olim plenius in lucem protracta harum magna pars ad nihilum recidat.

Ceterum quod verba divisa sunt binisque punctis distincta, quod litterae more Graecorum a laeva ad dextram currunt, denique quod consonis vocales affixae sunt ad graecarum vocalium exemplar conformatae, id post Constantini demum tempora a Graecis repetitum esse videtur **).

CAPUT SEXTUM.

DE SIGNIS NUMERALIBUS PHOENICUM.

§. 56.

1. Primus fuit *Rhenferdus* (literaturae phoen. spec. §. 77), qui signa NNN in quibusdam Phoenices propriae numis characteres arithmeticos esse suspicaretur, quanquam

*) Vide quae copiose disputat *Silv. de Sacy* in *Mémoire sur l'origine et les anciens monumens de la littérature parmi les Arabes*, Paris 1803. 4. pag. 11—34, qui tamen ipse (p. 36) Homeriticam scripturam vel ex Aethiopica ortam vel eandem cum Aethiopica fuisse, hanc vero ex Graeca ortam putat. Unica eius specimina, ni fallor, dedit *Seetzenius* in *Fundgruben d. Orients* II, p. 282, nam quae *Lancius* ex codicibus Vaticanis edidit et explicuit (in *dissertazione storica-critica su gli Omireni e loro forme di scrivere trovate ne' codici Vaticani.* Roma 1820. 8) ad scripturam المسند vix pertinent. Ceterum Arabum scriptores omnem fere scripturam ipsis incognitam et litteris non ligatis scriptam *Himjariticam* appellasse videntur. Ita certe auctor anonymus descriptionis Africae in cod. Paris. no. 580 (v. QUATREMERE *notice d'un ms. arabe contenant la description de l'Afrique* p. 65), qui inscriptionem in theatro Carthaginensi suo tempore exstantem, quae haud dubie *punica* erat (v. ad inscr. nostr. 55) Himjaritiçam appellat.

**) *Hupfeld* l. c. p. 4.

Digitized by Google

ultra hanc coniecturam non progressus est. Integra igitur est Swintonis laus, qui notas numerales in numis „Sidoniis“ (rectius, in incertis Phoenices) exposuit in: *a dissertation upon the phoenician numeral characters antiently used at Sidon* (Philos. Transactions T. I. p. 791 sqq. cf. tab. 31. 32), cuius vestigia presserunt *Pellerinus* (Recueil III, p. 139. Suppl. IV. p. 4) et *Eckhelius* (doctr. num. III, p. 410. 411), hic tamen, ut solet, in Swintonis merita iniquior et paene fastidiosus. A recentioribus paucae additae sunt observationes, ut a Bellermanno (phön. Münzen III, p. 30), Lindbergio (de inscr. melit. p. 20. 50): ne verbulo quidem has notas attigit Koppius.

2. Reperiuntur haec signa in numis Sidonis (v. litt. Y. Z. AA. BB), Ptolemaidis (lib. III, no. 3), Marathi (ibid. no. 5) aliisque Phoeniciae incertis (ibid. no. 8), in nonnullis Phoenicio-Persicis (v. Mionnet Recueil des Planches pl. 29 infra), in Cossuraeis (lib. III, no. 13), et fortasse in inscriptione Numidica 1, in quibus omnibus ea annorum numero designando inserviunt. Maxima eorum varietas est in Phoeniciae propriae numis. Qui quidem quum maximam partem admodum detriti (v. Swinton tab. 31. Mionnet l. c. tab. 23—25) eamque ob causam non satis accurate editi sint, cavendum est, ne falsis exemplis palaeographiae leges adulterentur *).

§. 57.

Ipsa horum signorum ratio haec est:

1. *Monades* (I—IX) lineolis perpendicularibus indicantur,

𐤙 tres, 𐤚 quattuor, 𐤛 quinque, quae subinde ternae arctius copulantur, ut

𐤙𐤙 sex, etiam $\begin{matrix}𐤙\\𐤙\end{matrix}$. Vide numos Aces litt. D. F et Lindbergium l. c. p. 50.

2. *Decades* plerumque linea horizontali — indicantur, quae ubi cum monadibus copulatur, superiorem lineae partem occupare solet, hunc in modum

𐤙 — i. e. XII

𐤚 — i. e. XIV.

Ubi plures sunt decades, lineae vel iuxta ponuntur, vel una subter alteram, ut

— — et = i. e. viginti

— = i. e. triginta

(v. numos Aces A — F): quanquam ultra triginta hunc in modum non pergitur (v. no. 3).

*) Apud Mionnetum tab. XXIII, no. 11. 12. 13 14. 21 lineolae monadem designantes 𐤙𐤙𐤙 positae sunt ante decades NN. Sed in his omnibus ea pars epigraphes, quae aeram continet, inverso ordine posita est, ut summa ima sint. Contra omnia recte se habent in tab. XXIV no. 25. 26. 27. 54. 56. 57. 60. 61. 62. Etiam in iis, quae ex Swintone dedimus sub incertis Phoeniciae, nonnulla signa numeralia valde dubia sunt.

Digitized by Google

Alia figura itidem *denarium* numerum designans est haec semilunaris

Nam pro eo, quod in numo Aces litt. G legitur — O, in simillimo litt. H est ⌒ O idemque signum recurrit in numis phoenicio-persicis, Mionnet pl. 29, no. 9—11, inter *viginti* et *monades*, certe ante monades:

In Cossuraeis idem signum, quanquam paullo inflexum, frequens est post aliud, quod *viginti* significare censeo, idem denique in subscriptione tituli Numidici primi comparet.

3. Numerus *vicenarius* persaepe hac figura N indicatur, quae bis, ter, quaterve repeti potest, si XL, LX, LXXX exprimendum est, addito denario, ubi XXX, L, XC scribere volunt, veluti

NN = XL
—NN = L
—NNNN = XC

Hoc pertritum (v. Swinton. Mionnet. ll. cc.): sed rariora eiusdem significationis signa sunt

a) i. e. N inversum, v. num. Marathensem

b) H, quod semel positum exstat in numo incerto Phoeniciae litt. D, hac serie IIII—HNN, geminatum in Coss. E. F. H. I. K, ter geminatum in moneta phoenicio-persica ap. Mionnet pl. XXX (bis) no. 12. Numerale id esse, ex his omnibus certum est: idque *viginti* notare ex Cossuraeo valde probabile fit, in quo praecedit *denarium*. Ex eo numo, quem primo loco posuimus, ubi *H* ponitur inter N = XX et — i. e. X, colligat quispiam, hac figura designari numerum, qui medius sit inter XX et X i. e. XV; sed quis, quaeso, sibi persuadeat, Phoenices, qui ne quinarium quidem numerum peculiari nota designabant, XV peculiari signo scripsisse? Non potest igitur non H ibi idem valere quod N, si modo satis certa est illa delineatio. Iure enim mireris, eandem cifram bis N scriptam esse, semel H.

c) et : illud ortum ex H, hoc ex N. Vide Cossur. G. L, ibique commentarios nostros.

4. Numerum *centenarium* interdum ipso nomine מאה (*centum*) exprimunt, etiam ubi reliqui numeri cifris expressi sunt (v. Marath. A, et cf. litteras מ et מא in numis phoenicio-persicis Mionnet XXIX, no. 5. 12). Sed peculiaria huius numeri signa sunt:



(v. *prim.* Sid. Y; *secundum*, quod frequentissimum est, Mionnet pl. XXV, 70. 73. 74.

Digitized by Google

75. 78. 79. 83. 84. 86; *tertium* apud nos Sid. AA. BB. Marath. B. I, Mionnet pl. XXV, 66. 67. 71. 72. 76. 77. 80. 81. 85. 87; *quartum* in incertis Phoenic. B. et apud Swintonem, apud quem tamen nescio an nonnullae figurae non satis accurate depictae sint).

Ducenti ita pinguntur

in numo incerto Phoeniciae ap. Swint. l. c. no. 4, ut facile colligas, etiam CCC usque ad DCCCC eadem ratione expressos esse: sed exempla numeralium, quae ducenarium numerum excedant, in monumentis non reperio: nisi forte signum illud incognitum in subscriptione Numid. 1 *millenarium* numerum exprimit.

5. Numeri ex pluribus compositi ita se excipiunt, ut a maiore initium fiat et ad minorem pergatur, v. c. in Sidonio AA:

i. e. anno CXLV.

§. 58.

Praeter Phoenices in iis litteraturae generibus, quae superiore libro tractavimus vel paucis attigimus, peculiaria signa numeralia reperiuntur:

1) in *scriptura Palmyrena*, in qua monades I—IV lineis perpendicularibus, V signo , X hac figura , exprimitur. XX est . C = ;

2) in scriptura *Aramaea Aegyptiaca*, ibique in papyro Vaticano, in quo has notas numerales indagavit et mecum communicavit *Beerius*, vir doctissimus, mox in libri sui supra laudati (§. 42) altera parte copiosius tractandas et vindicandas. Monades I—IV ibi lineolis exprimuntur, quae ternae iungi solent; X est —, ut in Phoeniciis; XX = , ut in Palmyrenis; = C, cui accedunt duo signa, quae *mille* et *decies mille* significare censet Beerius;

3) in *scriptura Pehlevica* (v. Wahl Gesch. d. morgenländ. Sprachen und Litt. tab. 1), in qua itidem monades ternae copulantur et ligantur v. c. = 5; = 10, = 20, quibus accedent peculiaria signa centenarium et millenarium numerum designantia;

4) in *scriptura Etrusca*, ubi / est I; ∧ = V; X = X, , T, = L; ⊙ = C; ∞ = M v. O. Müller Etrusker II, p. 317 sqq.;

5) in *Romana*, et

Digitized by Google

6) in *Aethiopica*, ubi tamen numeralia manifesto ex Graecorum litteris facta sunt*).

Veteres Hebraei in numis pariter atque Graeci litteris suis pro numeralibus utebantur v. c. in numo Simeonis שב i. e. שנת ב *anno secundo* **).

§. 59.

Origo illarum notarum apud Phoenices paulo obscurior est. Bellermannus et Lindbergius ll. cc. eas ex litteris ortas esse statuunt, ita ut — et ⌒ = X proprie *Jod* sit, quae est *decima* littera; N = XX ortum ex aliqua *Caph* litterae figura; centenarii numeri nota ex *Koph* praeposita linea perpendiculari, monadis signo. Neque haec vero dissimilia. Favet enim cum plerorumque numeralium origo ex litteris ***), tum nonnullorum (si modo apographis fides habenda est) figura ad litterarum illarum figuram propius etiam, quam vulgaris, accedens, velut

et = C

(Mionnet XXV, no. 68. 69), ubi prius signum Koph litterae persimile est. Etiam in denarii numeri signo nihil difficultatis inest (cf. §. 22. no. 27. 28); unum illud quod *vigesti* notat, a Caph littera non facile ducas: quanquam etiam hoc explicari potest. Ex ea enim huius litterae figura, quae apud nos *duodecima* est et *sexta decima* facile fieri poterat signum , quod fortasse primarium et nativum est, unde orta sunt N et ⋀.

Sed haec sufficiant de Phoenicum litteris.

---

*) De notis numerorum in scriptura hieroglyphica, hieratica, enchoria post *Iomardum*, *Youngium*, *Champollionem* v. *Kosegarten de prisca Aegyptiorum scriptura* Comment. I. p. 52 sqq.

**) Eckhel doctr. num. III, p. 468.

***) Cf. O. Müller l. c. p. 320.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS

INSCRIPTIONES PHOENICIAS ILLUSTRANS.

Tituli marmori, metallo, ebori Phoeniciis Punicisque litteris inscripti iam a veteribus scriptoribus passim memorantur. Quorum facile nobilissimus est titulus bilinguis ab Hannibale anno post V. C. 547 arae Iunonis Laciniae inscriptus, de quo Livius (XXVIII, 64): „*propter Iunonis Laciniae templum aestatem Hannibal egit: ibique aram condidit dedicavitque cum ingenti rerum a se gestarum titulo Punicis Graecisque litteris insculpto.*“ Admodum memorabilis praeterea erat inscriptio aeneis columnis templi Herculis Gaditani insculpta, sumtus in hac aede aedificanda collocatos recensens (Strab. III. p. 170 Casaub. *οἱ δὲ τὰς ἐν τῷ Ἡρακλείῳ τῷ ἐν Γαδείροις χαλκὰς ὀκταπήχεις, ἐν αἷς ἀναγέγραπται τὸ ἀνάλωμα τῆς κατασκευῆς τοῦ ἱεροῦ*) et Numidica Masinissae dentibus eburneis in fano Iunonis Melitensis incisa. Ita enim Val. Max. 1, 1: *At non similiter Masinissa rex: cuius quum praefectus classis Melitam appulisset, eque fano Iunonis dentes eburneos eximiae magnitudinis sublatos ad eum pro dono attulisset: ut comperit, unde advecti essent, quinqueremi reportandos Melitam inque templo Iunonis collocandos curavit, insculptos gentis suae litteris significantibus regem ignorantem eos accepisse et libenter Deae reddidisse*, quae iisdem fere verbis leguntur apud Ciceronem in Verr. act. 2 lib. 4, 46, sed sub finem ita: *itaque in his inscriptum litteris Punicis* (cf. lib. 1 §. 35) *fuit: regem Masinissam imprudentem accepisse: re cognita reponendos restituendosque curasse.* Contra a suspicione non immunis est pervulgatus ille titulus teste Procopio (de bello Vandalico 2, 10) duabus columnis prope Tigisin Numidiae, ut ferebatur, a Cananaeis ab Josua expulsis insculptus. Narrat Procopius l. c. Cananaeos, postquam Josuam vinci et repelli non posse intellexissent, primum in Aegyptum confugisse, dein, cum ibi propter incolarum multitudinem sedem figere non possent, in Africam transvexisse; tum addit: *πόλεις τε οἰκίσαντες πολλάς, ξύμπασαν Λιβύην μεχρὶ στηλῶν τῶν Ἡρακλέους ἔσχον· ἐνταῦθά τε καὶ ἐς ἐμὲ τῇ Φοινίκων φωνῇ χρώμενοι ᾤκηνται, ἐδείμαντο δὲ καὶ φρούριον ἐν Νουμιδίᾳ πόλει, οὗ νῦν πόλις Τίγισίς ἐστί τε καὶ ὀνομάζεται. ἔνθα στῆλαι δύο ἐκ λίθων λευκῶν πεποιημέναι ἀγχὶ κρήνης εἰσὶ τῆς μεγάλης, γράμματα Φοινικικὰ ἐγκεκολαμμένα ἔχουσαι τῇ Φοινίκων γλώσσῃ λέγοντα ὧδε· ἡμεῖς ἐσμεν οἱ φύγοντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ ληστοῦ υἱοῦ Ναυῆ.* Tigisin Numidiae intelligendam esse, non Tingin Mauritaniae, ut a multis factum, docte nuper disputavit nobisque plane persuasit *Hamakerus*

Digitized by Google

(Miscell. phoen. p. 218): de totius vero narrationis fide dubitamus cum *Mignotio* (Mémoires de l'acad. XLII, p. 28), *Mannerto* (Geographie der Griechen und Römer X, 2 p. 197) al., quanquam de hac causa nunc quidem disputare non vacat *).

Atque illa quidem monumenta publica erant omnia. Eorum autem, quae hodie supersunt et hoc libro illustrabuntur, pauciora sunt, quae publica appellari possunt, veluti titulus Citiensis *primus* ad dedicationem fani pertinens, Numidici 1—4 a Numidiae regulis principibusque suis et populi verbis Deo Solari consecrati, Numidicus *quintus* (no. 61) a Numidiae regulo post victoriam de Romanis reportatam dedicatus, Tripolitanus *primus* (no. 64) a Suffetibus Tripolitanis Severo Augusto inscriptus. Reliqua omnia privata sunt, eaque vel sepulcralia (no. 2. 5. 6. 7. 9—42. 44. 53. 54. 56. 62. 63. 71. 72), vel votiva Baali, deo ἐγχωρίῳ, consecrata (no. 1. 3. 4. 46—52. 65): nonnulla sola nomina continent vel vasculo (no. 43) vel sigillis inscripta (no. 45. 67. 67 b. 67 c. 68. 69. 70). In Aramaeis Aegyptiacis adeo quaedam fragmenta sunt librorum papyro inscriptorum (no. 73—75).

Utrique autem monumentorum Phoeniciorum generi, inscriptionibus et numis, propria sua virtus est pretiumque in re palaeographica peculiare. Ac numismata quidem, quum singularum epigrapharum plures (ut ita dicam) editiones esse soleant, singularum autem editionum saepe plura interdum adeo multa exempla exstent, hanc ob causam tum certissimae explicationis sunt tum in litteris obscuris illustrandis utilissima (lib. 1 §. 11): contra (ne de epigraphis dicam in operibus numismaticis saepe mala fide depictis) etiam eos, quibus ad ipsa numophylacia aditus est, saepe vexat et male habet turpiter detrita multorum exemplorum conditio, et, quanquam horum numorum non exiguum momentum est in historia et geographia illustranda, tamen pauca illa, quae continent, verba ad linguam Phoeniciam illustrandam parum faciunt. Ex inscriptionibus vero titulisque, praesertim maioribus illis, qui non nomina propria tantum, sed integras sententias continent, etiam de universae linguae indole et orationis colore iudicium facere licet: et quanquam singulorum (praeter unum Melitensem no. 1) singula tantum exempla exstant, tamen eorum lectio tum maiore litterarum modulo, tum ipsorum monumentorum ambitu similiumque inter se comparatione ita iuvatur, ut, *si modo ad ipsa autographa aditus sit*, non multum dubii superesse soleat.

CAPUT PRIMUM.

INSCRIPTIONES MELITENSES.

Melitam antiquissimis temporibus Phoenices colonos habuisse, qui magni faciebant hanc insulam propter locorum portuumque opportunitatem tutum in itineribus mercatoriis

*) Praeter ea quae laudavit Hamakerus l. c. v. *Io. Chr. Leuschneri dissert. super Procopii testimonio de columnis Tingitanis valde probabili*, sub finem opusculorum variorum de secta Elpisticorum Lipsiae 1755 editorum.

De titulo quodam Punico in theatro Carthaginensi exstante et a scriptore quodam Arabico commemorato v. ad inscr. 55.

Digitized by Google

refugium praestituram, atque Melitenses iccirco mox divitiis et nomine inclaruisse, testis est Diodorus nobili de Melita loco lib. V cap. 12: *ἔστι δὲ ἡ νῆσος αὕτη Φοινίκων ἄποικος, οἳ ταῖς ἐμπορίαις διατείνοντες μεχρὶ τοῦ κατὰ τὴν δύσιν ὠκεανοῦ καταφυγὴν* *) *εἶχον ταύτην εὐλίμενον οὖσαν καὶ κειμένην πελαγίαν. δι' ἣν αἰτίαν οἱ κατοικοῦντες αὐτὴν εὐχρηστούμενοι κατὰ πολλὰ διὰ τοὺς ἐμπόρους ταχὺ τοῖς τε βίοις ἀνέδραμον καὶ δόξαις ηὐξήθησαν.* Postea Carthaginensibus ea cessit, propterea primo bello Punico ab Attilio spoliata (Oros. IV, 8), secundo a Romanis occupata (Liv. XXI, 51), quanquam etiamtum linguae Phoeniciae usum abolitum non esse, vel ex eo intelligitur, quod Melitenses multo post (Act. 28, 2. 4) *βάρβαροι* appellantur.

Inscriptiones quasdam Punicas apud Melitenses repertas primus memorat Ioannes Qvintinus Heduus in eius insulae descriptione (Lugduni Batavorum 1536, Burmanni Thes. T. XV) et in epistola ad Sophum 1533 scripta, his verbis: *Nostra haec Melita insula est, mari satis periculoso, a Sicilia distincta Africam versus, Punicae quondam ditionis, quae et ipsa adhuc Afrorum linguâ utitur, et nonnullae etiamnum Punicis litteris inscriptae stelae lapideae exstant, quae figura et appositis quibusdam punctulis prope accedunt ad Hebraeas. Atque ut scias aut nihil aut minimum differre a vetere quod nunc habet idioma, Hannonis cuiusdam Poeni apud Plautum, Avicennae huiusque similium Punica verba plurima intelligunt Melitenses, tametsi sermo is sit, qui literis Latinis exprimi bene non potest, multo minus ore aliquo enunciari, nisi suae gentis.* Ad ea, quae de Punica linguae Melitensis origine disserit Quintinus, iam diu bene respondit Bochartus in Canaan 1, cap. 26 (cf. nos lib. IV, cap. 1), in iis autem, quae idem de stelis lapideis Punice inscriptis refert, fidem ei minime denegaverim et haud scio an Quintini inscriptiones eaedem sint, quas exhibet *Castellus de Torremuzza* in *Siciliae et adiacentium insularum inscripti.* ed. 2. p. 320, et ipsas punctulis quibusdam insignes (v. lib. 1 § 39), sed sive ipsorum statuariorum, sive, quod probabilius, descriptorum culpa, tam turpiter habitas, ut, qui eas explicare velit, oleum et operam perditurus sit.

Has igitur praetereo. Reliquis autem titulis Melitensibus iccirco primum in sylloge nostra locum assignavi, quod primus (No. 1) omnium qui supersunt et nitidissimus est atque elegantissime scriptus et certissimae explicationis, a quo horum monumentorum studium apte exordiri possis.

I.

INSCRIPTIO MELITENSIS PRIMA BILINGUIS.

1. Eximius hic titulus bis exstat basibus duorum candelabrorum sibi plane similium ex marmore salino (marmo salino, *Salzstein-Marmor*) factorum insculptus: quorum unum hodieque in museo bibliothecae publicae Melitensis asservatur, alterum anno 1780 Ludovico XVI, Galliae regi, a Rohano, Equitum S. Mariae Hierosol.

*) Ipsum *Μελίτη* (מְלִיטָה) *refugium* significare videtur, ut recte observat Bochartus in Canaan 1, 26.

Digitized by Google

magistro summo, dono datum in collegium Parisiense Mazarinum delatum est, ubi etiamnum exstat. In exemplo Parisiensi praeter basin, quae duodecim digitos habet mensurae Parisiensis, etiam maxima pars scapi servata est: brachia fracta perierunt.

Primus eum memorat *Ignatius Constantius* (Costanzo) in litteris ad Antonium Bullifonem d. 18. Dec. 1694 datis (v. lettere memorabile stampate, collect. 4. 1697. *Bres* Malta antica illustrata p. 92), editionem autem principem curavit *Josephus Claudius* GUYOT DE LA MARNE, Equitum Melitensium Commendator, in *Saggi di dissert. acad. di Cortona* T. 1. P. 1. p. 22, cuius delineatio non admodum accurata repetita est in *Mémoires de Trevoux*, Janvier 1736, p. 155. *Gori difesa del Alphabeto Etrusc. praef.* p. 102. *Lupi lettere philosophiche* XI p. 64. *Nouveau traité diplomatique* I, 656, in vers. Germ. II, 108. *Ciantar de antiqu. inscr.* 1749 4. tab 3. Meliorem dedit *Castellus de Torre Muzza*, in Siciliae inscr. Cl. XX p. 291, sed hac etiam praestantiorem ad ectypum gypso expressum, quem a Caylo acceperat, factam BARTHELEMY in *Mémoires de l'academie des inscriptions* T. XXX p. 405 tab. 1. et *lettre à Oliviéri*, Paris 1766, quam repetierunt *Swinton* in *Philos. Transactions* 1764. Vol. LIV, XII b tab. 22 ad pag. 394. *F. Perez Bayer* ad Sallust. p. 350. *Drummondus* in Classical Journal No. 9 p. 54. *Kopp Bilder und Schriften* I p. 250. *Wihl* de gravissimis inscr. phoen., ad p. 18, inter quos Barthelemyus in B. L., Swinton, Koppius, Wihlius utrumque exemplum, et Parisiense et Melitense, reliqui solum Parisiense repraesentant.

Non tamen ob omni parte accuratam esse Barthelemyi delineationem, exemplo Parisiensi anno 1825 diligentius examinato certiorem me fecit HOHLENBERGIUS, aliudque mox misit apographum a se super ipso lapide, qua est dexteritate, factum, quod nuper edidi in *palaeogr. Studien* tab. 2. A quo quidem apographo quum passim discrepet aliud anno 1828 a LINDBERGIO non sine Hohlenbergiani exempli, quod ineditum viderat, vituperatione editum (de inscr. Melit. ad p. 84. Sendebrev til Dr. Hohlenberg, Hauniae 1829. p. 8 sqq.), in huius operis usum a Celeb. Schultzio (v. praef.) petii, ut utrumque apographum accuratissime ad ipsum lapidem examinaret, et praeter suos commentarios ectypum mitteret nova methodo accuratissime factum, ut meis etiam oculis causam diiudicarem. Fecit vir optimus, et eximio hoc ectypo Hohlenbergii exemplum *in summa rei*, maxime in littera dubia (lin. 2 litt. 4) contra Lindbergium confirmatum est, quanquam nonnullarum litterarum (Aleph, Beth, Mem, Jod) formae passim refingendae erant.

Exhibemus igitur 1) Parisiensis exempli novam eamque accuratissimam delineationem ad ectypum a Schultzio missum, quae veram inscriptionis magnitudinem refert; 2) totius monumenti, quod male pictum exstat in *Saggi di Cortona* p. 25 et *Castelli inscr. Sic.* p. 291, imaginem ab Hohlenbergio delineatam; 3) exempli Melitensis partem phoeniciam ex apographo Barthelemyi contractiori in *Mém. de l'acad.* l. c.

De utriusque autem autographi differentia deque praecipuis apographis haec observanda sunt:

Digitized by Google

a) Exemplum Melitense a Parisiensi in una maxime re discrepat, quod vocabulum עבדך (lin. 2 litt. 1—4) in hoc exemplo iam exeunte primo versu comparet, et ita porro שן בן iam versu secundo, כשמע iam versu tertio (cf. lib. I §. 38, 2). Praeterea Aleph littera versu primo et secundo constanter picta est , tertio demum . Littera כ lin. 1 fin. quae manca est, ex alterius exempli auctoritate hunc in modum supplenda est

b) In apographo Barthelemyano quattuor maxime reprehendenda sunt. α) Nomina propria lineis punctisque infra appictis notata sunt, quae res multis, ut Castello, Swintoni, fraudi fuisse videtur, quanquam nullum eius vestigium in lapide comparet. Ab interprete ipso hae lineae appictae sunt, neque debebant ab aliis repeti. β) Lin. 2, litt. 4 non satis distincte picta est, quum in ipso lapide manifestum sit Caph. γ) Lin. 4 in verbo יברכם litterae Jod et Beth non debebant copulari: in autographo certe Parisiensi copulata non sunt. δ) Litterae *Chet* et *Samech* plenius pictae sunt, quam revera in marmore comparent.

c) In Lindbergiana delineatione ex ectypo Brōndstadii facta duo maxime vitiosa sunt: α) figura Daleth litterae lin. 1 litt. 3 infra sinistrorsum flexa (nam caudula illa ad litteram non pertinet) *); β) littera *Caph* in עבדך lin. 2 **), ita picta

d) In Hohlenbergiano exemplo a nobis nuper edito litterarum Aleph, Beth, Chet, Jod, Samech formae passim refingendae erant, ut utroque exemplo inter se collato facile intelligent lectores ***).

2. In variis virorum doctorum, qui in hac inscriptione explicanda desudarunt, conaminibus recensendis otium nobis fecit Lindbergius l. c. p. 86 sqq. (qui solos, quod sciam, Anglos in Promtuario Classico neglexit), ut paucioribus defungi possimus.

*) Ita de hac littera Cl. Schultz: *Dass Herr v. Bröndsted sich getäuscht hat, und wie? kann gleich genau nachgewiesen werden. In der Richtung des kleinen Schwänzchens am unteren Ende des Stiels vom* ך *findet sich eine kleine Vertiefung, die leicht als zum Buchstaben gehörig erscheint, wenn man nicht genau hinsieht. Sie fügt sich aber nicht ohne Unterbrechung an den Buchstaben, ist inwendig rauh, und nicht durch den Meissel entstanden, da sonst überall der Weg, den die Spitze des Meissels genommen, wohl zu erkennen ist.*

**) Idem: *Ich komme jetzt zu der wichtigsten Differenz* lin. 4. litt. 2. *Hr. Hohlenberg hat hier unbestreitbar richtig gezeichnet. Hr. v. B. muss die Inschrift in dem Halbdunkel copirt haben, wo sie stand, sonst hätte er den Irrthum nicht begehen können. Wenn derselbe ein solches Zeichen (wie oben) gesehen hat, so hat er nur darin Recht, dass die links von oben herabkommende Linie die horizontale ein wenig schneidet, welches Hr. H. auslässt: aber diese Verlängerung ist ganz schwach.*

***) Idem: *Die Hörner des Aleph schneiden sich nie schon zur Rechten des Schaftes, wie bei H.* lin. 2. litt. 15, *dagegen kreuzen sie sich zuweilen links ein wenig. Die Beth haben bei demselben gewöhnlich einen zu runden Kopf, wie dieses der Abdruck zeigt.*

Digitized by Google

Ac primi huius tituli interpretes, Fourmontius (Saggi di Cortona T. III. p. 89) et auctores „Novi tractatus diplomatici“ (T. I. p. 656) in eo legendo et interpretando ita versati sunt, ut nescias magisne mireris illius temporis in his litteris caliginem, an horum virorum ignorantiam, vaniloquentiam et temeritatem. Ita enim ille, tribus Anticyris insanabile caput:

לללל לאלף ליום חלו עומו עוו מצור
מחן שמטוה הואלו למצא לוול מצור
דהה עקר לווד

quae vertit: „*Urinatori* (magno) *urinatorum magistro* (deo) *duci et* (deo) *absorbenti in die* (quo) *sublevarunt* (anchoram) *et natarunt et exierunt* (ad verbum) *navigarunt e Tyro, portum reliquerunt eum, coeperunt invenire coralium: exierunt iterum e Tyro, ecce vastare Lydam*“: hi, non minus helleboro sanandi, hunc in modum:

רד דרר ריד פור ער צוה צור לוע
וחק עוו כשורא סנה יו ידו רכשו
ירדי רעו כשורי ויעף גו ירי

quae vertunt: *Fluebat libertas, fluebat sors, inimicus imperabat: hostis absorptus est: tunc insculptum, perverse eum effecisse, Cosuram rubum* (desertam) *remex eius deus eius praecipitavit eum equus* (*vel equitatus*) *eius emaciavit eum; pasti sunt Cossurenses, cum deficeret corpus et aspectus eius* (inimici). Sed hanc maculam Palaeographiae adspersam delevit veramque tituli sententiam enodavit Barthelemy, vir egregius, qui hanc eius dedit lectionem et interpretationem pro illius aetatis in his litteris infantia valde laudandam:

לאדנן למלקרת בעל צרא הנדר
עבד.. עבדאסר ואחי אסרחמר
הן בן אסרחמר בן עבדאסר כהמע־
קלם יברכם

Domino nostro Melkarto, domino Tyri, votum
fecimus Abdasar et frater meus Aserhemor,
filii Asarhemori, filii Abdasari. Sic qui eos
deviare fecit, benedicat eis,

et primarium illius lectionis errorem, quo pro ה ubique legitur ש, ipse postea agnovit in litteris ad Bayerum datis (v. Bayeri vind. num. samar. p. VIII). Haud meliora certe dedit *Swinton* (Philos. Transactions l. c.): omnem tamen et lectionem et interpretationem ita emendavit et refinxit Fr. Perez Bayerus (v. *palaeogr. Studien* p. 27 sqq.), ut non multa emendanda supersint. Huius igitur vestigia, et recte quidem, presserunt plerique recentiores, veluti *Lefebure de Villebrune* (ad Sil. Ital. p. 10), *O. G. Tychsen* in Nov. Act. Upsaliensibus VII p. 94, *Gabriel Fabricy* de phoeniciae litteraturae fontibus I, p. 165, *Io. Ioach. Bellermann* de Phoen. inscr. p. 13, *Hug* üb. den Mythos der berühmtesten Völker der alten Welt p. 34, *Kopp Bilder u. Schr.* I, 249 ff. *Lindbergius* l. c. p. 78, *Wihlius* l. c. p. 17 sqq., pauci deserunt et in alia omnia

Digitized by Google

abierunt, ut *Lichtenstein* in tentamine palaeogr. assyrio-persicae p. 158, *Guil. Drummond* in Classical Journal No. 9 p. 47 sqq., *Ed. Calm* ibid. no. 10 p. 399—401. no. 13, p. 191 sqq. et anonymus (T—Y) ibid. no. 13, 147, de quorum commentis referre piget.

3. Genuinam autem tituli structuram veramque verborum cohaerentiam etiam optimi eius interpretes non perspexerunt, in hos errores inducti 1) falsa verborum אש נדר lin. 1 interpretatione; 2) verbo ..עבר lin. 2, in quo vera scriptura עבדך nuper demum exemplo Parisiensi denuo examinato patefacta est.

Duplici hoc vulnere sanato (v. *palaeogr. Studien* p. 62 sq.) integrum titulum ita legimus:

לאדנן למלקרת בעל צר: אש נדר
עבדך עבדאסר ואחי אסרשמר
שן בן אסרשמר בן עבדאסר: כשמע
קלם יברכם

Domino nostro Melcarto, domino Tyri. Vir vovens (est) ***servus tuus*** (i. e. sum ego) ***Abd-Osir cum fratre meo Osirschamar, ambo filii Osirschamari, filii Abdosiri. Ubi audiverit vocem eorum, benedicat iis.***

Pronuntiatur enim hoc titulo bis in utriusque candelabri basi repetito, duo haec *κειμήλια* a duobus fratribus ortu Tyriis in Melite insula degentibus, Abdosiro s. Dionysio et Osirschamaro s. Sarapione, Melcarto s. Herculi deo Tyrorum tutelari tanquam *ἀναθήματα* oblata esse. Litterarum Phoeniciarum formae tam vulgares sunt atque obviae, et praeterea tam accurate insculptae, ut post ea, quae supra (lib. I) exposuimus, ne de unius quidem potestate dubitari possit. Ad singula igitur explicanda transeamus.

לאדנן למלקרת *domino nostro Melcarto*) Hebraice scriberes לַאֲדֹנֵינוּ לְמֶלְקַרְתְּ cf. de scriptione Phoenicum defectiva lib. 1 §. 40. — *Dominus* (אָדוֹן = ארן) solennis est deorum, maxime Baalis, appellatio in lapidibus votivis, v. Carth. 1—5. Numid. 1—5. *Baal* autem s. Hercules Tyrius h. l. peculiari suo nomine מלקרת appellatur i. e. recte observante Fullero (Miscell. 3, 17) et Bocharto (Phaleg. p. 615. 709) i. q. מלך קרת *rex urbis*, extruso Caph (non מלך ארתא, ut volebat Mahnius ap. Münterum de rel. Carth. p. 40, nam formam ארתא pro ארץ, ארעא, ארקא ignorant Semitae: multoque minus cum Seldeno de Dis Syris p. 183 *malch-art* rex fortis coll. pers. Ἀρταῖοι fortes): quatenus is numen Tyri urbis tutelare erat, ut vel ex verbis sequentibus apparet בעל צר. Assiduum eius in omnibus Phoenicum coloniis cultum testantur permulta nomina propria cum hoc nomine composita, partim hominum, ut עבדמלקרת, עבדמלקר (nam haec etiam brevior forma מלקר usitata erat), ברמלקרת, *Hamilcar*, *Bomilcar*, partim urbium et locorum רש מלקרת (caput Herculis) *Heraclea*, בקי מלקר (urbs

Digitized by Google

Herculis) *). A Graecis מלקרת s. מלקר teste ipsa inscriptione nostra Ἡρακλῆς dictus est (Sanchon. ap. Euseb. praep. 1, 10: *Μελικαρθος ὁ καὶ Ἡρακλῆς.* Hesych. *Μάλικα, τὸν Ἡρακλέα Ἀμαθούσιοι, Μάλικα* autem pro *Μάλικας, Μάλικαρ*), de cuius apud Phoenices cultu impensiore multi sunt veteres (v. Münter Religion der Karthager p. 36 sqq.), sed iidem etiam, quae est harum religionum varietas et inconstantia, nomen Phoenicium retinuerunt, ratione eius mutata. Namque *Μελικέρτης* Melicerta, deus maritimus, rei nauticae et portuum praeses, alibi Portumnus, eiusdem originis esse videtur, quanquam Athamantis, Thebarum regis, eum filium faciunt Mythologi (Apollod. 3, 4. Ovid. Met. 4, 521. Fast. 4, 521).

בעל צר) *domino* i. e. deo tutelari *Tyri*. „In graeca inscriptione Hercules non vocatur dominus s. deus tutelaris Tyri, Dionysius vero et Serapion Tyrii fuisse dicuntur, quod eodem fere spectat. Tyrii enim deo suo tutelari potissimum vota susceperunt et solverunt." Lindberg p. 74.

אש נדר) i. e. אִישׁ נֹדֵר *vir vovens* sc. est. In his verbis explicandis a vero aberrarunt interpretes, quos novi, omnes. Postquam Bayerus primus vidit, quinque illas litteras, quas Barthelemyus legerat אהנדר, Swinton אמנדר, non alias esse atque אשנדר, duplicem maxime rationem ingressi sunt viri docti. Alii enim 1) in litteris אש vel ש pronomen relativum latere existimarunt, ut Tychsenius, qui verba ita dispescit: בעל צבא שֶׁנָּדַר *domino exercitus* est id *quod voverunt;* Fabricyus, qui ita legit: בעל צרא שנדר *deo Tyri, quod votum* (posuerimus); et nuper Wihlius, qui Quatremerii vestigia legens (Journal Asiatique 1828 no. 1) ita iungit: אֲשֶׁנָּדַר עֲבָדָו *hoc quod voverunt servi eius.* Sed neque א ad vocabulum צר trahi potest, quod ubique צור scribitur, nunquam צרא; neque אש potest relativum esse pro אשר. Quis enim credat, Resch consona dura et aspera abiecta א mollissimam litteram adeoque vocali carentem servatam esse? Rectius igitur alii, ut ipse Bayerus, Koppius, Lindbergius 2) אש pro אִישׁ scriptum esse agnoverunt, quod in inscriptionibus nostris persaepe ita (praeter hanc formulam Athen. 2. Melit. 3 lin. 2., 4 lin. 2. Cit. 8. 23. 29. 33), nunquam aliter scribitur; sed minus bene tamen interpretati sunt Bayerus et Koppius: *singulariter, singulatim, singuli voverunt*, Lindbergius: *quisque vovit.* Ne enim dicam, nil languidius frigidiusque cogitari posse tali abundantia: *quisque vovit* (sc.) *ego et frater meus:* eadem haec formula legitur etiam in aliis tabulis votivis, ubi post eam unus tantum memoratur voti auctor, et ita quidem, ut de vera eius ratione omnis scrupulus nobis eximatur. In Carthag. V luculentissime scripta, post initium tituli: לרבת לתנת ולבעלן לאדן לבעל חמן *Dominae Artemidi et domino nostro, hero, Baali Solari*, pergitur: אש נדר עבדמלקרת השפט *vir vovens* est *Abd-Milcart Sufes*, et in Carth. 3 fere totidem verbis לרבת לתנת ובעלן לאדן לבעל חמן אש נדר גדעשתרת *Dominae Artemidi* cet. *Vir vovens* est *Gad-Astoreth*, neque aliter in Carth. 1. 2. 4. Illas litteras pronunciandas et expli-

*) De singulorum horum nominum propriorum etymo, deque inscriptionum veterumve scriptorum locis, ubi legantur, vide indices lib. IV, cap. 2.

Digitized by Google

candas esse אִשׁ נֶדֶר *vir voti*, vel, quod praestat, אִשׁ נֹדֵר *vir vovens*, iam pridem diximus in Ephemerid. Halens. 1826 no. 111 (p. 51), quanquam tunc quidem dubii utpote ex solis lapidum Lugdunensium apographis Humbertianis iisque minoribus pendentes: nunc omnem dubitationem sustulit et nostrum illorum lapidum examen et Hauniensis marmoris (Carth. 5) auctoritas. Eo magis mireris, Lindbergium (Falbe emplacement de Carthage p. 88) ibi interpretari אֶשְׁנַדֵּר, quod idem esse coniicit vir doctissimus atque אֶתְנַדֵּר, הִתְנַדֵּר *vovit se*, quod quantopere et linguae rationibus et sententiae adversetur, nemo non facile videt. Ceterum observetur elegans quaedam in hac locutione abundantia, ut in illo: אש יעץ Cit. 23, אש כתר Athen. 2.

Prima igitur tituli sententia dedicationem continens absolvitur verbis: לאדנן למלקרת בעל צר; altera nomina donantium exhibens orditur a verbis אש נדר; tertia benedicendi formulam comprehendit.

עבדך) *servus tuus* [o Hercules] i.e. *ego*. Quarta huius vocabuli littera, quae in utroque Barthelemyi apographo maximam partem evanida apparet, multis coniecturis vexata est. Magni autem ea momenti est et ita comparata, ut universi tituli structura ex ea pendeat. Varias coniecturas עבדו (עֲבֵדוּ, עֶבְדוֹ, עֲבָדָו), עבדיו (עֲבָדָיו), עבדנו, nunc non moramur, quum de vera scriptura certissime constet. Unum monemus, Lindbergium (p. 61) iam ante inspectum apographum Parisiense etiam ex Barthelemyi delineatione exsculpsisse ך: idemque a nobis iam 1825 in scholis palaeographicis propositum esse, sciunt auditores. De figura *Caph* litterae in utroque exemplo v. supra §. 1 fin. (litt. c), cui addendum, eandem huius elementi formam esse in numo Sidonio quattuor versuum litt. T—X, neque multum eam discrepare ab ea figura, quae est in כשמע et יברכם, modo scapum supra ultra cornua producas.

Vocabulo autem עבדך *servus tuus* (o Baal) i. e. *ego* (cuius etiam in sacris usus frequentissimus, ubi colloquuntur cum nobilioribus Gen. 18, 3. 19, 19. 42, 11 cf. Lex. man. p. 727 B, et ut h. l. in precibus ad Deum fusis Ps. 19, 12: גַּם עַבְדְּךָ נִזְהָר בָּהֶם *etiam servus tuus commonefactus est illis*, pro *ego commonefactus sum illis*. Cf. vs. 14. 27, 9. 31, 17. 69, 18. 86, 2. 4. 119, 17. Nehem. 1, 6. 8), quod nomini suo praemittit Abdosir s. Dionysius, frater natu maior, hic inscriptionis se auctorem profitetur, ut Cit. 7, 2: נחם .. עבדך *servus tuus Nahumus*. Saepius etiam haec formula per compendium sola littera ע scribitur Numid. 3, 3. 6, 2. 7, 1. Tripol. 2, 3, cf. lib. 1, §. 37.

Nomen proprium עבדאסר i. e. עֶבֶד־אֹסֶר *Osiridis cultor* (ut primus vidit Akerblad de inscr. Oxon. p. 14) etiam Cit. 2 obvium (cf. מלכאסר rex Osiridis Melit. 4, סראסר princeps Osiridis no. 68) in graeca inscriptionis parte appellatur *Διονύσιος* In lapide quidem Carpentoractensi *Osiris* scribitur אוסרי et apud Aegyptios ογсιρι, sed Jod extremum abiectum in scriptura linguave Phoenicia neminem morabitur. Osiridem autem a Graecis cum Dionyso vulgo comparatum et ita appellatum esse satis constat. Herod. 2, 42: ...... *πλὴν Ἴσιός τε καὶ Ὀσίριος, τὸν δὴ Διόνυσον εἶναι λέγουσι*, et 144: *Ὄσιρις δέ ἐστι Διόνυσος κατὰ Ἑλλάδα γλῶσσαν*. Diod. 4, 1. Plut. de Iside et Osiride §. 13. Jablonski panth. aegypt. proleg. p. 75. Ex his ipsis autem nominibus propriis duorum hominum, unius Tyrii, alterius Cyprii

Digitized by Google

(Cit. 2), apparet, Osiridis, Aegyptiorum numinis, cultum etiam apud Phoenices viguisse, cuius rei etiam alia luculenta vestigia reperiuntur. De Amathunte, Cypri urbe, Stephanus Byzantinus: Ἀμαθοῦς, inquit, πόλις Κύπρου ἀρχαιοτάτη, ἐν ᾗ Ἄδωνις Ὄσιρις (אדני אסר) ἐτιμᾶτο, ὃν Αἰγύπτιον ὄντα Κύπριοι καὶ Φοίνικες ἰδιοποιοῦνται. In numo quodam Punice inscripto, sive Melitensi sive (quod malim) Gaulitano (v. lib. III, num. Gaul. A) Osiris comparet aegyptio cultu adoratus, et similis figura in Melitensi graece inscripto (Eckhel doctr. num. I p. 268) *). Bybli autem, Phoeniciae urbe, Osiridem sepultum esse ferebant (Lucian. de dea Syra) et ibidem Isidis templum erat (Plut. l. c. §. 15. 16) **). Ceterum non solum Osiridis cultum a Phoenicibus adoptatum esse, sed multas etiam alias eorum religiones aegyptiacae originis esse, infra disputabimus ad Carth. 3.

Phoenices denique in regionibus graecis habitantes duo nomina propria gessisse, alterum Phoenicium, alterum graecum, quum aliunde constat (*Malchus* enim Syrus graece Porphyrius dictus est) tum praeter inscriptionem nostram testes sunt Athen. 1. 2. 3 (no. 5. 6. 7): neque aliter Poeni v. c. Hasdrubal, gr. Clitomachus (Diog. Laert. IV p. 113 Lond.); Judaei aetate Seleucidarum Romanorumque itemque ἐν διασπορᾷ habitantes v. c. rex יוֹנָתָן, gr. *Alexander Jannaeus; Salome* regina, gr. *Alexandra;* Saulus et Paulus, *Rabbi Juda Chiug*, arab. *Abu Zacharja; Rabbi Jona ben Ganaach,* arab. *Abulwalid*, ابو الوليد; Syri inter Arabes degentes v. c. *Barhebraeus* et *Abulpharagius* al. Nomen autem phoenicium et graecum plerumque sibi ita respondent, ut graecum ex phoenicio translatum sit, raro contra (v. Athen. 3).

ואחי אסרשמר) *cum fratre meo Osir-schamar* (i. e. Serapione). Duo in his verbis observanda sunt a cunctis interpretibus neglecta. *Primum* est, quod *primae* personae pronomen in אחי *frater meus* refertur ad עבדך עראסר, ubi tertiam exspectes: neque satis expedit difficultatem, quod Lindbergius ad vulgarem enallagen personarum provocat. Sed plane similis est locus Gen. 44, 32, ubi Juda Josepho: עַבְדְּךָ עָרַב אֶת־הַנַּעַר מֵעִם אָבִי *servus tuus vadem se dedit pro puero apud patrem meum*, pro: ego vadem me dedi — apud patrem meum. In utroque loco עַבְדְּךָ ita vicem tenet pronominis אָנֹכִי, ut cum primae personae pronomine construi possit. Similis transitus a tertia persona ad primam est in Melit. 3 et 4. Quod Bayerus אחי scriptum esse existimabat pro אחיו *frater eius*, ferri non potest, quandoquidem ו consonans abiici non poterat. Pro אחיו Phoenices scripsissent אחו, non אחי. *Alterum* est, quod וְאָחִי vertendum dixi *cum fratre meo*, non *et frater meus.* Ita flagitat orationis series: *Vir vovens* est *servus tuus* i. e. sum *ego Dionysius cum fratre meo Serapione*, cum contra exspectares: *Viri vovente*s (אנשים נדרים) sunt *ego Dionysius et frater meus Serapion.* Simillima ratio est loci Esth. 4, 16: אֲנִי וְנַעֲרֹתַי אָצוּם *ego cum ancillis meis*

*) Cf. *Münter Spuren aegyptischer Religionsbegriffe in Sicilien und den benachbarten Inseln*, in *Antiqu. Abhandlungen* VI p. 149 sqq. De Osiride et Adonide varie inter se permutatis vide *Creuzeri Symbolik.* T. II. p. 95. 107.

**) Lapidem Carpentoractensem et gemmam no. 68 non memoro, quum haec monumenta aegyptiaca sint, non phoenicia.

Digitized by Google

ieiunabo, ubi recte annotant Grammatici, ו poni pro עִם (v. Thes. ling. hebr. p. 394). Quemadmodum enim l. c. verbum singulari numero positum refertur ad Estheram, cui tanquam personae primariae ancillae ope copulae subnectuntur, ita h. l. praedicatum אִשׁ נדר *vir vovens* refertur ad Dionysium, fratrem natu maiorem, inscriptionis auctorem, qui *κατ' ἐξοχήν* donarii largitor vocatur et fratrem natu minorem nonnisi in eius honoris societatem admittit. Adde Sur. 66, 4: جبريل وصالح المومنين والملايكة بعد ذلك ظهير *Gabriel cum probis fidelibus angelisque post hoc* erit *adiutor*. Aliud erat: *Donator sum ego Dionysius cum fratre*, quam: *donatores sumus ego Dionysius et frater*. Insuper alia eius structurae causa fortasse latet in formula אש נדר, quae singulari numero usitatissima erat et solennis (solebant enim eiusmodi monumenta plerumque a singulis offerri) plurali minus usitata, a sermone certe horum monumentorum, qui admodum stabilis esse solet, aliena. — N. pr. אסרשמר valet: (*quem*) *Osiris custodit*, plane ut שְׁמַרְיָהוּ *quem Jehova custodit* 2 Par. 11, 19. Esr. 10, 32. 41; sed verbum postponitur, ut in יוֹנָתָן (quem Deus dedit) et similibus. Graece idem *Σαραπίων* appellatur, quandoquidem *Σάραπις* post Alexandri tempora in Osiridis fere locum successit, et cum Osiride permutari solebat. Diod. 1, 25. Plut. de Iside et Osiride p. 361. 362. Tacit. 4, 84. Quae Creuzerus (*Symbolik* ed. 2, T. I. p. 313) observat: „*seit Alexanders Zeit trat Serapis bestimmt an die Stelle des Osiris und zwar in allen Beziehungen*“ etiam inscriptione nostra firmantur, cf. Koppium p. 258.

שן בן אסרשמר בן עבדאסר *duo filii Osirschamari, filii Abdosiri*). שן בן more Phoenicum defective scribitur pro שני בני (שְׁנֵי בְנֵי), ut בעל pro בעלי (cives) cf. lib. I § 40, 3 fin. De his ipsis verbis שְׁנֵי בְנֵי vide Gen. 34, 25: שְׁנֵי בְנֵי יִשְׂרָאֵל. 1 Sam. 1, 3: וְשָׁם שְׁנֵי בְנֵי עֵלִי. 4, 4. Observavit nonnemo, pr. reddendum esse: *duo ex filiis*, hisque verbis significari, plures fratres fuisse, sed obstat locus 1 Sam. l. c. — In graeca inscriptione nonnisi pater duorum fratrum memoratur, in phoenicia pro singulari eorum rei genealogicae studio etiam avus, isque nepoti natu maiori cognominis, ut pater filio natu minori. Eundem morem apud Athenienses (Cimon, Miltiades, Cimon), Poenos (Hasdrubal, Hamilcar, Hasdrubal, cf. inscr. Carth. 2), et Hebraeos (Achimelech, Ebjathar, Achimelech 1 Sam. 22, 9. 23, 6. 30, 7. 2 Sam. 8, 17) viguisse constat: idem hodieque valet apud Frisos Orientales, Holsatos, Danos, apud quos *Peter Paulsen* filium habet *Paul Petersen*, nepotem *Peter Paulsen*.

כשמע קלם יברכם *ubi audiverit vocem eorum, benedicat eis*). Haec verba a Barthelemyo et Swintone male vexata hunc in modum legenda esse, paulo ante *Bayerum* iam viderat J. D. Michaëlis in bibl. orient. T. I. p. 40 (anno 1771 edito), cuius quidem verba ignorasse videtur scriptor Hispanus. Similes formulae sunt in inscr. Melit. 3: כשמע כל דברי *quum audiret omnia verba mea*, et in punico-numidicis: שמע קלת חכמבעל *audiens voces* (preces) *Hiempsalis*, v. Numid. 1—4 cf. Cit. 1 lin. 3. Adde ex S. S. Ps. 5, 4: יְהוָה בֹּקֶר תִּשְׁמַע קוֹלִי, 18, 7: יִשְׁמַע מֵהֵיכָלוֹ קוֹלִי, 27, 7. 55, 18. 119, 169. Ceterum in his nova inest personae mutatio. Quum enim in antecedentibus Dionysius de se et fratre prima persona locutus sit, de Hercule altera persona (עבדך servus *tuus*), in hac formula exspectes: *ubi audiveris vocem nostram, benedicas nobis.*

Digitized by Google

Videtur autem haec benedicendi formula ita cogitanda esse, quasi ab Herculis sacerdote accepto donario addita sit, qui numen imploraret, ut tam piorum sui cultorum preces audire eosque fortunare vellet.

4. Graeca inscriptionis pars eandem continet sententiam, atque phoenicia, sed paucioribus defungitur. Praeter alia, de quibus iam dictum est, precandi formula omissa est. Nobis unum dicendum superest, de Herculis epitheto *ἀρχηγέτης*, unde *ΑΡΧΗΓΕΤΕΙ* pro *ἀρχηγέτῃ*. Graecum enim *ἀρχηγέτης*, dor. *ἀρχαγέτας*, quod omnino *auctorem*, *conditorem* designat (v. Pind. Pyth. 5, 80. Sturzii Lex. Xenophont. h. v.), etiam libri *scriptorem* (2 Macc. 2, 31), apud Dorienses maxime solenne erat attributum Apollinis, utpote novarum civitatum conditoris. Callimach. Apoll. 56:

.... *Φοῖβος γὰρ ἀεὶ πολίεσσι φιλήδει*
Κτιζομέναις, αὐτὸς δὲ θεμείλια Φοῖβος ὑφαίνει,

ubi vide Spanhem., Aristid. in panegyr. Cyzici T. I p. 237, et *Büllmann* de Apolline civitatum conditore. Regiomonti 1811. Solebant propterea novarum civitatum auctores et coloni Apollini *ἀρχηγέτῃ* aras exstruere, cuiusmodi monumenta in numis Tauromenii et Ennae Siculae comparent (v. Eckhel doct. num. I, 206. 248). Eodem cognomine Apollinem ornabant Megarenses et Naxi insulae incolae (Pausan. 1, 42. Thucyd. 6, 3 ibique Duker.). Proximas autem post Apollinem partes in novis civitatibus condendis tenebat Hercules, Punicarum potissimum urbium conditor habitus (Sallust. Jug. 89 et infra ad Numid. 15), persaepe propterea *κτίστης* dor. *κτίστας*, *οἰκίστας*, latine *conditor* salutatus (v. Eckhel D. N. IV, 349), h. l. *ἀρχηγέτης* (v. Boeckh Corp. inscr. II p. 229. Osann. syll. p. 404. no. VI). Num etiam Tyriae in insula Melita coloniae auctor habitus sit, incertum est, quum aliunde de eo nihil constet: sed sufficit, Tyri eum *ἀρχηγέτην* fuisse. Colonias enim non semper iis conditoris honores decrevisse, qui eas condiderint, sed communes saepe cum metropoli conditores veneratas esse constat (v. Eckhel l. c. p. 346).

5. Denique ut de *aetate* nobilissimae inscriptionis paucis agamus, primum illud ante omnia positum, eam (ut recte observavit Koppius) Alexandri Magni aetate inferiorem esse, quum post Alexandrum et Ptolemaeorum demum tempore Serapidis cultum inductum esse constet, in nostro titulo autem compareat n. pr. *Σαραπίων* ex illo formatum. Praeterea ex litterarum figuris colligi potest, optimae illam aetatis esse, quum elementa ad unum omnia plenas et legitimas habeant formas, nihilque in iis reperiatur, quod posterioris aetatis negligentiam nimiumve tachygraphiae studium sapiat. Haud procul igitur a vero abfuerit, qui seculo fere a. Chr. tertio illud monumentum insculptum esse dicat. Quod vero Lindbergius (p. 79 sqq.) ex litterarum figuris, quarum annales per vicenos annos ex numis Sidoniis operose digessit vir doctissimus, aetatem et fere decennium eius (180 p. Chr.) accuratius definiri posse existimat: huic nihil tribuent, qui cogitaverint, quantopere omnis aetatis scriptura pro varietate locorum et scribentium consuetudine saepe satis arbitraria differre soleat. De Phoeniciis enim idem valet, quod (Corp. inscr. gr. T. I. p. 1) de antiquissimis titulis graecis ita

Digitized by Google

disputat Boeckhius: „in iis ipsis autem .. longe absum ab eorum levitate, qui ex scripturae ratione uniuscuiusque inscriptionis tempus ita designari posse putent, ut alteram altera vel vetustiorem vel recentiorem esse intelligamus ..... Enim vero istam iudicii perspicacitatem nonnisi ii sibi vindicatum eunt, qui recens in hoc studium involarunt: multo in illa re cautior fuit Scipio Maffejus, qui quum multos in inscriptionibus versandis annos consumsisset, fatetur, communem quidem et a se saepe auditam sententiam esse, Graeci monumenti scriptura inspecta intelligi probe, num ante Alexandrum ea an postea marmori insculpta fuerit: sibi tamen identidem haec perpendenti ac monumenta varii generis perlustranti incertissima visa esse omnia fallacibusque regulis plena.“

II.

MELITENSIS ALTERA.

1. Reperta est haec inscriptio anno 1761 in regione Melitae insulae Bin Isa s. Ghisa dicta, ubi in caverna sepulcrali latuerat, et usque ad annum 1810 et quod excurrit penes Melitenses fuisse videtur. Migravit postea in collectionem rerum antiquarum Parisiensem (cabinet des antiques), ubi etiamnum exstat, sed a sinistra parte fracta et mutilata. Tres eius delineationes habentur, omnes eo tempore factae, quo integer supererat lapis. Unam a Francisco Agio de Soldanis, bibliothecae Melitensis praefecto, acceptam dedit Cast. de Torremuzza in *Sicil. inscriptt.* 1769 p. 293. Alteram a Venuti, Abbate et antiquario Romano, sibi missam exhibet Io. Swinton in *Philos. Transactions* T. LIII. tab. 17 ed. Lond. ad annum 1763 (p. 146 ed. Viteb.), quam repetiit in minus contractam *Kopp* (*Bilder und Schriften* I p. 250). Tertiam itidem minoris moduli a Bardonio Panormitano acceptam edidit Sir William Drummond in opusculo, cui inscribitur: *An essay on a punic inscription found in the Island of Malta. By Sir William Drummond.* London 1810. 4.

Novam lapidis delineationem, ut nunc Parisiis exstat, Hohlenbergius misit 1825, cui nuper ill. Rochettii beneficio accessit gypseum eiusdem ectypum a Schultzio missum. Quum maioris moduli sit marmor, quam ut veram eius magnitudinem caperet operis nostri forma, idemque, ut diximus, a sinistra parte mancum sit, inscriptionem paullulum contraximus et ad Swintoniani exempli (quod trium priorum praestantissimum est) mensuram revocavimus; his quae nunc desunt ex eodem suppletis, ita tamen, ut accuratius distinguantur, quae a nobis in marmore visa, quae a Swintone mutuo accepta sint. Frusti superstitis vera longitudo est 9 digitorum mensurae Rhenanae, altitudo 8 digitorum: in apographo nostro illa 7, haec $6\frac{3}{4}$ digitos habet.

Quae apud Swintonem minus bene picta sint, ad nonnullarum litterarum figuram spectant, potestatem earum non tangunt: quod quid sit, vel ex iis, quae ex Swintone supplevimus, intelligi potest. Pertinet hoc potissimum ad figuras *Chet* et *Lamed* litterarum, quarum illa lyrae fere formam refert apud Swintonem, haec apud eundem crus habet rotundum in modum Tau litterae, quum revera rectum sit. Plura in Drummondi exemplo reprehendenda sunt, velut *He* litterae figura paene portentosa.

Digitized by Google

Omnino autem duae potissimum litterae in hoc titulo memoratu dignae sunt: 1) *Resch*, cuius collum ubique duabus lineis constat, caput nonnunquam (lin. 3. 4) depressum est, ut ad eam formam prope accedat, quae in aramaeo-aegyptiacis et nonnullis Palmyrenis est; 2) *He*, quod vers. 2 ter tibi occurrit, et ita lectum est ab interpretibus cunctis praeter Tychsenium, cui haec littera *Jod* est. Quam quidem causam qui solis palaeographicis rationibus diiudicare velit, in Tychsenii sententiam facile inclinaverit; nostra enim figura facile oriri poterat ex illa, quam Jod habet in Melitensi prima. Sed huic simillimam figuram habet etiam *He* in scriptura aramaeo-aegyptiaca et in Palmyrenis Romanis (unde in scriptura quadrata): eique litterae unice favet verborum ratio.

2. Qui primus omnium hanc inscriptionem memorat, Barthelemyus (Journal des Savans 1761, suite de Dec. p. 84) delineationibus acceptis ut videtur diffidens sibique ipsi non satisfaciens, ab interpretatione eius abstinuit atque in litteris utcunque definiendis acquievit. Ex alphabeto, quod ex ea composuit B., hoc annotasse sufficiat, litteram ter obviam lin. 2 ei visam esse *He*, litt. 3 lin. 3 *Vav*, litteram minimam inter utrumque He lin. 2 *Jod*, quod quidem postremum vix ferendum. Maiore nunc quidem successu usus est Swinton l. c., qui integram inscriptionem ita legit et interpretatur:

חדר בת עלם קבר נגעל
נקה בכלת הזה רח-
ם רף אם בשת חנב-
על בן ברמלך

Penetrale domus seculi sepulcrum depositi
clari (viri) consummationibus (i. e. omnino) dormientis. Diligens (eum) commotus est populus, quum poneretur (sepeliretur) Hannibal filius Barmeleci.

Singularum litterarum potestatem is me iudice recte definivit, recte etiam ab initio et sub finem singula verba et dividit et interpretatus est: in media tantum parte interpretanda et in totius inscriptionis tenore indicando parum feliciter versatus est. Non magis tamen satisfaciunt quicunque post Swintonem hunc titulum tractarunt, velut *O. G. Tychsen*, *Koppius*, *Drummondus*, omnes eo maxime nomine reprehendendi, quod alii alias litteras a Swintone satis bene definitas in aliam potestatem detorquent. Ac Tychsenius (in Actis Vpsal. Vol. VII.) quidem ita legit:

חדר בתעלם קבר נגעל
נקי ככלת יפי רֵחַ
מרפא מְגֻמת הנב
על בן ברמלך

Conclave in abscondito est sepulcrum. Depositus fuit
purus consummata sua pulchritudine. Odor
refocillationis e tumulo Hannibalis filii Barmelech.

Digitized by Google

Fac, in his בכלת lin. 2 pro בכלת, et הנבעל lin. 3 pro חנבעל operarum vitio deberi: manifestus tamen error est in litt. 7 lin. 3, quae מ esse non potest, item in litt. 9 lin. 2, quam Tychsenius ת esse statuit, sine ulla ratione, quum eius litterae formam diversissimam habeas lin. 3 litt. 3. Quod Tychsenius praeterea litteram lin. 2 ter obviam Jod esse statuit, non He: id habet, quo se defendat (v. supra §. 1), et vocabulum נקי *purus* analogiae hebraeae magis adeo congruit, quam נקה: sed in vocabulo eiusdem lineae tertio duo Jod (igitur יזי, quum יזי plane arbitrarium sit) explicet qui possit, quum בכלתי זי *in hoc claustro meo* vix ferant iusti linguae arbitri. Tychsenii vestigia legit A. Th. Hartmannus (Tychsen II, 2 p. 554): contra eum acriter reprehendit Koppius l. c. in Scyllam tamen incidens, vitaturus Charybdin. Quod enim legit et interpretatur

חדר בתעלם קבר נגעל
נְקָה בכלת הזה טח
מְדוּ אם בשת חנב
על בן ברמלך

Penetrale in abscondito sepulcri polluti
purgatum est. Quo perfecto incrustavit
extensionem eius populus sepeliendo Chen-
bahal filium Barmeleci.

neque sententiae bonitate commendatur, neque scripturae linguaeque rationibus probatur. Ne enim de verborum explicatione dicam, in litt. 11 lin. 2 et litt. 2 lin. 3 definiendis maiore sane licentia usus est Koppius, quam a Palaeographi severitate exspectaveris, nec multum excusatur talis licentia addita observatione: phoenicias in hac inscriptione litteras recentioris formae esse videri. Superest Drummondi explicatio quae ita se habet:

חדר בת עלם קבר (ח)נבעל
נקה בכלת הוה רח
ם דו אם בשת חנב
על בן ברמלך

Penetrale sanctuarii sepulcri Hannibalis.
Illustris in consummatione calamitatis dilectus est.
Lamentabatur populus quum strueretur (acies). Hanni-
bal, filius Barmelech.

Observat auctor ante ultimum primae lineae vocabulum נגעל in apographo sibi tradito superesse spatium, a se littera ח ex coniectura expletum; sed in ipso lapide nihil tale comparet. Nec magis ferendum, quod idem pro נגעל legendum suasit נבעל.

3. Ut meam de hoc titulo sententiam dicam, ante omnia repetendum est, quod iam supra significavi, in singularum litterarum potestate definienda iam Io. Swintonem verum docuisse, neque in ectypo nostro reperimus, quod de hac illave littera aliter statuere suadeat. Nonnullis tamen vocabulis aliter divisis ita lego:

Digitized by Google

חדר בת עלם קבר נגעל
נקה בכלת הזה רֻחַ
מרף אֵם בֹּשֶׁת חנב-
על בן ברמלך

Conclave domus aeternae (est) sepulcrum. Depositus est pius in hoc claustro. Spiritus remissionis (est) mater ignominiae. Hannibal filius Barmelech.

Praeter nomen proprium viri sepulti titulus tres continere videtur sententias.

Una est:

חדר בת עלם קבר

In singulis litteris definiendis interpretes consentiunt omnes, in vocum syntaxi a se invicem discedunt. Mihi haec sententia sepulcralis esse videtur, qua significetur, sepulcrum, quod utpote triste et solitarium extimescant mortales, particulam et conclave esse ingentis illius domus aeternae, quae omnes homines, in his etiam defuncti maiores atque parentes, in omne aevum inclusura sit (בֵּית מוֹעֵד לְכָל־חַי Iob. 30, 23 בת מלא inscr. Tugg. lin. 5). *Domus* enim *aeterna* h. l. esse videtur orcus (שְׁאֹל), quem ab Hebraeis et Aegyptiis ita adumbratum esse scimus, ut magnarum familiarum sepulcra, in quibus magna nepotum cohors ad patres congregata iacebat, iis ob oculos versaretur (v. Ez. 32, 26 ff. *v. Zobel über das Schattenreich der frühern Juden*, in eiusd. *Magazin für bibl. Interpr.* 1, 1 p. 24. *Creuzeri Comment. Herodot.* p. 307). — Ad בת עלם i. e. בֵּית עוֹלָם de sepulcro (cuius nomen h. l. ad infernum translatum est) cf. Eccl. 12, 5: הֹלֵךְ אָדָם אֶל בֵּית עוֹלָמוֹ. Ps. 49, 12. Alex. *οἱ τάφοι αὐτῶν οἰκίαι αὐτῶν εἰς τὸν αἰῶνα* (secundum scripturam קברם בתימו לעולם, pro vulgari קרבם וגו׳), *ὁ αἰώνιος τόπος* Tob. 3, 6, *ἀΐδιος οἶκος* Diod. 1, 51, et lat. *domus aeterna* in inscriptionibus sepulcralibus maxime Christianorum ap. Gruterum p. 790. 903. 913 et Reinesium ubi vide indd. In tanta autem huius locutionis frequentia mireris Tychsenium et Koppium, qui בתעלם in alia omnia detorquent.

Altera sententia est:

נגעל נקה בכלת הזה

depositus (i. e. sepultus) *est* vir *innocens in hoc claustro* in hoc sepulcro clauso, hac caverna. Continent haec verba laudationem defuncti, cui similem sed copiosiorem habes in lapide Carpentoractensi. Sed videamus de singulis, quae difficultatibus suis non carent. נגעל, quod manifesto comparet in omnibus apographis, ex usu Hebraeorum esset *abiectus est* (2 Sam. 1, 21): sed quod supra flagitante sententia transtulimus *depositus est*, id firmatur auctoritate Syrorum et Arabum, quibus جعل est posuit, collocavit, demandavit thesaurum (1 Par. 29, 8); VII. positus est, ܓܥܠ et ܐܓܥܠ deposuit in fidem alic., commisit alicui; nec tantopere religioni mihi duxerim, a vulgari Hebraeorum usu h. l. recedere, quum is, quem adoptavimus, hebraeo finitimus

Digitized by Google

sit. *Depositus* autem s. *demandatus*, *commissus est* sc. terrae gremio, est i. q. sepultus est, formula trita in sepulcris Christianorum (v. Gruteri et Reinesii inscriptt. in indd.). נקה, efferendum נָקֶה, haud dubie idem est quod נָקִי *purus*, *insons*, ad formam יָפֶה (קָטֵל), quae passim eiusdem potestatis est atque קָטִיל, cf. פָּלֵט, פָּלִיט, פָּלִיט fugitivus, אָבֵל arab. أَبِيلٌ lugens, امين אָמֵן, et arab. فَعِلٌ i. q. فَعِيلٌ de Sacy gr. arabe 1, 621. Tychsenius legere malebat hoc ipsum נקי: sed iam diximus, quid obstet. — In verbis בכלת הזה, quae mihi efferenda videntur בַּכְּלֹת הַזֹּה vel בִּכְלֹת הַזֶּה, vocabulum כְּלֹת non duxerim a כָּלָה perfectus, absolutus est, sed a כָּלָא clausit, conclusit, et כְּלֹת scriptum esse censeo pro כְּלֹאת (ad formam מְלֹאת, קְרֹאת, שְׂנֹאת), plane ut נְכֹאת Gen. 37, 25. 43, 11 pulvis aromaticus a rad. נכא, c. Suff. נְכֹתֹה 2 Reg. 20, 13. Jes. 39, 2. Aleph abiectum minus etiam, quam in lingua hebraea, quemquam morabitur in scriptura Phoenicum, qui Aleph quiescens constanter omittere solent (lib. I §. 40, 1). *Claustrum* vero s. *carcer* non inepte dicitur de sepulcro clauso et subterraneo. Quum כלת muliebris sexus sit, pronomen efferri potest הַזֹּה coll. זֹה pro זֹאת Eccl. 2, 2. 5. 15, sed ferri etiam potest הַזֶּה, quod passim cum nominibus femininis reperitur, v. c. שְׁבוּעָתֵךְ הַזֶּה Jos. 2, 17 et fortasse Iud. 16, 28. — De littera ה, quam in hoc vocabulo agnoverunt praeter Tychsenium omnes, vide quae supra disputavimus (§. 1): ea certior etiam est Sain littera (lib. I §. 18).

Tertia sententia, quae his verbis continetur:

רח מרף אם בשת

i. e. si hebraeo more scribas רוּחַ מַרְפֶּה אֵם בֹּשֶׁת *spiritus pigritiae* (est) *mater ignominiae*, proverbium s. ἀπόφθεγμα fuisse videtur, quod in deliciis erat, dum vivebat, Hannibali nostro, viro ut videtur strenuo et a vita remissiore alieno (cf. Prov. 10, 4. 18, 9. 19, 15), propterea sepulcro eius inscriptum, cuius rei aliud exemplum habemus in Cit. 22, et permulta in inscriptionibus sepulcralibus Romanorum, v. Orelli inscriptt. Singulae litterae ita perspicuae sunt, ut in iis definiendis nemo haesitasset, nisi commodam sententiam desiderassent. E quattuor vocabulis explicatione eget unum מרף, quod idem est atque מַרְפֶּה *remissio*, *animus remissus*, *pigritia*, tertia He apocopata, ut in מַעַל pro מַעֲלָה, מַעַן pro מַעֲנָה, cf. fut. Hiph. יֶרֶף pro יַרְפֶּה, nisi He quiescens ante א omissum orthographiae tribuendum est (v. lib. I §. 40, 4). — רח (רוּחַ) h. l. usurpatur de communi multorum agendi sentiendique ratione, ut רוּחַ זְוֹנִים spiritus scortationis Hos. 4, 12, רוּחַ תַּרְדֵּמָה spiritus somnolentiae Jes. 29, 10, cf. 19, 14.

Nomen proprium viri sepulti חַנִּבַּעַל (gratia Baalis) idem plane est quod gessit celeberrimus Poenorum dux, gesseruntque Carthaginenses permulti. Si vero etiamnum fuerit, qui Drummondi hypothesin secutus ipsius Poenorum ducis in Bithynia vel Libyssae mortui (v. Liv. 39, 51. Appian. Plut.) ossa fortasse sub hoc titulo delituisse putet, is unum reputet velim, Hannibalis Poeni patrem fuisse *Hamilcarem* cognomento *Barcam*, nostri patrem *Barmelech*, haec autem nomina (חנמלקר ברקא et ברמלך) longe diversissima esse, neque ullo modo (ut putabat Drummondus) pro duabus eiusdem nominis formis haberi posse.

Digitized by Google

Ceterum levius est, quod Koppius l. c. p. 259 observat, huius tituli scripturam in pluribus litteris (ש, ק, ה) scripturae chaldaeae similem et propterea recentiorem esse. Litterae enim ק et ש nil differunt a vulgari Phoenicum scriptura, ה formam habet peculiarem, quae cum scriptura aramaeo-aegyptiaca congruit, ex qua sensim orta est quadrata: sed quid inde? quum etiam scriptura aramaeo-aegyptiaca ad Ptolemaeorum aetatem pertineat.

III.

MELITENSIS TERTIA.

1. Hic titulus una cum sequente (no. IV) circiter anno 1820 in campo prope Citta Vecchia inventus est. Lapis, cui inscriptus est, e molliore illo erat lapidis genere huic insulae proprio et quattuor fere pedes sub superficie delituerat. Delineationem eius, quanquam non satis accuratam, a Franciae apud Melitenses Proxeno Parisios missam iam 1820 mecum communicavit Steph. Quatremère (cf. praef. ad Lex. hebr. man. p. 26), communicaverat etiam cum Hamakero, qui eam edidit in Miscell. Phoeniciis tab. 3. Aliam, quae totius lapidis imaginem repraesentat et maiore cura confecta videtur, circa annum 1828 Miss Forbes in Museo Societatis Asiaticae Londinensis deposuit, addita explicatione ab Alb. de Marmara tentata. Tertiam ad se missam memorat Cl. Michelangelo Lanci in libro de lapide Carpentoractensi p. 63, eiusque specimen cum alphabeto inde composito dedit in tabula, quae e regione inscriptionis posita est. Quum inter duas priores delineationes nonnihil discriminis intercedat, ipsiusque autem lapidis ectypum nancisci nobis non contigerit, utramque dedimus in tabula nostra, Londinensem litt. a, Parisiensem litt. b.

2. Interpretationem huius tituli publici iuris fecit unus *) Hamakerus in Miscell. phoeniciis p. 38 sqq. sed parum felici successu usus est, eam maxime ob causam quod in nonnullis litteris definiendis a vero aberravit. Is enim ita legit:

נָצַב נֹלֵלָא
בַּעַל אֲלָלֵן (? אַלֹּנִן)
סְלִחָה לַבַּ
על חמן א-
בן אשר יע-
רל דברן

Posuit Nolela,
dominus Elalensium (vel Allonensium),
expiandi causa Ba-
ali columnam lapi-
deam, quoniam incir-
cumcisus erat sermone.

*) Alberti de Marmara interpretationem in Museo Asiatico Londinensi palam expositam, quam sine auctoris venia edere mihi vix licuisset, quamque non magis quam Hamakerianam laudare possem, sciens praetereo.

Digitized by Google

אלל vel אלן is Melitae phoenicium nomen fuisse coniicit, provocans ad numos Gaulitanos (quos itidem Melitensibus tribuit), in quibus אלל legatur [legitur vero אגן, v. lib. III, 14]; eumque lapidem votivum Baali positum esse censet ab homine, qui linguae quodam vitio laboraret. Non urgemus, quae in hac tali sententia atque in prolixa viri beati disputatione p. 39—61 desideremus, non quaerimus, num recte statuerit de vocabulo חַמָּן, quod (*columnam*) *solarem* interpretatur neque (ut facere debebat) cum praecedente בעל copulat, utrum ferenda sit formula, *sermo incircumcisus* pro *labio incircumciso*, idque pro *balbutie*, an unquam lapis votivus positus sit ab homine, *dum* et *quoniam* malo quodam laboraret, valetudine nondum recuperata; haec omnia non urgemus, quum litterae ipsae nihil tale contineant. Manifesto enim errore Hamakerus *Caph* bis legit *Aleph:* non minus certo, sed magis excusando, lin. 1 pro מ legit נל, lin. 2 pro ש — לל, lin. 5 pro אשר יע — כשמע, lin. 5 דברן pro דברי.

Ut nostram sententiam aperiamus, iam in Ephemerid. Hal. 1835 no. 134, quum ex solo apographo Parisiensi iudicaremus, paucis expositam, nunc apographo Londinensi egregie firmatam, ante omnia observent lectores, huius tituli auctorem in singulis litteris digerendis congruentiam quandam et aequabilem litterarum in singulis lineis numerum spectasse. Integra inscriptio sex constat lineis, sex litteris singulae lineae. De lin. 3—6 id concedent omnes, sed in linea prima et secunda numerus senarius non minus certus est, quoniam lin. 1 figurae (vide apographum Forbesianum) nequaquam pro duabus litteris נל habendae sunt, sed pro una, מ, , neque lin. 2 pro duabus litteris לל, sed pro una, ש, alibi in eodem titulo (de huius generis litteris fractis, quae plerisque Palaeographis fraudi fuerunt, vide quae disputavimus lib. I §. 34, 3 et §. 44).

His autem praemissis integrum titulum, in quo unum nomen patronymicum vel gentilicium mihi obscurum est, nil dubitans ita lego:

נצב מלך—	*Posuit Malchi-*
בעל אש י—	*baal, vir Jam-*
מלחי לב—	*lichensis, Ba-*
על חמן א—	*ali Solari la-*
בן כשמע	*pidem, quum exaudivisset*
כל דברי	*omnia verba mea.*

quae Hebraeorum more additis punctis vocalibus ita scribas: נָצַב מַלְכִּי־בַעַל אִישׁ יַמְלְחִי לְבַעַל חַמָּן אֲבָן כְּשָׁמַע כָּל־דְּבָרָי.

Est igitur lapis votivus (non sepulcralis ut volebat Lancius, non inscriptio aedificii publici, ut coniicit Alb. de Marmara) Baali Solari in insula Melita positus, cuiusmodi

Digitized by Google

plures eidem numini Carthagine et in agro Numidico positos infra exhibebimus (no. 46—50. 57—60). Sed videamus iam de singulis.

נצב (quam vocem recte agnovit Hamakerus) notissima apud Hebraeos radix, quanquam in Kal in V. T. non reperitur. Pertritum tamen chald. syr. sam. נְצַב, ܢܨܰܒ *posuit, plantavit*, arab. نَصَبَ *posuit*, unde in phoeniciis habes נציב (no. IV) et מצבת columna, cippus.

Nomen proprium מלכבעל i. e. מַלְכִּיבַעַל (rex Baalis, i. e. a Baale institutus, coll. hebr. מַלְכִּיאֵל, מַלְכִּיָּה) habes etiam in inscr. Palmyrenis, ubi contractius מלכבל scribitur.

Sequitur אש (איש) *vir*, quod excipit nomen urbis patriae, idque tamen perobscurum. Quattuor priores litterae ימלח satis certae, quinta magis insolitae figurae possit vel Nun esse (cf. §. 25, no. 17) vel Schin, modo paullo plenius scribas 𐤎. Sed sive ימלחן scribis sive ימלחש, ex geographia illud vix explanaveris: et videtur illud vel Cypri vel alius regionis locum aliunde ignotum designare.

De בעל חמן i. e. *Baali Solari* solis deo, in quo modo eliminando modo vindicando multum otii frustra consumsit Hamakerus (diatr. p. 2 sqq. Miscell. p. 48 sqq.), copiosius disputavimus infra ad inscr. Carthag. 3 (no. 48), ad quem locum lectores delegamus.

Ultima verba, in neutro apographo satis bene scripta hunc fere in modum restituenda sunt:



i. e.	כשמע	*quum audiret*
	כל דברי	*omnia verba mea*

cf. simillimam formulam in Melit. 1, 3. 4: כשמע קלם יברכם, et in Numidicis 1—4: שמע קלת *qui audivit preces*. Ceterum observandum est, orationem in his titulis a tertia persona saepe in primam deflectere, cf. Melit. 1 et 4.

IV.

MELITENSIS QUARTA.

Haec inscriptio una cum praecedente et in eodem loco effossa ei admodum similis est, sed, quod dolendum, unum tantum eius apographum exstat a Francorum apud Melitenses proxeno Parisios missum, quod cum Hamakero et mecum communicatum ab illo editum et explicatum est in Miscell. Phoen. tab. 3, no. 2. Litterarum figuris sibi

Digitized by Google

traditis, sed saepe aperte falsis, confidens, nonnullas etiam male legens, Hamakerus transscribit et interpretatur:

נתן דמצא	Dedit quod potuit
אסראשש	Osir-isschesch
.. שר דעל	... qui super
... .. אבן	... lapidem
.... נקרא	.... invocatus est
... די	.... quoniam .....

permultas litteras omissas esse suspicatus, ita ut integram sententiam expectare non possis. Mihi nihil omissum esse videtur praeter duas litteras ab initio versus tertii, in medio nomine gentilicio. Integram autem inscriptionem paucis mutatis ita lego:

נציב מלך-	*Cippus Malch-*
אסר אש ש-	*osiridis, viri S-*
.. שי לבעל	*.. sensis, Baali:*
אבן	*lapis*
נדר א	*ex voto pa-*
בי	*tris mei.*

Primum vocabulum quattuor signis constans, si omnia recte se haberent, legendum esset נחיד. Sed *quarta* littera haud dubie est *Beth*, quod etiam lin. 3 (in בעל) et lin. 6 (in אבי) collo brevi pictum est, sive ex statuarii consuetudine, sive describentis vitio: et collato titulo antecedente huic longe simillimo vix dubitabis, quin etiam *secunda* sit *Zade* (non *Tau*): nescio an ita reponenda , ut prodeat נציב *cippus*. Vel sic tamen in sententia nonnihil inest, quod desideres, et apte ad orthographiam Phoenicum (lib. I §. 40), atque ad parallelismum cum inscr. 3 coniicias נצב, ut ita decurrat totius tituli oratio: *Posuit Malchosiris, vir S-sensis, Baali lapidem ex voto patris mei:* at, quanquam negligentissimum est apographum, tamen a me non impetravi, ut tertium signum plane abiicerem.

Nomen proprium auctoris מלכאסר (rex Osiridis) eodem modo atque nos fecimus, ut laetus animadverti, legit etiam Beerius (inscr. semit. p. 13). Ad *Lamed* cf. figuram Lamda litterae in Alphabeto vetere Graeco no. 4. Plane eandem autem sedem occupat מלכאסר, atque מלכבעל in titulo praecedente, cui etiam hoc simile, quod n. pr. excipit אש (vir) cum gentilicio, quod hic quidem media parte mancum est. Exire illud credas in singularem figuram lin. 3 litt. 2, quam Hamakerus *Resch* esse censuit, sed huius posterior pars est *Lamed*, praefixum verbi בעל, nonnisi prior (Jod) est littera finalis gentilicia: שי^^ש, quod suppleat qui velit. In formula

Digitized by Google

postrema verba iungenda sunt: *lapis voti patris mei* vel per appositionem: *lapis votum patris mei*, eadem personae enallage, quam supra observavimus ad inscr. 1 et 3. Nostro more dicendum fuisset: *Ego Malchosiris posui* Baali lapidem ex voto patris *mei*.

CAPUT SECUNDUM.

INSCRIPTIONES ATHENIENSES.

Duae inscriptiones Phoeniciae sive potius bilingues Athenis repertae dudum innotuerant viris doctis, quibus nuperrime accessit tertia: quartam enim Fourmontianam eamque admodum suspectam h. l. sciens praetereo (v. infra no. 80). Ad quosnam homines mihi pertinere viderentur haec monumenta, iam supra (p. 11) paucis significavi. Quum vero alios aliter statuere viderem *), ab *Eduardo Meiero*, collega coniunctissimo, qui in rebus Atticis totus habitat, petii, ut re accuratius perpensa sententiam suam mecum communicaret: qui, qua est humanitate et erga me benevolentia, haec ad me scripsit, quae sententiam supra memoratam lectoribus facile persuadebunt.

„Inscriptiones tres Phoeniciae in Attica repertae, a quibusnam hominibus profectae sint, vix serio quaeras. Nam quum debeant repeti aut ab iis, quorum maiores *antiquitus* ex Phoenice orti in Atticam civitatem recepti erant, aut ab iis, qui *recens* sive ipsi sive patres avique in Atticam immigraverant ibique domicilium et sedem constituerant, tertium autem non detur; qui evicerit de illis non posse, simul comprobabit de his solis debere cogitari. Atqui priorem sententiam tueri qui vellet, deberet inscriptiones aut ad Gephyraeorum aut ad Phoenicum aliquos gentiles referre; nam alios Atticae incolas Phoeniciam originem prae se tulisse, ne fabulis quidem, quod sciam, traditum est. Gephyraeos autem sane Herodotus (5, 57—61) **) statuit Phoenices Cadmeos fuisse, Cadmeos vero idem rerum scriptor cum vulgari Graecorum fama ex Phoenice putat derivandos; atque eodem Phoenicum quoque gentem Atticam ***) spectare ut statuas, nomen ipsum videtur suadere. Attamen neutris, si vel maxime cum Phoenice cohaeserunt, eas inscriptiones esse tribuendas una ratio satis iam evincit. Namque cum illae inscriptiones olympiade centesima aliquot annis videantur esse posteriores, omnem fidem superat eo tempore cuiquam ex gentilibus earum gentium,

---

*) *Böckh, Erklärung einer Attischen Urkunde über das Vermögen des Apollinischen Heiligthums auf Delos* p. 16: „*In den ächten Reden des Deinarchos befand sich eine διαδικασία Φαληρέων πρὸς Φοίνικας ὑπὲρ τῆς ἱερωσύνης τοῦ Ποσειδῶνος* (Dionys. p. 116), *wo πρὸς Φοίνικας nicht mit Sylburg anzufechten ist. Ob jedoch die Φοίνικες ein attisches Geschlecht waren, wie die Phönizischen Gephyräer, ist mir zweifelhaft. Sollte vielleicht gar ein phönizischer Dienst in der Nähe des Phalerischen Gebiets gewesen seyn? Mindestens ist es auffallend, dass in Attica schon drei phönizische Inschriften gefunden sind.*

**) Plura de Gephyraeis dabunt *Meursius* Lect. attic. V, 31. *Bochartus* in Canaan 1, 21. Cf. Hamaker. Miscell. phoen. p. 213.

***) Hesychius: *Φοίνικες, γένος τι Ἀθήνησιν.* Cf. Meier de gentilit. attica p. 53.

Digitized by Google

tot seculis, postquam in Atticam receptae sint, Phoeniciarum litterarum peritiam nedum usum fuisse. Gephyraei enim ex Eretria Euboeae vel ex Tanagra Boeotiae iam ante Eleusinium bellum in Atticam recepti videntur; Phoenicum autem gentem, quam constat Neptuni sacerdotium sibi vindicasse *), probabile est in Atticam non alio tempore venisse, quam quo alia Phoenicum gens Rhodum appulerit, in qua insula Neptuni templum condidit et Neptuni sacerdotio hereditario fungebatur; haec autem Phoenicum gens cum Cadmo venisse in Rhodum insulam ferebatur. Itaque utriusque gentis et Gephyraeorum et Phoenicum in Atticam adventus ad fabulosa tempora referendus. Tanta vero temporis intercarpedine interiecta non potuissent hae gentes Phoeniciae linguae usum et peritiam retinere, nisi perpetuo praeter religiones separatas etiam distinctas ab reliquis Atheniensibus res domesticas et familias habuissent, id est nisi connubia nulla illis gentibus cum reliquis Atheniensium fuissent, quorum nihil credibile. Nam cum ex Gephyraeis Harmodium et Aristogitonem aut hunc certe fuisse constet (Herod. l. c.), satis patet connubia his promiscua cum reliquis Atheniensibus fuisse; Phoenicas autem, quos de sacerdotio Neptuni cum Phalerensibus certasse scimus, ita certasse ut ipsi illud sibi tanquam gentilicium vindicarent, Phalerenses autem ad paganos omnes pertinere contenderent, probabile est, Phoenicas igitur iam haec una memoria evincit ne religiones quidem a reliquis Atheniensibus habuisse plane distinctas. — Atque ita debebat statuere etiam is qui Phoeniciam originem utrique genti tribueret; sed Gephyraeis quominus eam originem tribuas, gravissimae rationes videntur intercedere. Primum enim Herodotus ipse cum haec ponat (5, 57) *οἱ δὲ Γεφυραῖοι, ὡς μὲν αὐτοὶ λέγουσιν, ἐγεγόνεσαν ἐξ Ἐρετρίης τὴν ἀρχήν, ὡς δὲ ἐγὼ ἀναπυνθανόμενος εὑρίσκω, ἦσαν Φοίνικες τῶν σὺν Κάδμῳ ἀπικομένων Φοινίκων*, satis probat, Phoeniciam Gephyraeorum originem non ex rerum fide ab se narrari, sed coniectura et opinione niti sive sua propria sive cum aliis communi, et suo quidem tempore nullam eius originis Gephyraeis ipsis fuisse memoriam; atque eo nomine reprehenditur a Plutarcho (de malign. Herod. c. 23). Dein O. Muellerus (Orchom. 118) aliquot argumentis cum maxime ad persuadendum idoneis Phoeniciam omnem Cadmeorum originem dubiam et incredibilem evicit. — Quae disputavi si probant inscriptiones bilingues illas non posse neque ad Gephyraeorum neque ad Phoenicum gentiles referri, quid reliquum est nisi ut eas a Phoenicibus repetas, qui in Attica vel ut inquilini (*μέτοικοι*) vel ut municipes (*ἰσοτελεῖς*) vel per tempus ut peregrini (*ξένοι*) reliqui domicilium posuerant? Id autem inscriptiones ipsae multo etiam magis confirmant. Nam Numenium Citiensem, Artemidorum Heliodori Sidonium, Irenem Byzantiam, quibus tres cippi consecrati sunt, iam addita patriarum urbium nomina probant et cives Atticos nullo modo esse potuisse, et debuisse ipsos demum, neque iam patres vel avos illis ex urbibus Athenas venire. Denique Phoenicas Athenis ut inquilinos non paucos vixisse mercaturae causa ibique vel sodalicia quaedam (*συνόδους*, *θιάσους*) constituisse credibile est."

*) Vide Dinarchi orationem, de qua dictum est pag. 111 not. *).

Digitized by Google

V.

ATHENIENSIS PRIMA.

1. Monumentum sepulcrale nitidissimum ex marmore Pentelico fabrefactum, cui hic titulus bilinguis inscriptus est, paucos annos ante 1797 in oliveto inter moenia Athenarum et Academiam effossum, olim penes *Fauvelium* pictorem Gallum Athenis degentem erat, postea in *Choiseulii* collectione, nunc in Museo rerum navalium et militarium Londinensi (*Military and naval Museum, Middle Scotland Yard, London*) asservatur, donatum a Lady *Grey*, praefecti navalis vidua. Totius monumenti, cuius ornamenta in antefixi modum facta elegantissima sunt et summae integritatis, delineationem a se anno 1797 Athenis factam eamque satis fidam exhibuit AKERBLADIUS in *Commentatt. Societ. Gotting.* Vol. XIV p. 227, quam repetiit *Dodwell* in *Classical and topographical tour through Greece* I, p. 411. et *Onor. Bres* in *Malta antica illustrata* p. 95. Tituli Phoenicii idem duo dedit exempla, alterum maius, quod repetiit *Boeckhius* in *Corp. inscr. gr.* T. I p. 527, alterum minus idque minus accuratum, quod expresserunt Dodwell l. c. *Kopp Bilder und Schriften* I, p. 266. Etiam in maiore esse, quod desideres, maxime in duabus magni momenti litteris, inspecto et diligenter examinato lapide comperi: novam propterea exhibeo delineationem, quae veram litterarum magnitudinem imitetur, unde intelligent lectores, nullam fuisse caussam, quod Akerbladius litteras Phoenicias minutas appellaret et ad Graecarum litterarum elegantiam non accedentes.

Ceterum idem iste primus tituli editor eum ita interpretatus est (Comment. Gotting. l. c. p. 225 — 228. Epist. ad Italinsk., v. ad no. 6), ut etiam nunc denuo inspecto lapide non possimus non ei in plerisque assentiri. Post eum hanc inscriptionem vel tractarunt vel paucis attigerunt *O. G. Tychsen* in *Actis Novis Upsal.* VII p. 96 sqq. *Kopp.* l. c. *Hamak.* in *diatribe* p. 4. 20. 68, nosque ipsi tractavimus apud *Boeckhium* l. c.

2. Inscriptio integra ita legenda est:

מצבת סכר בחים לעבדחנת בן
עבדשמש הצדני

Cippus memoriae inter vivos Abd-Tanitho (Artemidoro) *filio Abd-schemesch* (Heliodori) *Sidonio.*

מצבת סכר בחים) Non parva difficultas inest in altero vocabulo, quod Akerbladius, Koppius al. legebant זכר *memoria*, Hamakerus l. c. דכר itidem *memoria* ex Aramaismo, Tychsenius contra קבר *sepulcrum*, in quam sententiam ipse ex Akerbladii delineatione iudicans inclinavi apud Boeckhium l. c. Sed inspecto lapide aliter statuendum est. Secunda enim littera manifesto est *Caph*, et nullo modo Beth esse potest, quod peculiari sua forma quinquies in hac inscriptione comparet. Prima mihi lapidem examinanti multum negotii fecit. Ibi enim, ubi haec littera incisa est, duplex quaedam vena est in lapide, qua effectum, ut ductus styli ope facti aegre discernantur a venae

Digitized by Google

lineolis. Omnes tamen, qui hunc lapidem mecum examinarunt, in eo consentiebant hanc figuram manifesto stylo incisam esse; num etiam superior lineola obliqua arte facta sit, dubitari quidem poterat; credibilius tamen videbatur, arte factam esse, quam non esse. Quaenam autem littera censenda erit figura sive sive ? *Sain* ea esse non potest, cuius formae plane aliam rationem sequuntur (lib. I §. 18): sed simillimum est *Samech* in Carthag. 9 lin. 1 (in כבס) et magis etiam in Tripol. 2 lin. 2 (in סלת), ubi ita picta est haec littera, ut uncorum fulguriformium pauciora vestigia adsint, solum fulcrum plenius exaratum sit. Quid autem? Num igitur interpretandum סכר *claustrum* (מצבת סכר cippus claustri)? praeferendum illud scilicet aptissimae interpretationi זכר מצבת *cippus memoriae?* Minime vero. Quanquam enim litterarum figura flagitat lectionem סכר, hoc tamen idem valere censemus, quod זכר *memoria*, ס scripto pro ז, ut in inscr. Tugg. lin. 7 גל סך pro גל זך *fons pellucidus*. Sic apud Hebraeos promiscue scribitur עָלַס et עָלַז; verba סוּר et זוּר, סָלַל et זָלַל, סָנַס et זָנַז vix diversa sunt (cf. quae congessimus Thes. ling. hebr. I, p. 400): et etiam apud Graecos Etruscosque litterarum Sain (Zeta) et Samech (Sigma) figurae varie inter se permutatae dein in unam litteram coaluerunt (lib. I §. 47. 49). Quid quod? haud scio an hoc ipsum exemplum, quo pro זכר *memoria* scribitur סכר, de vera verbi זכר origine (quam in pungendo nuper quaesivit Boettcherus, specc. interpret. V. T. p. 207, cf. thes. p. 415) probabiliora nos doceat, quam Etymologi solo ingenio et lingua arabica ducibus exputarunt. A quanam enim re aptius *memoriae* significationem repetes, quam a claudendo et *conservando?* Ceterum *memoriae* significationem unice aptam esse ad hunc locum, luculenter ostendunt etiam verba 2 Sam. 18, 18 de Absalone sibi vivo monumentum ponente, quibus initium inscriptionis nostrae egregie illustratur: וְאַבְשָׁלוֹם לָקַח וַיַּצֶב לוֹ בְחַיָּו אֶת־מַצֶּבֶת אֲשֶׁר בְּעֵמֶק הַמֶּלֶךְ כִּי אָמַר אֵין לִי בֵּן בַּעֲבוּר הַזְכִּיר שְׁמִי וגו׳. Ad בחים (בְּחַיִּים) praeter locum 2 Sam. modo laudatum cf. Cit. 2. 3. 20. 23.

לעבדחנת) *Abd-Th.n.t* (servo s. cultori Th.n.tae). Respondet gr. Ἀρτεμίδωρος, unde apparet, תנת esse nomen idoli muliebris apud Phoenices, quod Graecorum Ἀρτέμιδι quodammodo respondebat et hoc nomine reddi vel solebat vel certe poterat. Idem numen חנת ter memoratum reperitur in titulis Carthaginensibus no. 2. 3. 5 (no. 47. 48. 50), fluctuante tamen virorum doctorum sententia, quorum alii, ut Akerbladius (epist. ad Italinsk. in Millin Annales encyclopédiques II p. 193 sqq. ubi priorem sententiam corrigit), Lindbergius al. תנת legentes *Tanaïtin* s. Dianam Persicam comparabant, alii, ut Koppius, Tychsenius, Hamakerus (diatr. p. 6 sqq. et saepe), Quatremère תלת legentes varias de hoc nomine sententias excogitarunt, inter quas Hamakeri de dea Carthaginensium *Tholath* תֹּלַדְתּ (pro תּוֹלֶדֶת *generatio*), generationis praeside, magna doctrinae copia exornata passim in libros antiquitatem illustrantes (v. *Münter Tempel der himmlischen Göttin zu Paphos* p. 2) recepta est et plurimorum

Digitized by Google

suffragia tulit. Tulerat etiam nostrum (v. praef. ad Lex. hebr. minus p. XXX ed. 2. Encyclop. univers. T. XXII p. 97): verum enim vero, quod praesagiverat animus iam anno 1828 (v. apud Boeckhium l. c.), id postea praeter exspectationem evenit et prorsus confirmatum est. In nostro enim lapide Londini a me examinato, in duobus Lugdunensibus (Carth. 2. 3) et ipsis a me inspectis et in Hauniensi teste Lindbergio et Hohlenbergio littera illa media, de qua dubitatum est, tam luculentum est *Nun*, a Lamed in iisdem titulis obvio tam manifesto diversum, ut illa virorum doctorum discordia non aliam sive causam sive excusationem habeat quam a delineationibus minus accuratis, ex quibus ipsis prava illa Hamakeri de *Lamed* et *Nun* apud Phoenices promiscue usurpatis doctrina orta est (lib. I §. 23. 25). Abdicanda igitur חלת *Tholath*, merum recentiorum commentum, cuius in marmoribus recte lectis ne minimum quidem vestigium comparet.

Quid vero est תנת? quomodo hoc nomen efferendum? quae alia talis numinis vestigia offert antiquitas? De his singulatim iam videamus. Ac *primum* quidem ex ipsis quas laudavimus inscriptionibus tria colligi possunt: a) numen תנת una cum בעל חמן s. Baali Solari cultum et titulis celebratum esse (Carth. 2. 3. 5); b) maiorem fere eius quam *Chammani* auctoritatem fuisse, cui ubique anteponatur (ibid.); c) cum *Diana* illud comparari solitum esse. Atqui Dianae, non graecae illius quidem, sed Orientalis, Persicae s. Armenicae domesticum nomen *Ταναΐς* s. *Ταναΐτις* fuisse constat, quod cum תנת dudum contulit Akerbladius. Cui alii ita occurrere voluerunt, ut *Ταναΐτις* vix in uno duobusve veterum scriptorum locis iisque probabiliter depravatis reperiri animadverterent, in quibus vulgare eius numinis nomen *Ἀναΐτις* (Strabo XI, 8 §. 4. XV, 3 §. 15. Plut. Artax. 27. Pausan. 3, 16 §. 6. Agathiae hist. 2, 24. Plin. 33, 24) reponendum sit, ita suadente neopersico Veneris nomine ناهید, ناهید, ناهیذ (v. de Sacy in Journal des Savans 1817 p. 439. Hamakeri diatribe pag. 5): sed videant hi, ne temeraria manu genuinae et antiquioris formae vestigia deleant, quae et in diversissimis scriptoribus multorum codicum auctoritate nititur (v. Tzschucke ad Strab. T. IV p. 601) et in nostris inscriptionibus insigne praesidium habet. Potiores enim loci in quibus *Ταναΐς* in codicibus comparet, hi sunt. Unus est Strabonis XI, 13 §. 16 p. 532 Casaub. *ἃ πάντα μὲν οὖν τὰ τῶν Περσῶν ἱερὰ καὶ Μῆδοι καὶ Ἀρμένιοι τετιμήκασι, τὰ δὲ τῆς Ἀναΐτιδος διαφερόντως Ἀρμένιοι*, ubi cod. Med. 3. 4. Moscov. Venet. Paris. cum editt. Ald. Hopp. et vetere interprete *Ταναΐδος*, quod tuetur etiam *alter* locus, Eustathii ad Iliad. 14, 295 p. 979, ubi hic Strabonis narrationem repetens scribit *Ταναΐτης δαίμων*. *Tertius* (quem solum ante oculos habere videtur de Sacyus l. c.) est Clementis Alexandrini, Protrept. p. 43 Sylb.: *τοῦτο* (simulacra humanam figuram referentia) *Ἀρταξέρξου τοῦ Δαρείου τοῦ Ὤχου εἰσηγησαμένου, ὃς πρῶτος τῆς Ἀφροδίτης Ταναΐδος* (Buleng. ad Arnobium p. 272 coniicit *Ἀναΐτιδος*) *τὸ ἄγαλμα ἀναστήσας ἐν Βαβυλῶνι καὶ Σούσοις καὶ Ἐκβατάνοις καὶ Βάκτροις καὶ Δαμασκῷ καὶ Σάρδεσιν ὑπέδειξε σέβειν*, cf. Plut. Artax. 27, ubi Aspasiam narrat lectam in sacerdotium *Ἀρτέμιδος τῆς ἐν Ἐκβατάνοις, ἣν Ἀνεῖτιν* [al. *Ἀναΐτιν*] *καλοῦσι*. *Quartus* Eustathii ad Dionys. Perieget. 846: *οὕτω δέ φασι καὶ παρὰ Ἀρμενίοις παρθένους ἐπιφανεῖς ἀνιερωθεῖσαι θεᾷ*

Digitized by Google

τινι λεγομένῃ Ταναΐτιδι (ita omnes, sine auctoritate nuper Bernhardyus Ἀναΐτιδι) καταπορνεύεσθαι, εἶτα πρὸς γάμον ἐκδίδοσθαι, μηδενὸς ἀπαξιοῦντος ταῖς τοιαύταις συνοικεῖν (cf. etiam Dion. Cass. 36, 36 ubi olim Ταναΐδος erat, nunc in editt. Ἀναΐτιδος). Satis firma igitur auctoritas *Tanaïtidis*, quam formam iuxta vulgarem illam admittere minus etiam dubitabunt viri eruditi, ubi infra de utriusque origine disputaverimus. Hanc vero sive Tanaïtin sive Anaïtin vulgo *Dianam* appellatam esse tum Plutarchi locus docet modo laudatus tum alia veterum testimonia firmant (Diod. 5, 78. Plin. 6, 27. Jos. Antiqu. 12, 13. Arrian. exped. Alex. 7. Steph. Byz. v. Zela), eandemque cum Omano (ut תנת cum בעל חמן in Carthag. 1—3. 5) communia sacra habuisse, alibi monstrabimus (ad Carthag. 3 no. 48).

Est igitur dea תנת (quam Hebraeorum more תָּנִית efferas) idem illud numen, quod modo peregrino nomine a Graecis Ταναΐτις, Ἀναΐτις, modo domestico Ἄρτεμις (vide locos modo laudatos), plenius Ἄρτεμις Περσική (Plutarch. Lucull. 24. Spanhem. ad Callim. Dian. 36), Ἄρτεμις ταυροπόλος (Spanhem. ibid. ad v. 137), Οὐρανίη (Herod. 1, 131), Ἀφροδίτη (Agathiae hist. 2, 24. Clem. Alex. l. c.) *), subinde etiam Ἀθήνη (Plut. Syll. c. 9. Artax. c. 27 et quae laudat Creuzer, Symbolik IV p. 200) **), adeoque *Bellona* appellatum, inde ab Artaxerxe, qui cultum eius ex Babylonia repetitum introduxerat (Plut. in Artax. et Clem. Alex. ll. cc.), in Persiae urbibus Ecbatana, Susis, Pasargadis (Plin. 6, 27. Clem. Alex. l. c.), in sinu Persico (Arrian. l. c.), in Armenia (Strab. XV p. 806), Scythia Taurica (Plut. Lucull. 24. Callim. Dian. 174), in Asiae minoris urbibus ac regionibus, ut Zelae et alibi in Ponto (Steph. Byz. v. Ζῆλα. Plut. Lucull. 50), Comanae in Cappadocia (Strab. l. c. Heyne de sacerdotio Comanensi p. 101 sqq.), Hierapoli in Phrygia (Plut. Crass. 17), Hierocaesareae et alibi in Lydia (Tac. Ann. 3, 62. Athen. XIV, 38), *Ephesi* (Act. 19, 24. Creuzer Symbolik II, p. 176 et quae ibi laudantur) ***), magna cum religione colebatur, quodque *Lunam*, praecipue *Lucis datricem* (φωσφόρον), repraesentare probabile reddit Creuzerus (Symbolik II p. 190). Ubique imagines deae modo rudiores nil nisi truncum cum capite et pedibus repraesentantes, modo turritae, armatae, multimammiae, solenni ritu certis diebus circumgestatae, in πυραθείοις a sacerdotibus

*) Ipsa Ἄρτεμις Ephesina in Versione arabica Act. 29, 24 عزّى redditur i. e. *Venus*. Contra Hesych. Ζαρῆτις (i. e. عزّى), Ἄρτεμις, Πέρσας, quo etiam pertinet Ἄζαρα teste Strabone p. 512 Minervae et Dianae templum, rectius ipsa Diana s. Venus عزّى.

**) Apulejus Afer (lib. XI de asino aureo p. 254 Bip.) Lunam invocans: Regina coeli, sive tu Ceres alma frugum parens originalis ..... seu tu *Coelestis Venus* ..... seu *Phoebi Soror*, quae partu fetarum medelis lenientibus recreato populos tantos educasti, praeclarisque nunc veneraris delubris *Ephesi* cet.

***) Egregie Hieronymus praef. ad Ephes. „scribebat (Apostolus) ad Ephesios Dianam colentes, non hanc venatricem, quae arcum tenet et succincta est, sed illam multimammiam, quam Graeci πολύμαστον vocant.“ — Eiusdem Dianae Ephesinae fanum magna religione cultum erat in Hispania apud Carthaginem novam prope Herculis insulam (Strabo lib. III, p. 159 Casaub.) et aliud simile in eadem ora in Emporiis (Strabo l. c. p. 160).

Digitized by Google

Persicis et a virginibus cultae, quae quaestum corporis facerent: hic illic vaccae sacrae in eius honorem nutritae (v. Spanhem. ll. cc. Hyde de rel. vett. Persarum p. 92 sqq. Relandi diss. Miscell. II p. 118 sqq.).

Eandem hanc Dianam a Phoenicibus Atheniensibus cultam esse, testatur inscriptio nostra (coll. Callim. Dian. 173 ibique Spanh.). De cultu eius Carthaginensi infra (ad inscr. 48) agetur copiosius. Sed et alia exstant huius religionis ipsiusque nominis תנת vestigia haud obscura in nominibus propriis hominum locorumque Phoeniciorum et Punicorum, si quidem ex more apud veteres satis recepto etiam apud Phoenices Poenosque hominibus nomina propria indi solebant, quibus se huius illiusve numinis cultores profiterentur (v. Comment. nostrum ad Jesaiam T. I. pag. 281. Kosegarten de prisca Aegyptiorum litteratura p. 26), dein per ellipsin vocabuli עבד ipsa deorum nomina imponebantur (cf. עבד אשמן pro אשמן, *Alonymus* pro Abdalonymus, *Aserimus*, *Astarimus* al. v. lib. IV cap. 2. 3): oppida autem per similem ellipsin numinis ibi studiose culti nomen adoptare solebant *). Ex priore autem genere huc referenda sunt haec exempla: 1) צנחנת *clypeus Tanaïtidis* n. pr. viri Cit. 29, huius numinis, quod armatum repraesentari solet et iccirco cum Bellona comparatur, cultori satis aptum. Tacere nolo, in Pocockiano huius tituli apographo mediam litteram in תנת Lamed potius esse videri, quam Nun: sed experientia docuit, quid in hac re apographis tribuendum sit. 2) *Τέννης* rex Sidonis, ut videtur, pro pleniore עבדתנת. 3) *Mutten*, *Myttonus* itidem regis Sidonii nomen, prob. מתתנת *vir Artemidis*, ut מתובעל *vir Baalis*, מתועשתרת *vir Astartes*, et fortasse 4) *Masintha* et *Masinissa* ex מעשי נית *opus* (ta) *Neithae*, omisso ת, qua de re mox dicetur. Ex altero b) *Τύνης* (*ητος*) et *Τύνις* (*ιδος*) *Tunis* (nostratium Tunis) oppidum prope Carthaginem, quod Phoeniciis litteris scripserim תֲנִית et (locum) *Dianae* q. d. *Artemisium* explicaverim. Ypsilon i. e. sonum obscuriorem sextae Aethiopum vocali similem a Carthaginensibus ibi pronunciatum et a Graecis Romanisque in vocabulis Punicis scriptum esse, ubi Schwa mobile aut Segol erat, innumeris fere exemplis constat (v. lib. IV cap. 4); *νης* (*ητος*) et *νις* pro נית neminem morabitur. 2) *Τίγγις Tingis* Mauretaniae, quod ipsum תנת scriptum in numis, qui Sextis Hispanicis vulgo tribuuntur, invenisse mihi videor (v. lib. III c. 16). — In his nominibus duo sunt, quae N geminatum habent et scriptionem תַּנִּית suadere possint, *Τέννης* et *Τίγγις*: sed ut nonnunquam ita pronunciatum sit, genuina et nativa nominis pronunciatio haec fuisse non videtur.

Namque de etymo quaerentibus nobis, nil probabilius se offert, quam quod partim praeeuntibus Hydio et Relando ll. cc. proposuit Akerbladius, vir egregius, *Tanith* aegyptiacae originis esse et idem esse quod *Neith* (*Νηΐθ*) praeposito articulo

*) Ita in Vetere Testamento עַשְׁתָּרוֹת oppidum Peraeae Deut. 1, 4. Jos. 13, 12 a cultu Astartes dictum pro pleniore בית עשתרות, נְבוֹ nomen oppidi et montis a cultu dei נְבוֹ i. e. Mercurii; apud Aegyptios *Amûn* i. e. Thebae, *Mendes*, *Bubastis* a diis cognominatae, apud Graecos *Ἀθῆναι* a cultu *Ἀθήνης*; apud nos *Radegast*, *Jüterbog* Saxoniae oppida, ab eiusdem nominis idolis a veteribus Slavis ibi cultis, al.

Digitized by Google

feminino *ta*, qui etiam in Aegyptiorum lingua et scriptura Neithae nomini praeponi solet (v. *Champollion Panthéon Egyptien* no. 6). Tanaïtis atque Neithae religiones mire inter se convenire, infra copiosius disputabitur (ad inscr. 46): nec quicquam valet, quod illi etymo opposuerunt Jablonski (Panth. aegypt. 1, 56) de Sacy al., Neitham Aegyptiorum cum Minerva, Tanaïtin contra cum Diana comparari: siquidem Tanaïtin etiam cum Minerva comparari adeoque Minervam appellari supra iam vidimus, quanquam omnino his peregrinorum deorum apud Graecos appellationibus non multum tribuendum est. Adoptato autem hoc etymo simul intelligis, quid caussae fuerit, quod t initiali vocis *Tanaith*, *Tanaïs*, *Tanaïtis* abiecto inde natum sit *Anaïtis:* t enim utpote ad vocis integritatem minus necessarium omitti potuit et abiici. Quid? quod videant eruditi, sintne adeo in Punicis vestigia nudioris illius formae נת (נית) pro תנת v. c. in nomine proprio *Masintha*, fortasse *Maasi-nitha* (מעשי נת), atque in ipso *Masinissa* *). Quid *Neithae* nomen (ⲛⲏⲓⲑ) valeat in vetere lingua aegyptiaca, h. l. non disputo: haud inepte tamen *Münterus* (*der Tempel der himmlischen Göttin zu Paphos* p. 3) coll. memphitico ⲛⲁⲏⲧ, ⲛⲁⲓ illud *misericordem*, ἐλεήμονα notare coniecit, unde lucem feneretur haec Hesychii glossa: Ἐλεήμων, ἐν Κύπρῳ Ἀφροδίτη.

בן עבדשמש הצדני) Eundem hunc virum, quem titulus graecus *Heliodorum* appellat, memorat inscriptio sequens. In alio cippo Atheniensi (Boeckh. Corp. inscr. no. 906) legitur: Ἡλιοδώρα Ἡλιοδώρου Τυρία, Φίλωνος Ἀζηνιέως γύνη.

VI.

ATHENIENSIS SECUNDA.

1. Cippus praecedenti simillimus ex marmore albo factus bene tersus et laevigatus haud procul a loco veteris Academiae effossus, olim penes Fauvelium erat, nunc in museo Parisiensi in conclavi candelabrorum (*salle des candelabres*) no. 983. Tituli totiusque monumenti delineationem primus dedit adiecta explicatione Akerbladius (*lettre à Mr. le chevalier Italinsky sur une inscription Phénicienne*, Rome 1817, quae repetita est in *Millin annal. encyclopéd.* T. II. p. 193—214 cf. *de Sacy* in *Journal des Savans* 1817 p. 433), tria apographa secutus a *Guil. Gellio* accepta. Quae tamen quam male facta fuerint, quippe ab hominibus profecta litterarum Phoeniciarum ignaris, Hohlenbergii me docuit exemplar anno 1825 Parisiis transscriptum et a me editum in Boeckhii corp. inscr. I p. 523 (ubi tamen מ in מלקרת vitiose expressum est), quo vixdum inspecto cunctae evanuerunt difficultates, quibus Akerbladii interpretatio non potuerat non laborare. Nuper vero Schultzius Regiomontanus accu-

*) Litteris נת *Neithae* aegyptiacae nomen exprimitur etiam in nomine proprio אָסְנַת (LXX Ἀσενέθ, Ms. Alex. Ἀσσενέθ), quod gerebat uxor Josephi, filia Potipharae Gen. 41, 45. 46, 20, sive hoc cum Jablonskio scribis ⲥϣⲉ-ⲛⲉⲓⲧ i. e. Neithae cultrix, Ἀθηνοσεβής (Opuscc. II, 209. Panth. Aegypt. 1, 56) sive, quod ego malim ⲁⲥ-ⲛⲉⲓⲧ *quae Neithae est* (thes. ling. hebr. T. I. p. 130). Alia autem nomina propria aegyptiaca, in quibus eiusdem numinis nomen latet, sunt *Νίτητις* Herod. 3, 1 i. e. quam Neitha dedit, *Psammenitus* a Neitha eruditus, *Pataneith* qui Neithae est Procl. in Tim. 31.

Digitized by Google

ratissimum utriusque tituli ectypum Parisiis a se factum misit, quod tab. 9 delineando imitati sumus, tab. autem 10 totius monumenti adumbrationem exhibemus ab Hohlenbergio factam.

2. Akerbladius minus accurata, ut diximus, exempla secutus, verba Phoenicia ita legit et transtulit:

לבנחדש בן עבדמנדבת
בן עבדשמש בן חגנצא מכתי

Ben Chodscho (Numenio), filio Abd-Mindebeth (q. d. Liberii)
filii Abdschemesch (Heliodori), filii Tagnizza (Stephani) e Citio.

Nostrum exemplar haud cunctanter ita legendum:

לבנחדש בן עבדמלקרת
בן עבדשמש בן תגנץ אש כתי

Ben-Chodscho (Numenio), *filio Abdmilcarti* (Heraclii),
filii Abdschemesch (Heliodori), *filii Tagginez* (Stephani), *viro Citiensi*

ad quae haec animadvertenda videntur:

לבנחדש) בנחדש pr. filius novilunii i. e. novilunio natus, ut *Elulaeus* (אֱלוּלַי) i. e. mense Elul natus, *Paschalis* (Pascal) Paschate natus, שַׁבְּתַי Sabbato natus, gall. *Noël* al., gr. *Νουμήνιος*, nomen satis vulgare, etiam apud Judaeos usitatum 1 Macc. 12, 16. 14, 22. 15, 15. Praemittitur nomini ל, ut saepe in his cippis (Cit. 5. 16. 17. 21), ubi Graeci nominativo utuntur, qua in re haerere non debebat Silv. de Sacy l. c.

בן עבדמלקרת) Vitiosam Akerbladii scripturam et quam inde exsculpsit lectionem (עבדמנדבת), non moror. Quae vere in lapide comparent, ea iam antea sola coniectura assecutus fuerat cel. *Wex* in diss. *de loco mathematico Menoetis* Halae 1825, thes. 5. Idem nomen, perfrequens in inscriptionibus, restituimus in inscr. Humb. 1. 3.

בן עבדשמש) En iterum Heliodorum, et nescio an eundem qui inscriptione praecedente memoratus est. Duo enim cippi sibi simillimi quum in eodem fere loco, via ad Academiam ducente, reperti sint, facile colligas, viros sub iis sepultos eiusdem familiae fuisse, quae ortu Sidonia commercium inter Phoenicem, Cyprum et Athenas exercebat, cuiusque hoc stemma ex duobus titulis nostris oritur:



Erat igitur Artemidorus Numenii patruus.

Digitized by Google

Additur etiam pater Heliodori, cuius nomen pronuncio תֶּגְנִץ vel תֶּגִינֵץ, תַּגִּינֵץ (inserto Jod compaginis in compositionibus frequente) i. e. recte iam observante Akerbladio *corolla florum*. Namque תג *corona* ex Hebraismo quidem biblico exulat, sed tam frequens est in dialectis cognatis, ut etiam phoenicium fuisse vix dubites, cf. chald. תָּג, syr. ܬܓܐ, ܬܓܐ, unde ܐܬܬܓܓܝ coronatus est, arab. تَاجٌ, unde perfrequens in Persismo. Nomen igitur simile arabicis تاج الدين Tadsch-eddin (corona fidei), تاج الدولة (corona temporis), idque graece reddas *Στέφανος*.

אש כתי) hebraice scribas אִישׁ כִּתִּי. אש ita gentiliciis praemissum habebas inscr. 3. 4, cf. hebr. אִישׁ עִבְרִי Gen. 39, 14, אֲנָשִׁים מִצְרִים Jer. 26, 22, אֲנָשִׁים יְהוּדִים 43, 9. כִּתִּי autem, quod graece redditur *Κιτιεύς*, est singularis vocabuli כִּתִּים in V. T. octies obvii, eoque mirifice confirmantur, quae de eius origine et historia disputavimus ad Jes. 23, 1. Etenim unice veram esse apparet Josephi et Epiphanii sententiam (Arch. 1, 6. adv. haer. 30 §. 25) כִּתִּים pr. esse *Citieos*, Citii urbis incolas („*Κιτιεες*"), quorum nomen postea ad Cyprios omnes, adeoque ad alios maris mediterranei accolas translatum sit (Dan. 11, 30). H. l. כתי sensu proprio est *incola Citii*, *πολίσματος ἑλληνικοῦ Φοίνικας ἐποίκους ἐσχηκότος*, quae verba sunt Diog. Laert., vit. Zen. init. Plura de Citio vide mox ad cap. 3 init. Ceterum quod Hamakerus (Miscell. p. 8) in hac inscriptione legi tradit בן חדש ... הכתי non potest non mero errore niti.

VII.

ATHENIENSIS TERTIA.

1. Brevis hic titulus in horto prope Piraeum nuper admodum repertus lapidi sepulcrali ita inscriptus est, ut verba graeca exarata sint super imagine mulieris stantis et infantem gestantis, phoenicia super imagine mulieris sedentis. Lud. Rossius, nunc rerum antiquarum in Graeciae regno praefectus, 1832 eam Lipsiam misit, ubi a Funkhaenelio edita est in *Jahnii et Seebodii novis Annal.* Suppl. 2 p. 433, paullo post illustrata a Ludov. Angero ibid. Suppl. 3 p. 216 sqq.

2. Phoenicia, quae praeter unam litteram (צ pro ז) recte legit Angerus, ita se habent:

הרנא בעלת בזנתי

Erene, civis Byzantii,

atque accurate respondent graecis *Ἐρήνη Βυζαντία.*

In הרנא ultima littera Tau potius videri possit, quam ulla alia littera. Sed ת litterae alia figura bis in eodem titulo exstat, neque ferri possit ת feminini generis, quum forma phoenicia manifesto graecam imitetur. Est igitur *Aleph*, quod eadem hac figura imperfecta habetur Cit. 20, 1. 33, 1. 3 cf. §. 12 sub no. 25. Quod graecum *E* in Phoeniciis exprimitur ה littera, id nemo miretur. Namque *E* Graecorum ex ה Phoenicum ortum est (p. 66) eique respondet tum figura tum loco, quem in litterarum ordine occupat, quanquam potestas eius paullulum mutata est: solentque Hebraei,

Digitized by Google

Syri, Chaldaei graeca vocabula scribentes *A*, *E*, *H* litteris ineunte vocabulo nunquam non א vel ה litteris exprimere, non solum ubi spiritu aspero, sed etiam ubi leni munitae sunt, v. c. *εὐγενής* in Talmude הוגנסין, *ἐνοχή* הנכיה, *ἀτελής* הטלים, *ἦν* הן, *elogium* אלגין, *ἐλατή* אלטין adeoque in medio vocabulo *συνέδριον* סַנְהֶדְרִין, v. *Cohen de Lara de convenientia vocabulorum talmudicorum cum graecis* cet. p. 35. Quod autem Erenes nomen graecum etiam in Phoeniciis servatum est, id ostendit, eam natione Graecam fuisse (quod vel ex patria eius evincitur), uxorem procul dubio Phoenicii hominis, qui Athenis degens ei hoc monumentum posuerat. Aliud nominis graeci Phoeniciis litteris scripti, non translati, exemplum est לאדכא *Laodicea*, v. lib. IV, no. 4.

בעלת (בַּעֲלַת) non *domina* est, sed *civis (Bürgerin)*. Masculinum בַּעַל ita saepe in V. T. ut בַּעֲלֵי שְׁכֶם *Sichemitae*, בַּעֲלֵי יְרֵחוֹ *Hierichuntini* (v. thes. ling. hebr. v. בַּעַל no. 3) et in Phoeniciis, velut מבעל אגדר (מִבַּעֲלֵי אַגְדֵּר) *a civibus Gadium* in numis Gaditanis (lib. IV, no. 15), מבעל תנת *a civibus Tingitanis* (lib. IV, no. 16), et fortasse etiam בעל תרז (pro בעלי תרז) *cives Tarsenses* in numis Tarsensibus (lib. IV, no. 7).

Urbis nomen בצנתי legit *Angerus*, secundam eius litteram *Zade* esse putans, quanquam non negat vir doctissimus et talem eius figuram insolitam esse atque a se alibi monstrari non posse, et ζ litterae in Semiticis legitime respondere *Zain*, non Zade. Sed nil opus est anomaliis et exceptionibus, quum haec littera ipsum sit *Sain*, eadem vel certe simillima forma in nonnullis Ciliciis exstans (num. Cilic. litt. G in מזרי sidus meum coll. מזרך in A. B) et plane conveniens cum figura Zeta litterae apud Graecos, v. lib. I §. 18. Legendum igitur בזנתי. Hoc dictum esse pro ipso urbis nomine *Βυζάντιον* (non *Βυζάντιος*), ex contextu satis manifestum est: quod vero Angerus dicit, graecum *ον* ibi esse abiectum, id certe accuratius explicandum erat. Nimirum Hebraei atque Syri pro gr. et lat. *ιον*, *εῖον*, *ium* vulgo ponunt *în* ין, velut *ψαλτήριον* פְּסַנְתֵּרִין Dan. 3, 5. 10. 15 et פְּסַנְטֵרִין 3, 7 (hoc enim vocabulum neque plurale est, quum copuletur cum aliis instrumentorum nominibus in singulari positis, neque respondet graeco *ψαλτήρ*, quod *citharoedum* significat, non citharam), *συνέδριον* סנהדרין, *κοινόβιον* ܩܢܘܒܝܢ *Kanobîn*, *ἐντύβιον* אנטובין, *ἀσσάριον* אסרין al., et nonnunquam praeterea Nun abiiciunt (quod tam saepe in vocabulis extremis abiicitur) v. c. *ἀρχεῖον* ארכי Cohen de Lara l. c. p. 21, *βαλανεῖον* בלני p. 24, *vivarium* ביברי Sanhedr. fol. 39. Beza fol. 23. Erat autem hoc quoque nomen in scriptura Phoenicia servandum, quum Byzantii urbis Phoenicium nomen non exstaret.

3. In verbis Graecis nihil offensionis est, nisi quod *Ἐρήνη* scriptum est pro *Εἰρήνη*, quod Angerus vulgari cuidam pronunciandi rationi tribuit. Sed ad archaismos potius referenda est haec scribendi ratio in titulis antiquioribus non inusitata (cf. *AIE* pro *αἰεὶ* Boeckh Corp. inscr. I, lin. 1, *ΚΛΕΤΟΣ* pro *Κλεῖτος* ibid. II, lin. 9. *EMI* pro *εἰμί* ibid. in Sigea no. VIII, vasculo Attico no. XXXIII et no. X), quam nemo magnopere mirabitur, qui cogitaverit, *E* litteram antiquitus appellatam esse *εἶ* (Plat.

Digitized by Google

Cratyl. p. 426 C. 437 B), unde facile colligas, eam nonnunquam sonum habuisse illi diphthongo vicinum, cf. *λέγειν* dor. *λέγεν*, *ἔαρ*, *εἶαρ* al.

CAPUT TERTIUM.

INSCRIPTIONES CITIENSES.

Citium (*Κίτιον*, rarius *Κίττιον* et in libris mss. passim *Κήτιον*, v. Duker. ad Thucyd. 1, 112. Staveren ad Nepot. Cim. 3) in meridionali Cypri ora ducentis a Salamine stadiis (Diod. 20, 4) sita erat, ubi nunc *Chieti* s. *Tschitti*, haud procul a Larnica s. Larnaca. Licet non magnae molis urbs esset (*πολίχνιον* appellat Suidas v. *Ζήνων Κιτιεύς*), tamen munitissima erat (Thucyd. 1, 112), portu, qui claudi poterat (Strabo XIV p. 683 Casaub.), atque salinis nobilis (Plin. 31, 7. Antigon. Caryst. hist. mirab. c. 173): complurium doctorum hominum, veluti Zenonis philosophi, Apollonii medici, patria (Strabo l. c. Diog. Laert. vit. Zen. post init.). Phoenicum eam coloniam fuisse, recentiori adeo aetate a Phoenicibus habitatam tum alia multa testantur, velut inscriptiones phoeniciae ibi repertae, tum constanter memoriae tradunt veteres (Cic. de fin. 4, 20: *postea tuus ille Poenulus — scis enim Citieos, clientes tuos Phoenicia profectos* rel. Diog. Laert. lib. 7 vit. Zen. *Κιτιεύς ἀπὸ Κύπρου, πολίσματος Ἑλληνικοῦ, Φοίνικας ἐποίκους ἐσχηκότος*. Suid. in *Ζήνων*: *Φοῖνιξ δ' ἐπεκλήθη, ὅτι Φοίνικες ἔποικοι τοῦ πολιχνίου ἐγένοντο*), ut satis mirari non possis, Mannertum (*Geographie der Griechen und Römer* VI, 1 p. 578) fidem veterum infringere nulla alia de causa quam quod plures, ut diximus, Graeci eruditi ibi nati sint. Imo permagnam fuisse Citiensium in terra materna auctoritatem, vel ex eo apparet, quod huius urbis gentisque eam habitantis nomen כִּתִּים (*Κιτταῖος* Menand. Ephes. ap. Jos. Arch. 9, 14 §. 1) ad universos Cyprios translatum est (v. ad Athen. 2 extr.). Ceterum nusquam disertis verbis traditur, a Tyriis urbem conditam esse. Colligitur id quidem vulgo ex versu Alexandri Ephesii apud Steph. Byz. v. *Λάπηθος*: *Βήλου δ' αὖ Κιτιόν τε καὶ ἱμερόεσσα Λάπηθος*, ubi *Βήλου Κίτιον* interpretantur Citium conditum a Belo, Didonis et Pygmalionis patre, rege Tyri paene fabuloso: sed *Βῆλος* potius בעל esse videtur, numen Phoenicum domesticum, ita ut *Beli Citium* sit Citium huic numini sacrum. Ex forma חתי (חִתִּי) Cit. 33 lin. 5, si modo haec idem valet quod כתי (כִּתִּי), potius coniecturam capere possis, כִּתִּים fortasse antiquitus eosdem esse atque חִתִּים, tribum canaaniticam ex V. T. notissimam. Citieos autem Tyri regibus olim paruisse, apparet ex narratione Menandri Ephesii apud Joseph. l. c., qua Elulaeus, Tyriorum rex, Salmanassaris aequalis, Cittaeos, qui a Tyriis defecerant, ditioni suae denuo subiecisse fertur. Sub eadem ditione etiam postea mansisse videntur usque ad Amasin, Aegypti regem, qui universam Cyprum subegisse sibique tributariam fecisse traditur (Herod. 2, 182). Sub Persarum imperium redacti sunt a Cambyse (Herod. 3, 91, de Xenophontis enim fide dubitatur, qui ipsi Cyro hoc tribuit Cyropaed. 1, 1 §. 4 cf. Marsham. can. chron. p. 588) et quum defecissent,

Digitized by Google

regnante Dario Hystaspis filio denuo in servitutem redacti (Herod. 5, 116): tantaque erat urbis potentia, ut flagrante bello Peloponnesiaco acerrimos Atheniensium impetus fortiter sustineret, dein a Cimone expugnata, qui diem supremum ibi obiit (Diod. 12, 3. Plut. Cim.); quo facto excusso Persarum iugo per aliquod tempus pristinam libertatem et quandam *αὐτονομίαν* nacta est. Debellatis autem Persis mox Aegypti, mox Syriae regibus paruerunt Citienses reliquique Cyprii, donec omnes Ptolemaeo Cypri regno iniquissime exuto Romanae potentiae cessere (Strabo XIV pag. 684). Ad Ptolemaeos autem, Cypri reges, pertinent pleraeque inscriptiones graecae in Citii ruderibus repertae (Boeckh Corp. inscr. T. II. fasc. 2).

Marmora *Phoeniciis litteris inscripta tria et triginta* e fundamentis murorum Citii eruta primus invenit Richardus Pocockius anno 1738 in Cypro insula degens, eorumque copiam fecit in *Description of the East*, London 1745. 4. Vol. II, tab. 33 ad pag. 213, cf. Vers. germ., quae Erlangae prodiit 1771, 4. pag. 309. Post eum nescio quo anno, sed ante 1750, Porterus de Thaxted, in comitatu Essexiensi medicus, Cyprum insulam lustrans, eosdem lapides vidit unumque (qui apud Pocockium secundus est) in Angliam secum transvexit, alios *viginti novem* denuo accurate descripsit: lapidem autem et apographa „ad suos quaeque lapides examinata“ in patriam redux *Carolo Gray* Armigero in manus tradidit, qui lapidem bibliothecae Bodlejanae legavit, ubi hodie asservatur. Apographa circa annum 1750 erant penes *Georgium Drake*, Collegii Balliolensis socium, cum cuius venia Io. Swinton, cui Drakius usum eorum concesserat, quinque eorum edidit (inscr. Cit. tab. 1. Philos Transactions T. 54 tab. 22 ad p. 429): reliqua ubi sint, ignoratur et metuendum est, ne perierint: quod eo magis dolendum est, quum ipsa etiam marmora (ut statim dicetur) destructa sint, plura autem Porteri apographa Pocockianis accuratiora esse videantur. En quae rescripserit Cel. Reay, a quo petieram, ut scrinia Oxoniensia hunc in finem perquireret: „I fear that Dr. Porters papers are irretrievably lost. There are no such belonging to the library of Balliol College, nor are they in Christ Church, as I was assured both by the Dean and Mr. Pusey. And I am sorry to add, that they are not in the Bodleyan. It appears by our donation book that G. Drake left to the Bodleyan some few books and coins. And there also appears in the same book C. Gray's donation of the stone; but nothing more. Drake died several years before Swinton, and I suspect, that the papers remained in Swinton's possession. I understand that at Swinton's death all his coins and books were sold: some coins indeed he sold himself. And I have no doubt that the papers, which You inquire about, were lost or destroyed and perhaps fell into the hands of those who knew nothing about them.“ Ipsa marmora *Beschîr*, turcicus Cypri praefectus ad aquaeductus aedificandi usus adhibuit circa annum 1749 (v. Chandler Marmora Oxoniensia, Oxonii 1763 fol. Syllab. II p. 9. Swinton inscr. Cit. p. 7. 8. Philos. Transactions XLIX p. 431), eorumque denuo exquirendorum pericula, quorum plura facta sunt, etiam a Niebuhrio (v. *Deutsches Museum* 1787 p. 300 sqq.), successu carnerunt: quae enim in ecclesia quadam Larnacensi repertae et ab eo editae sunt inscriptiones,

Digitized by Google

phoeniciae non sunt, fortasse armeniacae. Misit ex Niebuhrii schedis apographum earum, accuratius illud quidem quam quod in Museo editum est, *Iustus Olshausen* V. C., sed ista phoenicia non esse spoponderim.

Quum ad ipsos lapides aditus non pateat, Porterique apographa magnam partem aut delitescant aut perierint, multum sane interest scire, quae fides apographis Pocockianis, ex quibus unis pendemus, haberi possit. Quodammodo id iudicari potest ex inscriptione secunda, quae hodieque Oxonii superstes est, et ex quinque inscriptionum apographo Porteriano. Ex his autem apparet, Pocockium quidem non satis accurate singularum litterarum ductus imitatum esse, litterasque magis descripsisse quam religiose depinxisse, propterea litterarum similium (כ et נ, מ et ש, ד et ר) discrimina, nec non litterarum intervalla saepe neglexisse, ita ut in his legendis coniectura subinde opus sit (in inscr. 2 scripsit אנמ pro אנכ): sed mediocriter tamen ea descripta esse. Possunt propterea etiam plurima et legi et intelligi: in litterarum vero figuris ex his inscriptionibus in alphabeta recipiendis caute versandum est. Quo melius lectores lectionis diversitatem iudicare possint, praeter Pocockii tabulam etiam Porteri quinque apographa dedimus tab. 11. 12.

Interpretationem harum inscriptionum primus omnium tentavit Io. Swinton, qui primum duas explicare studuit in libro: *Inscriptiones Citieae*, Oxonii 1750. 4. (v. nos lib. I. §. 2), mox duas alias (no. 4 et 5), in libello rarissimo (exemplum eius in Brunsii bibliotheca vidi): *Inscriptiones Citieae s. in binas alias inscriptiones Phoenicias coniecturae.* Oxon. 1753, dein quattuor (no. 2. 4. 21. 23) in *Philos. Transactions* Vol. 54 p. 411—438, 1764, ubi paulo asperius respondetur ad Barthelemyi observationes (haud sane magni momenti) in „*Reflexions sur quelques monumens phéniciens*“ *Mémoires de l'acad.* XXX p. 407 sqq. Post eum permulti in *secunda* inscriptione Oxonii asservata desudarunt; pauci etiam reliquarum unam vel alteram explicandam susceperunt, ut Koppius, qui (*Bilder und Schr.* I, p. 200 sqq.) praeter *secundam tredecim* alias (no. 4. 5. 10. 12. 13. 17. 18. 21. 23. 24. 26. 29. 30.) tractat, et Hamakerus, qui (*Miscell. phoen.* p. 92 sqq.) easdem retractans in Koppium graviter invehitur, illius interpretationes ad unam omnes fere reiiciens. Neque id sine iure (idem fere nos iudicavimus, quanquam non eadem asperitate, in Jen. A. L. Z. 1820 no. 39, ubi nonnullae tractatae sunt): namque ne hoc quidem Koppius viderat, has inscriptiones praeter primam omnes esse sepulcrales et nomina propria hominum continere, contumelias adeo iactans in philologos, qui „nomina propria amarent in inscriptionibus, ut interpretandi negotio supersedere possent.“ Cui respondendum est, philologos talia legere, quia in lapidibus exstant, non quia faciliora sunt: faciliora autem esse nemo dicet, qui reputet, etiam nomina propria ad etymon suum revocanda esse, et nunquam interpretem de nomine proprio recte lecto certum esse posse, nisi probabile eius etymon indicaverit.

Etiam nos non omnes, nec omnia singularum verba explicare potuimus: sed plurimas tamen legere contigit, et ita quidem, ut in multis de nostra lectione satis

Digitized by Google

certi simus. *Hugius* V. Ven. interpretandi pericula olim promissa (v. *über den Mythos der alten Welt* p. 149) in publicum non emisit.

VIII.

CITIENSIS PRIMA

omnium difficillima est, de qua nemo, quod sciam, vel verbulum dicere ausus est: praeterea haud scio an omnium gravissima, utpote non sepulcralis et privata, sed publica, et quinque populorum regnorumque nomina continens, modo omnia recte legi et explicari possint. Quae equidem legisse mihi videar, paucis dicam: quae desunt suppleant, qui possint.

De prima sententia usque ad lin. 1 med., deque figuris latino M similibus, nihil definio: unum vocabulum satis perspicuum videtur ארמנתי (palatia mea?), cui simile reperitur lin. 2. Inde a lin. 1 med. sequuntur haec fere verba:

למלך למכית למלך לצכאד מלך לכתן
מלך ינן מלכתי כארמנ....

in quibus quinquies memoratur מלך *rex* sequente nomine populi cuiusdam. Videtur, ut ex sequentibus colligo, communibus horum quinque regum sumtibus templum Astartes exstructum vel dedicatum esse. In למלך ל lin. 1 (bis) primum ל est auctoris, posterius genitivi nota in his inscriptionibus frequentior, cf. אדן למכת עלם *dominus regni aeterni* Numid. 1 lin. 2 et quae ibi observavimus. Ex populorum nominibus unum intelligo כתן (כִּתִּין) *Citienses:* de reliquis viderint alii. Duplex enim difficultas, altera quae in scriptura depravata est, et altera, quae in nominum *ἐπιχωρίων* ignoratione, meas vires excedit, neque dicere ausim num omnes in Cypro quaerendi sint reges. Citienses autem regibus etiam nostrae inscriptionis tempore, pariter atque antiquo tempore paruisse (non senatui, ut volebat Hamak. p. 98 falsa Cit. 23 interpretatione nixus) ex nostro loco manifestum. מכית coniicere possis pro מלכית dictum, ינן *Jones* esse i. q. יונים.

In reliqua parte lin. 2 agnoscas haec verba:

על אמן חמת יאשאש

propter firmitatem moenia fundavit s. calcando constipavit, יאשאש a rad. אָשַׁשׁ, unde אֶשֶׁשׁ fundamentum.

Linea *tertia* extrema ita legi potest:

שמע אבת בבת ׳תילד בחי לעשתרת ישמען

qui exaudivit patres in templo ..... in templo meo Astartae aedificato exaudiat nos i. e. utinam numen, quod maioribus nostris in alio eoque vetusto templo adorantibus propitium fuit, etiam nobis in novo sacra facientibus propitium sit. Precum

Digitized by Google

exauditionis frequens in his titulis mentio est, v. no. 1. 3. Numid. 1—4. In verbo quarto numinis nomen latere videtur, de quo tamen nihil definiverim. *Mylittam* cogitare possis: Hamakerus תילד *Toladum* dixerit, sed non *Tholatham*, multo minus vero *Tholadum* unquam in Pantheo Carthaginensium fuisse vidimus (v. ad Athen. 1 et Carthag. 3).

Verbum quintum et sextum olim pronunciabam: בָּתֵּי לְעַשְׁתָּרִן (Lex. man. v. עשתרת), non improbante Hamakero Miscell. p. 179; iam malim ultimam litteram pingere 𐤇 pro 𐤋. In postremo vocabulo pro 𐤌𐤌 scribendum censeo 𐤌𐤍, cf. de eiusmodi Mem fracto Melit. 3, et prae ceteris inscr. Tugg. (no. 56) lin. 6 in voc. מסן et lin. 7 in מפעל. Ultima vero littera num est Mem finale? an Nun finale?

IX.

CITIENSIS SECUNDA SEU OXONIENSIS.

1. Post Pocockii apographum minus perfectum (cuius primarium vitium hoc est, quod primum verbum אנך ibi scribitur אנם) Oxoniensem lapidem primus accurate edidit Richardus Chandlerus, in opere: *Marmora Oxoniensia*, Oxonii 1763. fol. max. tab. 3 ad pag. 7, et paulo post (anno 1764) lapide iterum examinato Io. Swinton in *Philos. Transactions* Vol. 54, cuius delineationem iniquius reprehendit Koppius, quum revera nonnulla contineat Chandleriano exemplo accuratiora, ea autem quae ex coniectura addidit Swinton, ab iis, quae in lapide comparent, abunde distincta sint. Exemplum Chandlerianum repetierunt *Barthélemy* in *lettre à Olivieri* tab. 3 et in minus contractum *Akerbladius*, *Hugius*, *Tychsenius*, *Koppius*, parum accurate *Wihlius* libris §. 2 citandis.

In utroque autem illo exemplo, in Chandleriano et Swintoniano, nonnulla emendanda esse, et ipse intellexi 1820 Oxonii lapidem oculis usurpans, et nova me docuit delineatio, quam 1825 a se factam mihi misit *Hohlenbergius* meus. Ne vero temere testium ceterum fide dignorum auctoritatem deseruisse aut quicquam neglexisse viderer, quod ad exempli nostri integritatem conferre posset, quum Oxonium nuper denuo adire non liceret, Hohlenbergii exemplum *Reayo* V. Celeb. misi, ab eo petens, ut cum ipso lapide et modo memoratis apographis illud diligentissime compararet, comparationisque factae summam ad me scriberet. Fecit vir doctissimus, qua est erga me voluntate officiosa, mihique et ectypum misit et copiosos commentarios a se in nostrum usum descriptos, quibus et nostrae et Hohlenbergii observationes maximam partem confirmatae sunt.

Quae ad hoc marmor accuratissime describendum et priora eius apographa recte iudicanda pertinent, ad haec igitur capita revocare placuit:

a) Praecipua apographorum paullulum discordium causa in eo quaerenda est, quod litterarum lineae in hoc marmore, ut in aliis multis, alte insculptae in superficie lapidis latae crassaeque, in imo fossulae fundo graciles apparent, unde factum, ut,

Digitized by Google

quae in fundo simplex linea est, in superficie figuram duabus lineis circumscriptam referat (cf. v. c. Aleph initiale, Caph lin. 3 fin.). Quod ut semel luculento quodam exemplo ostendamus, duplicem dedimus delineationem, unam quae scalpri ductus in imo fundo imitaretur (litt. A), alteram quae litteras ita referret, ut in superficie lapidis comparent.

b) In omnibus apographis, et maxime quidem in Pocockiano, hoc titulo nostro singulare est et proprium, quod litterae rotundae *Ain*, *Beth*, *Daleth*, *Resch* superne apicatae sunt, quod peculiari cuidam calligraphico artificio tribuerunt Palaeographi omnes. Sed re accuratius considerata artis penuriae potius, quam nimiae arti hoc tribuendum videtur. Statuarius enim, cui figura in orbem exsculpenda multum negotii fecit, eam superne vel semiapertam reliquit, vel, quam primam apertam reliquerat (ט) scalpro denuo admoto clausit (ס), unde illae quasi apices ortae sunt. F. Reay in litteris ad me datis: „*In* ע, ב, ד, ר *what you call apices are evidently nothing more than accidental by the cutting. For the same reason they are mostly angular, from the difficulty of the cutting, and sometimes open on the top. The second* ב *for instance does not close at the top: but it is merely from the difficulty of managing the tool.*“

c) Eidem causae et minus dexterae artificis manui hoc tribuendum est, quod litterae illae, quae rotundae esse debebant, plerumque angulatae sunt et passim etiam infra et a latere auriculas s. caudulas habent a scalpro minus dextere admoto ortas, quas nos in exemplo B paucis significavimus, in maius fere auxit Swinton. Vide ע in אמתעשתרת lin. 3, quod apud Swintonem Daleth videri possit, et ita pleraque ע; ב in בן חר lin. 1, al.

d) De singulis quibusdam litteris praeterea observandum est: *Aleph* lin. 1 in אסר superne non recurvum: sed eadem littera in אנכ lin. 1 sinistrorsum flexa, lin. 2 in כלא dextrorsum. *Chet* lin. 1 bene pictum erat apud Swintonem, sed eiusdem figurae est ח lin. 2 in נחתי. Figura illa triangularis supremae costae quasi vicaria est, ut integra forma haec sit:

Caph littera aliquoties ita picta est, ut in exemplo A, et nonnisi hanc figuram refert , passim ita ut hanc , prius v. lin. 1. 3, posterius lin. 2 bis. Duo *Lamed* lin. 2. 3 et duo *Tau* lin. 3 superne uncis munita sunt, quae eodem modo comparent in Syracusanis A. B et in Panormitano B, a Chandlero et Sw. autem omissa sunt. Denique non negligendi sunt litterarum Aleph et Samech scapi subcrassi et quasi ventrosi, itidem in numis Syracusanis conspicui.

e) In *punctis* ponendis hoc praecipue peccatum est a Ch. et Sw., quod lin. 2 punctum omissum est inter ימנאת et על, quanquam iam Pocockius id recte posuerat; quae res fraudi fuit Hamakero, ut infra videbimus. F. Reay: „*in answer*

Digitized by Google

to Your question I reply, that there is a point after יקנאת *and before* על. *It is quite clear; and of the usual triangular form, as Your copy has it. Swinton omits it, so does Wihl, whose plate is quite ill done*" Praeterea omnia puncta triangularia sunt, et nullum est, quod lineae potius vel perpendicularis vel transversae formam habeat, ut in exemplo Chandleriano lin. 2 inter משכב et נחתי, quod in errorem induxit Koppium I p. 224: *Man wird bemerkt haben, wie genau in dieser Inschrift die Interpunction bewahrt ist, so dass nie ein Punkt den* statum constructum *stört. ..... Und doch sehen wir auf einmal etwas zwischen* משכב *und* נחתי .... *Als ich aber das Oxforder Facsimile zur Hand nahm, sah ich einen grossen Unterschied, und habe diesen auch in meiner zwar verkleinerten, aber genauen Zeichnung gewahrt.* — Reay: *The point after* משכב *is also triangular as usual. It is not however cut so deep as the others are.* Punctum autem h. l. recte se habet. Nam non ubique nomen regens et rectum copulari solent sine puncto interiecto, sed nonnisi in vocabulis minoribus, neque semper in his (cf. תאם בת lin. 3). Vide lib. I §. 38, 4).

Ceterum interpunctio huius tituli in eo sibi mire constat, quod post בן et ante sequens nomen proprium nunquam interpungitur, quanquam interpunctum est inter בת et תאם lin. 3, cuius rei causa haec esse videtur, quod בן cum sequente patris nomine quasi in unum nomen coaluit (בן יעקב nostro more *Jacobson*): בת non item. Non eadem constantia est in punctis exeunte versu ponendis: nam vers. 1 exeunte interpungitur, lin. 2 non item, quanquam verborum eadem est ratio (nisi forte occurres כלא vocabulum paulo minus esse).

f) In utroque exemplo, Chandleri et Swintonis, linearum longitudo iusto contractior est, in illo etiam lapidis facies iusto brevior. Ceterum superficies marmoris, cui litterae insculptae, bene laevigata, optime conservata, neque minimum vestigium laesionis, praeterquam in מ vocis משכב lin. 2, ita ut coniecturae locus relictus non sit. Reay: *I may add, that there is not the least appearance on the stone of imperfection, except that on the 2d line.*

2. Tot interpretes nacta est haec inscriptio, quot nulla alia. Quorum quidem primus erat Barthelemyus in *Mémoires de l'académie* XXX (anno 1758) p. 421, qui interpretationem suam ex apographo Pocockiano pendentem et graviter reprehensam a Swintone in *Philos. Transactions* Vol. 54. p. 411 sqq. (anno 1764) postea emendavit in *lettre à Mr. le Marquis d' Olivieri* 1766 novamque proposuit, quae talis est:

אנך עבדאסר בן עבדסם בן חר מצבת
לם בחיי יקנאת על משכב נחתי לעלם כלא
שתי לאמת עשתרת בת תאם בן עבדמלך

Ego Abdassar, filius Abdissemi, filius Chari s. *Hhuri — — — — in cubili requiei per seculum omne.* (Ego) *Astarte filia Thami, filii Abdmeleci posui* (hoc monumentum): reliqua enim, quae desunt, se interpretari posse negabat.

Swintonis interpretatio (in qua hoc prae ceteris vituperandum est, quod pro tribus ש in lapide conspicuis ex coniectura legit מ, ut sententiam exsculpat infelicissimam), quae

Digitized by Google

paucis indicata est apud *Chandlerum* l. c., fusius exposita in *Philosophical Transactions* l. c. ita se habet:

אנך עבדאסר בן עבדסמם בן חר מצבת
למב זדי כ שנאת עלם מכב-נחתי לעלם כלא
שתי לאמת-בם תרת בת תאם בן עבדמלך

Marmor Abdasari, filii Abdesusimi, filii Huri, lapis sepulchralis
Lembi, qui vixit vicenos annos seculi doloris (i. e. aetatis sive vitae infeliciter actae).
Descendunt in aeternum in carcerem
mortui (potius occisi) hi Amathuntis. Monumentum structura est domus (familiae)
Tami, filii Abdemeleci.

Utramque (Hugii enim interpretatio in eiusd. Erfindung der Buchstabenschrift. 1801 p. 28, Akerbladio non innotuerat) examinavit I. D. Akerbladius in libro: *Inscriptionis Phoeniciae Oxoniensis nova interpretatio.* Parisiis et Argentorati. Anno X i. e. 1802, cf. Silv. de Sacy Notice d'une dissertation de Mr. Akerblad. 1803, atque hanc novam dedit longe meliorem, in multis unice veram:

אנך עבדאסר בן עבדסמם בן חר מצבת
למבחי יסנאת על משכב נחתי לעלם כלא
שתי לאשתי עשתרת בת תאם בן עבדמלך

Ego *Abedasarus*, filius Abedsusami, filius Churi, monumentum
illi quae me vivente discessit a placido meo thalamo in aeternum
posui (nempe) uxori meae Astarti, filiae Taami, filii Abedmeleci.

quacum in plurimis consentiunt *O. G. Tychsenius* in Novis Actis Upsal. Vol. VII, et *Io. Sev. Vaterus* in Ephem. litt. Halensibus 1805, no. 177, uterque vero propior, quam Fabricyus, in Commentat. *de Io. Hyrcani hebraeo-samaritico numo Borgiani musei* (cf. Vaterum l. c.), ne de *Lichtensteinio* dicam (in tentamine palaeographiae assyrio-persicae 1803. pag. 156), cuius interpretatio (plura de optimi praeceptoris opere dicere, verecundia vetat) a vera tituli sententia longissime aberrat. Qui eam recentiori memoria vel retractarunt vel paucis attigerunt, *Bellermannus* (inscr. phoen. p. 10. 11), *Lorsbachius* (Jen. Allgem. Litt. Zeit. 1813 no. 222), *Koppius* (*Bilder und Schr.* I, p. 206 sqq.), *Eichhornius* (Götting. Gel. Anz. 1819, no 169), *Hamakerus* (Miscell. p. 94), *Wihlius* (de aliquot inscript. phoeniciis, Monach. 1831. p. 6 sqq.) in plerisque inter se et cum Akerbladio consentientes, de initio maxime secundae lineae in diversa abierunt. Quorum nonnulli, ut Koppius, Wihlius, quum priorum etiam interpretum pericula prolixius enarraverint, hos adeat, qui omnia et singula de singulis locis commenta, quae dies dudum delevit, scire cupiat. Ceterum quod Bellermannus l. c. etiam F. P. Bayerum in huius tituli interpretibus recenset, id errore nititur. Nos quidem ad ipsam interpretationem deproperamus.

3. Universum titulum, qui sepulcralis est ab Abdosiro marito Amathastoreth uxori positus, ita legimus:

Digitized by Google

אנך עבדאסר בן עבדססם בן חר מצבת
למבחיי יתן אתי(ו) על משכב נחתי לעלם כלא
שתי לאמתעשתרת בת תאם בן עבדמלך

Ego Abdosir, filius Abdsusimi, filius Hori (hunc) *cippum ei, quae per vitam meam consuevit mecum super cubili meo placido, in aevum omne posui, Amath-Astarthae, filiae Thomae, filii Abdmelechi,*

quo in sermone hoc minus expeditum videri possit et paene contortum, quod uxoris sepultae nomini laus eius et honorificae sepulturae caussa praemittitur, non postponitur. Sed id haud dubie agebat tituli auctor, ut a mariti superstitis nomine ordiretur titulus, in uxoris defunctae nomen exiret, eamque ob causam is, quae ad defunctae laudem pertinerent, nomini eius praeponebat.

אנך עבדאסר) אנך pro אָנֹכִי v. etiam Cit. 3; de nomine pr. עבדאסר ad Melit. 1, lin. 2.

בן עבדססם) recte Koppius hoc nomen proprium effert עַבְדְּסַכֵּם *servus equorum:* sed noli equos vulgares intelligere, ut conveniat cum nostro *Marschall, Marschalk.* Namque עבד post se requirit rem divino cultu prosequendam: est igitur *cultor equorum* Soli *sacrorum*, quorum cultum a Persis acceptum apud Hebraeos gentiles viguisse scimus 2 Reg. 23, 11, cf. Xenoph. Cyrop. 8, 3 §. 11. *Zend-Avesta* edit. Kleukeri II p. 264.

בן חר) pronuncio חֹר (*nobilis*) non, ut vulgo, חֵר (foramen, albus).

למבחיי) Primus haec recte interpretatus est Akerbladius: לְמִי בְּחַיַּי *ei* quae *per vitam meam*, post לם eliso י ex more Phoenicum consueto. מִי concise dictum est pro מִי אֲשֶׁר Ex. 32, 33. 2 Sam. 20, 11 h. l. fem. *ea quae*, cf. syr. ؟ ܠܟ Agrell suppl. synt. syr. p. 221, dat. ؟ ܠܟܝ p. 234. Relativi post מִי omissi in V. T. nullum exemplum novi: sed post מָה omittitur Iud. 9, 24: מָה רְאִיתֶם עָשִׂיתִי pro מָה אֲשֶׁר מָה. Similem rationem init *Koppius*, enuncians לְמָה בְּחַיַּי pro לָמָּה (coll. לְמַבָּרִאשֹׁנָה 1 Par. 15, 13, מִלָּכֶם Jes. 3, 15), quanquam is sententiam male explicuit. Facilis enim sensus prodibat hac ratione adoptata: *propterea quod in vita mea consuevit mecum* cet. cf. לְמַבָּרִאשֹׁנָה *quia prius* 1 Par. l. c., quam sequitur etiam Hamakerus, sed Akerbladii tamen ratio praeferenda. — בחיי (בְּחַיַּי) *per vitam meam*, durante vita mea Ps. 63, 5. 104, 33. 146, 2, quod non urgendum et de tempore inde a nuptiis intelligendum est. — Barthelemyi coniecturam a Swintone iam explosam et ab ipso Barthelemyo mox abiectam, pro לם legendum esse שלם, a Wihlio nuper revocatam esse miror. In lapide enim egregie servato ne minimum quidem litterae evanidae vestigium superest (v. pag. 128), adeoque universa huius monumenti oeconomia huic coniecturae adversatur. Praeterea fallitur Wihlius eam sententiam Akerbladio quoque tribuens, qui a talibus longissime abest.

Digitized by Google

יטנאת) Difficillima totius tituli verba. Ac priores quidem interpretes in ea littera, quam nos ט esse posuimus, definienda fluctuantes, vel ק eam esse putabant, ut Barthelemyus, Fabricyus, et de Sacyus, vel ש, ut Swinton et Hugius, vel ף, ut Akerbladius et Bellermannus; quorum quidem coniecturas mittimus ad unam omnes, quum ea littera sine ulla dubitatione *Tet* sit. Quod enim probabili coniectura assecutus erat *Vaterus* atque *Tychsenius*, et alia omnia arcessens demonstrare conatur Koppius l. c. p. 217, id nunc luculenter probari potest ex monumentis non paucis eandem figuram repraesentantibus (v. lib. I §. 20). Sed utut certa est lectio, non minus difficilis tamen est interpretatio, in qua alii alias rationes ingressi sunt. Ac 1) quidem Tychsenius et Koppius יטנאת dispescunt in יט נאת, quod ille legit יֵט נאוֹת *extendant amoenitates* (sc. tumuli, quomodo reddiderat מצבת), hic יֵט נָאת *expandet habitationem* „sie schlägt ihre Wohnung auf.“ Sed ne uberius exponam, quid in utraque hac interpretatione desideretur et quantopere laboret talis sententia, unum monuisse sufficiat, litteras יטנאת, quae puncto discretae non sunt, in duo vocabula dispesci non posse, nisi forte alterum particula sit cum nomine verbove arctius iuncta (cf. עלמשכב) aut duo verba arctissime copulata sint, ut in בנעבדסם, בנחר. Eadem interpunctionis ratio obstat 2) lectioni et interpretationi ab Hamakero propositae, qui adhibito sequente על litteras hunc in modum copulat: יֹטְנָא תַעַל *consuescens ascendere* (constructione asyndeta). Litterae enim על . יטנאת in autographo, ut vidimus, puncto dirimuntur, quod omiserunt Chandlerus (nimiis ille laudibus cumulatus a Koppio, quanquam hic lapidem non viderat) et Swinton. 3) *Wihlio* יטן את scriptum videtur (ט et ת permutatis) pro יטן אֹת *dabit signum* i. e. testimonium, hac sententia: *monumentum pacis* (מצבת שלם) *in vita mea dabit testimonium de cubiculo quietis meae mundo* (לעלם) *ut uxori meae* cet. Sed de illo ipso monumento *pacis* (שלם) nihil prorsus exstare in hoc monumento, iam diximus: et quis sermonis hebraei gnarus ferat: לעלם כלאשתי *mundo ut uxori meae* pro: *et mundo et uxori meae?* 4) Proxime ad verum mihi accessisse videntur *I. S. Vaterus* et *Eichhornius* ll. cc., quorum ille verba: יטנאת על משכב נחתי reddit: *commorata est super cubili quietis meae*, יטנאת pro יטנת a وطن consuevit, commoratus est in aliquo loco sq. ب; hic (qui illius interpretationem ignorasse videtur) יטנאת dispescit in יָטַן אִתִּ pro יָטַן אִתִּי *commorata est mecum*, quod omnino praeferendum est, quodque nos etiam sequi non dubitamus. Ut a verbo ordiamur eiusque grammatica ratione, יטן appellari possit יָטַן (3 praet. masc.), יֵטֵן (3 fut. masc.) et יֹטֵן (part. Poël). Primum illud praefert Eichhornius, talem in sexu designando licentiam multis exemplis comprobari posse affirmans: quod accuratius ita definiendum est, Hebraeos verbum, quod refertur ad substantivum femininum, nonnunquam etiam forma masculina utpote simpliciore ponere, si modo verbum paulo longius a substantivo abest Jes. 33, 9. 14, 9, ut in sententiis relativis Iob. 6, 10: בְּחִילָה לֹא חָמַל *in dolore* (qui) *non parcit*, pro לֹא חָמְלָה. Vers. 20. 20, 26: cuius generis exempla etiam in Phoeniciis reperiuntur, velut Cit. 23: יסד : . מצבת (pro יסדה) et Tripol. 1: רשת מלכת רם קם עלם *principatus imperii Romani stat in aeternum*, pro קָמָה. Ferri igitur potest יטן: fortasse tamen יטנאת

Digitized by Google

etiam per crasin dictum est pro יְמָנָהּ אִתִּי vel יִמְנָא אִתִּי (Phoenices enim more Syrorum frequentant א feminini generis p. 58) cf. אַרְאֶלָּם Jes. 33, 7 ex sententia Hebraeorum dictum pro אֶרְאֶה לָּם, ישת Gen. 23, 8 cod. Sam. pro יֵשׁ אֵת, לכן Ex. 10, 11 ibid. pro לֹא כֵן. Quod ad significationem attinet, fortasse aegre ferat aliquis, linguae arabicae usum arcessi: quod idem tamen in V. T. interpretando faciendum est, ubicunque linguae hebraeae usus non sufficit. Statuimus igitur cum Eichhornio, Vatero, Hamakero, ימן idem valuisse quod وطن consuevit, commoratus est in loco, unde وَطَنٌ, مَوْطِنٌ locus, ubi quis familiariter agit, habitatio, illudque ipsum verbum adeo de thori consuetudine usurpatum esse animadvertimus. Certe observante Castello (p. 933) استوطن Gen. 30, 20 ab Arabe Samaritano Pentateuchi interprete positum est pro יִזְבְּלֵנִי *cohabitabit mecum*, *consuescet mecum* (maritus). Quod denique את effertur אִתִּי, id vulgari quidem consuetudini, ex qua ־י suffixi omitti non solet, repugnat, sed excusatur simili exemplo Cit. 29, lin. 2, praesertim quum in litteris או sive ponendis sive omittendis sibi non ubique constent Phoenices (v. §. 40).

על משכב נחתי) *super cubili quietis meae*, ex noto linguae idiomate *super cubili* s. lecto coniugali meo *quieto*, qua locutione significatur concordia coniugalis. Quies enim h. l. opponitur rixis vitam coniugalem turbantibus, cf. Eccl. 4, 6. Cf. simile elogium mulieris in inscr. Carpentoractensi, no. 71.

לעלם כלא) lege לְעָלָם כָּלָא idque pro לְעָלָם כֻּלָּהּ, pro vulgari כָּל־הָעָלָם, cf. יִשְׂרָאֵל כֻּלָּהּ pr. *Israël*, *is totus* pro כָּל־יִשְׂרָאֵל 2 Sam. 2, 9, מְצָרִים כֻּלָּהּ Ex. 29, 2, חֵבֶל כֻּלָּהּ Iob. 34, 13 et semel אֱדֹם כֻּלָּהּ pro כָּלָה Exech. 36, 5, ubi eandem habes orthographiam atque h. l. Hamakerus legit כְּלָא ex Aramaismo, cf. שְׁלָמָא כְלָא *pax omnis* Esr. 5, 7, sed non est quod ad Chaldaismum confugias, ubi linguae cananaeae usus idem praebet. Multo autem minus probandum, quod Koppius legit; לעלם כָּלָא שתי *ad secula inclusus repositus sum*, et Eichhornius: לְעָלַם כָּלָא *in mundo carceris* i. e. in mundo, qui carceri similis est (cf. Cit. 29, 1. 2).

שתי לאמתעשתרת) i. e. more hebraeo: שִׁפְחַת לַאֲמַתְעַשְׁתָּרֶת. אמת־עשתרת *serva Astartes* respondet nomini masculo עבדעשתרת Abdastartes, contr. Bodostor. Cum eodem nomine אמת compositum est *Ampsigura* (v. lib. 4, c. 2), et arab. أمة الحبيب *serva Dilecti* i. e. Muhammedis, quod nomen gessit uxor Behaderi Schach. Quod Akerbladius pro לאמת legit לאשת(י) *uxori meae*, non fert tertiae litterae figura, quae scapo longo munita manifestum est *Mem*. Quod vero nuper scripsit *Dureau de la Malle* (Recherches sur la topographie de Carthage p. 174) de Tanaïti agens: „Ce peut être un des noms multiples d'Astarté, qui étoit à la fois la Lune et la Nature. M. Hamaker (Miscell. Phoen. p. 96) traduit ainsi une inscription punique trouvée par Humbert près de Malqua sur le sol de Byrsa: Ego Ebed-Osir .... cippum in tempus perpetuum posui Amath (LEG. THANATH) Astartae" id satis mirari non possumus. Namque *primum* nemo non scit, hunc lapidem non Carthagine neque ab Humberto, sed a Pocockio Citii in Cypro repertum esse. *Deinde* perpendisse non videtur vir eruditus, *Amath* et *Tanath* latinis litteris scripta sibi quidem similia esse, at non latinum esse titulum, sed

Digitized by Google

phoenicium, in qua scriptura אמת et תנת nullo modo confundi poterant: coniecturae etiam omnino locum non esse, quum litterae phoeniciae in lapide hodieque superstite manifestae sint et luculentae. *Denique* scriptor modo memoratus pro *Amath* reponens *Tanath* existimasse debet, Amath-Astoreth fuisse numen muliebre, cui hic cippus dedicatus sit. Sed, si modo integrum titulum perlegisset, facile intellexisset, eam mulierem mortalem, Ebdosiri uxorem fuisse, cui nomen *Amath-Astoreth* (serva Astartes) bene convenit, *Tanath-Astoreth* minime aptum esset.

תְּאוֹם (בת תְּאוֹם בן עַבְדְּמֶלֶךְ, etiam Cit. 18 obvium, est nomen pervulgatum *Θωμᾶς*, syr. ܬܐܘܡܐ, quod Graeci reddunt *Δίδυμος*, Romani *Gemellus*. עבדמלך Koppius pronuntiat עבדמֶלֶךְ (servus Molochi), post עבד in nominibus propriis desiderans numinis nomen: malim cum Akerbladio עבדמֶלֶךְ (quod est n. pr. Aethiopis in aula Zedekiae Jer. 38, 7. 39, 18), ita tamen ut מֶלֶךְ *Baal* s. *Hercules* sit, ut arab. عبد المالك etiam est *rex summi regis* s. Dei. Cf. ברמלך.

X.

CITIENSIS TERTIA.

Interpretem hucusque nacta est nullum. Tu lege:

מצבת א׳ בחאיי חנאל אנך
ונחם בן נצאינה ומנן אבי
לעבדלשלמם בן בראשמן סלמנ(י)

Cippum lapideum me vivente (posuimus) Hanniel ego
et Nahum filius Nizajeni et Manon pater meus
Abd-Schelomino, filio Bar-Esmuni, Salaminio.

מצבת א׳) Figura ab initio ad litteras non pertinet, v. pag. 56. א post מצבת mihi sigla esse videtur pro אבן: status enim emphatici in א exeuntis (quem cogitare possis) in appellativis nullum vestigium est in Phoeniciis.

בחאיי) Litterae ב nonnisi vestigium superest, ita restituendum . Scribitur autem בחאיי pro vulgari בחיי (בְּחַיַּי) Cit. 2 lin. 3, et בחים Cit. 23, 1. Athen. 1, 1, cum matre lectionis ad exprimendam vocalem *a* in Phoeniciis longe rarissima (p. 57).

חנאל אנך) ante ח in חנאל fortasse scriptum erat ל, cuius aliquod vestigium superesse videtur. Hoc posito construendum: *Cippus* ... (positus) *a me Hanniele.* ל esset Lamed auctoris, quod etiam Cit. 8. 23. 33 praeponitur ei, qui lapidem posuit. Pronomen separatum אנך (אָנֹכִי cf. Cit. 2, 1) post ל neminem morabitur, dummodo memor sit structurae in Hebraeis tritae: וְלִשֵׁת גַּם הוּא *et Setho etiam ipsi* Gen. 4, 26 cf. 10, 21. — חנאל est חַנִיאֵל Hebraeorum Num. 34, 23. 1 Par. 7, 39. Habent enim Phoenices quoque nomina propria in אל exeuntia, quanquam אל (Deus) iis est Baal.

Digitized by Google

ונַחֻם בן נצאינה) נחם (נַחוּם) h. l. et Cit. 7 est idem nomen, quod gessit propheta hebraeus: gessit etiam vir Aradius ap. Boeckh. Corp. inscr. (v. lib. IV, c. 3). Nomen patris et lectu et explicatu difficilius est. Sed altera littera non potest non Zade esse. *Florem vini* explicare possis hoc nomen, compositum ex נץ flos, א art. et ינה (יֵנָה) i. q. יַיִן vinum.

וּמָנֹן אָבִי) ita pronuncio nomen proprium, coll. מָנוֹן soboles, proles Prov. 29, 21. Simile est נון, quod gessit pater Josuae.

לעבדלשלמם בן בדאשמן) In prima figura duas litteras ligatas inesse suspicor, לע, in sexta לש, unde nomen oritur significans *servum amicorum*, sive pronunciabis עבד לִשְׁלֹמִים coll. שָׁלוֹם amicus Ps. 55, 21, sive עבד לִשְׁלֵמִים coll. שָׁלֵם amicitiam colens Gen. 34, 21. עֶבֶד in hoc nomine construitur sq. לְ, ut Gen. 40, 12 cf. ad Numid. 1, 2. Integrum nomen autem hominem designat erga hospites et amicos officiosum. בדאשמן pro pleniore עבדאשמן (servus Aesculapii) Cit. 12. Carth. 2, cf. בדעשתרת pro עבדעשתרת (servus Astartes) Carth. 1. De nomine אשמן v. ad Cit. 5.

סלמן) Samech latere videtur in duobus signis fortasse ita restituendis 𐤎: sequuntur litterae ligatae מל. Integrum nomen fortasse est סַלְמִנִי *Salaminius* ex Cypro.

XI.

CITIENSIS QUARTA.

Tractarunt eam *Barthélemy* in *Mémoires de l'acad.* T. XXX. *Swinton* in *Philos. Transact.* T. 49 p. 432 (qui titulum ex Porteri apographo dedit). *Koppius* l. c. p. 247. *Hamakerus* p. 104, qui omnes consentiunt, ita legendum esse:

תאראאמת
מלכיתן
רבחרש

(nisi quod Swinton pro חרש mavult חרן, praeter omnem rationem): quod tamen pervario modo explicant. Ac *Swinton* quidem: *ductor Amathuntis*, *rex Citii* (pro מלך כיתן), *princeps Ceryniae*, quo nil a linguae rationibus alienius; *Koppius:* תאר אאמת מלכיתן רב חרש „*das wahre Bild Malkithan, colossalisch ausgehauen*"; *Hamakerus:* תְּאֹרָא אֲמַת מֹלֶכְיִתֵּן רַב חֹרֶשׁ *Theora*, *serva Molech-jitteni*, *principis Choreschi* (Curii?).

Equidem vulgarem verborum lectionem hunc in modum explicaverim:

תאר אאמת	*Imago vera*
מלכיתן	*Melch-jitteni* (a Rege dati)
רב חרש	*ἀρχιτέκτονος.*

cum Koppio statuens, haec verba subscripta fuisse imagini mulieris defunctae, cf. inscr. 7. 60. 71, et ad inscriptionis colorem inscriptionem persico-graecam in Nakschi-Rustam repertam: *τὸ πρόςωπον τούτο Μασδάσνον υἱοῦ θεῶν ἐκ γένους Ἀναριάνων κ. τ. λ.* (*de Sacy mémoires sur diverses antiquités de la Perse* pl. 1) et *τοῦτο τὸ πρόςωπον Διὸς θεοῦ* (ibid. p. 107). Sed haud scio an lin. 1 litt. 6, cuius scapus in apographo Pocockiano brevior est quam *Mem* litterae lin. 2, potius *Schin* sit (v. pag. 46 no. 5. 6), quo posito

Digitized by Google

(solent enim apographa, et maxime quidem Porteriana, in his litteris distinguendis parum accurata esse) ita legendum esset:

תארא אשת	*Theora uxor*
מלכיתן	*Melech-jitteni*
רב חרש	*ἀρχιτέκτονος.*

De utriusque nominis proprii forma (sive תְּאֹרָא sive תָּאֳרָא; sive מֶלֶכְיִתֵּן, sive מֹלֶכְיִתֵּן) non disputo: sed רַב חָרָשׁ non dubito esse *ἀρχιτέκτονα*, cui ad amussim respondent duo verba phoenicia רַב חָרָשׁ in appositione cogitanda, ut רַב מַג *princeps magus* Jer. 39, 3, רַב סָרִיס *princeps eunuchus* 2 Reg. 18, 14, cf. רַבְשָׁקֶה (princeps pincerna) ibid. Jes. 36, 2. Hebraeorum autem רב Alexandrinus interpres persaepe reddit *ἀρχι—*, ut רב סריסים *ἀρχιευνοῦχος* Dan. 1, 3 sqq., רב טבחים *ἀρχιμάγειρος* Jer. 39, 9 et saepe, חרש constanter reddunt *τέκτων* (v. Trommii concord. II p. 525), semel *ἀρχιτέκτων* Jes. 3, 2. Opifices autem in his lapidibus saepius memorantur, ut Cit. 7 et Carthag. 9, ipsum חרש recurrit Cit. 10. Fabris autem et lignariis et aerariis non poterat non abundare Cyprus, quam ligno ad aedificandas naves metallisque feracissimam fuisse constat, v. *Meursii Cyprum* p. 9 sqq. — Ceterum quod Hartmannus (vit. Tychsen. II, p. 560) finem inscriptionis mutilum esse putat, id plane de nihilo est: et minus etiam intelligitur, cur medelam ei afferendam mysterii instar tacere velit. „*Der Schluss scheint einige Ergänzungen zu erheischen, welche ich aber hier nicht näher bezeichnen darf.*“

XII.

CITIENSIS QUINTA.

Tractavit eam *Swinton*, inscr. Cit. (I) p. 32 sqq. eiusque apographum Porterianum dedit tab. I, in quo deest figura Zade similis in cacumine tituli, quam pro מצבת *cippus* scriptam esse coniicias. Litteras recte legit Swinton:

לאשמן	*Esmuno*
בן אבע	*filio Abae*

in quo unum displicet n. pr. *Aba* quod etymo careret. Mihi duplex in mentem venit medela. Una est, quod אבע scriptum sit pro אבעל, sive per compendium, sive quod ל margini proximum evanuerat et describentis aciem propterea effugit. אבעל efferri possit אִיבַעַל, sive hoc interpretaberis *terra Baalis*, sive pro אבי בעל *pater Baalis* dictum existimabis, ut אִי עֶזֶר Num. 26, 30 et אִי עֶזְרִי ibid. pro אֲבִי עֶזֶר, אֲבִי עֶזְרִי Jos. 17, 2. Iud. 6, 11. 24. Ferri etiam possit אַבַּעַל i. q. הַבַּעַל *Baal* ellipt. pro עבדבעל, qua de re statim agetur. — Ex altera coniectura אבע per compendium scriptum esse suspiceris (quidni enim Phoenices quoque nomina propria ex parte per compendium scripsisse statuamus, pariter atque Graecos et Romanos?) pro אבעליון *pater Supremi* (Baalis) vel אבעלינים *pater Superorum*, cf. hebr. אֲבִיָּהוּ, אֲבִיאֵל, phoen. *Abibal* (אֲבִי בַעַל) et *Abdalonim* עבדעלינים. Ipsum nomen nostrum habes in secta *Abeloniorum*, Christianorum Punicorum, quos memorat Augustinus Opp. T. VIII p. 8, cuius nomen אבעלינים (singulari numero אבעליני) scribendum et *Patris Supremi cultores* q. d.

Digitized by Google

Hypsistarios explicandum esse putaverim. — Nomen אשמן (אֶשְׁמֵן), quod alibi numinis est, h. l. virum designat ex nota veterum consuetudine qua ipsas deorum appellationes per ellipsin vocabuli עבד ad mortales transferunt. Ita idem ille rex Tyriorum, qui proprie *Abdalonimus* (עבדעלינים servus Superorum) appellatur, brevius *Alonimus* dicitur (v. lib. IV cap. 3), aliaque virorum nomina, ut *Aserimus* (אֲשֵׁרִים), *Astartus* (עשתרת), *Astarimus* (עַשְׁתָּרִים), *Bocchar* (i. e. מעקר Mochar, Hercules), חַנָּא Carthag. 5 deorum nomina gerunt per ellipsin pro עבדאשרים, עבדעשתרת, עבדעשתרים, עבדמעקר, עבדחנא (Carth. 9), atque אשמן quod viri nomen est h. l. et Cit. 22, dicitur pro pleniore עבדאשמן (cultor Esmuni) Cit. 12. Carth. 2. 8. 9, et בד אשמן Cit. 3. Esmunum autem deum a Phoenicibus impensius cultum esse, testantur etiam alia multa nomina virorum cum eo composita, velut נצב־אשמן (columna Esmuni) Cit. 33, אשמניתן (quem Esmûn dat) Carth. 8, אשמנחן (quem Esmûn donavit) Cit. 21, אשמנעיר (quem Esmûn excitavit) Cit. 16. 17. De Esmuno autem, Phoenicum numine, quod graece *Ἀσκλήπιον* nuncupant, nobilissimus est locus Damascii apud Phot. cod. 242 p. 573 ed. Hoeschel: *ὅτι ὁ ἐν Βηρυτῷ, φησίν, Ἀσκληπιὸς οὐκ ἔστιν Ἕλλην οὐδὲ Αἰγύπτιος, ἀλλά τις ἐπιχώριος Φοίνιξ. Σαδύκῳ γὰρ ἐγένοντο παῖδες, οὓς Διοσκόρους ἑρμηνεύουσι καὶ Καβείρους. ὄγδοος δὲ ἐγένετο ἐπὶ τούτοις ὁ Ἐσμοῦνος, ὃν Ἀσκληπιὸν ἑρμηνεύουσιν. οὗτος κάλλιστος ὢν θέαν, καὶ νεανίας ἰδεῖν ἀξιάγαστος, ἐρώμενος γέγονεν, ὥς φησιν ὁ μῦθος, Ἀστρονόης* (Astartes, ut recte Seldenus de Diis Syris p. 261) *θεοῦ φοινίσσης, μητρὸς θεῶν· εἰωθώς τε κυνηγετεῖν ἐν ταῖςδε ταῖς νάπαις, ἐπειδὴ ἐθεάσατο τὴν θεὸν αὐτὸν ἐκκυνηγετοῦσαν καὶ φεύγοντα ἐπιδιώκουσαν, καὶ ἤδη καταληψομένην, ἀποτέμνει πελέκει τὴν αὐτὸς αὑτοῦ παιδοσπόρον φύσιν· ἡ δὲ τῷ πάθει περιαλγήσασα καὶ παιᾶνα καλέσασα τὸν νεανίσκον, τῇ τὲ ζωογόνῳ θερμῇ ἀναζωπυρήσασα· θεὸν ἐποίησεν, Ἐσμοῦνον ὑπὸ Φοινίκων ὠνομασμένον ἐπι τῇ θέρμῇ τῆς ζωῆς. οἱ δὲ τὸν Ἔσμουνον ὄγδοον ἀξιοῦσιν ἑρμηνεύειν, ὅτι ὄγδοος ἦν τῷ Σαδύκῳ παῖς, ἐν σκότῳ διωλυγίῳ πολὺ φῶς ἀνάψας.* Quicquid iudicabis de hoc mytho, prae ceteris memorabile videtur, quod numinibus Phoenicum domesticis non adventiciis Esmunum annumerat Damascius ipse Syrus et patriarum religionum peritissimus, dein quod duplicem de nominis origine sententiam circumferri narrat. Atque posterior quidem, qua אשמן idem censetur atque שְׁמִינִי *octavus*, commendari videtur etiam verbis Philonis Byblii ap. Euseb. praep. evang. 1 p. 39 ed. Colon. *Ταῦτα δέ, φησι, πρῶτοι πάντων ὑπεμνηματίσαντο οἱ ἑπτὰ Συδὲκ παῖδες Κάβειροι, καὶ ὄγδοος αὐτῶν ἀδελφὸς Ἀσκληπιὸς, ὡς αὐτοῖς ἀνετείλατο θεὸς Τάαυτος.* Attamen propter insignem religionum phoeniciarum et aegyptiarum necessitudinem (v. infra ad Carthag. 3), quam in hac ipsa fabula significat Philo Byblius, neque mythi neque nominis primam originem in Phoenicia quaesiverim: immo placet Jablonskii sententia (Panth. Aegypt. P. I. lib. 2 c. 7 §. 11—14), qui Esmûnum Phoenicum haud diversum esse existimat a ϣⲙⲟⲩⲛ Aegyptiorum i. e. Pane, generationis numine, quanquam in eo fallitur, quod huic nomini aegyptio *octavi* significatum tribuit. Videtur potius ϣⲙⲟⲩⲛ et ϣⲙⲓⲛ (quae posterior vulgaris eius numinis appellatio est), ut bene animadvertit Champollion (l'Égypte sous les Pharaons I, p. 260 sqq. 291 sqq. T. II. p. 128), descendere a radice quadam aegyptiaca ϣⲙⲓⲙ, ϣⲙⲟⲙ i. q. ϧⲙⲟⲙ, ϧⲙⲓⲙ *calefieri, incalescere* (cf. *Χέμμις*,

Digitized by Google

[illegible] et [illegible] *Panopolis*, [illegible] *Hermopolis Magna*, [illegible] *Meander*), quod quidem etymon et generationis numini egregie conveniret et Damascii de eius origine opinionem confirmaret. Magis certe hoc placet, quam quod Hamakerus (Miscell. p. 6) Damascium putat אשמן solvisse in אש מני *πῦρ τῆς μοίρας* idque liberius extulisse *ἡ θέρμη τῆς ζωῆς*. Ceterum quomodo ipsi Phoenices, recentiores certe, Aesculapii sui naturam allegorice explicuerint, ex Pausaniae verbis (Achaic. cap. 23) intelligitur: *ἐν τούτῳ τοῦ Ἀσκληπιοῦ τῷ ἱερῷ* (sc. in Aegiensi) *εἰς ἀντιλογίαν ἀφίκετο ἀνήρ μοι Σιδόνιος, ὃς ἐγνωκέναι τὰ ἐς τὸ θεῖον ἔφασκε Φοίνικας καὶ τἆλλα Ἑλλήνων βέλτιον, καὶ δὴ καὶ Ἀσκληπιῷ πατέρα μὲν σφᾶς Ἀπόλλωνα ἐπιφημίζειν, θνητὴν δὲ γυναῖκα οὐδεμίαν μητέρα· Ἀσκληπιὸν μὲν γὰρ ἀέρα γένει τε ἀνθρώπων εἶναι καὶ πᾶσιν ὁμοίως ζῴοις ἐπιτήδειον πρὸς ὑγίειαν, Ἀπόλλωνα δὲ ἥλιον, καὶ αὐτὸν ὀρθότατα Ἀσκληπιῷ πατέρα ἐπονομάζεσθαι, ὅτι ἐς τὸ ἀρμόζον ταῖς ὥραις ποιούμενος ὁ ἥλιος τὸν δρόμον μεταδίδωσι τῷ ἀέρι ὑγιείας.* Apparet ex his, etiam Phoenices aliquam inter Aesculapii et Solis naturam statuisse necessitudinem; quod vero inde effecisse sibi visi sunt Muenterus (Religion der Carthager p. 92) et Hamakerus (Miscell. p. 5), Apollinem Ismenium (*Ἰσμήνιον*) Thebanorum proprie *Esmunium* esse, non ab Ismeno dictum, Boeotiae flumine in cuius littore Apollinis templum erat, id sobriis rei arbitris vix et ne vix quidem persuadebunt. De Aesculapii templo Carthaginensi, tum splendidissimo tum ditissimo in ipsa acropoli sito v. Strabo XVII c. 14. Appian. Pun. c. 81, cf. Münter l. c. p. 93 sqq. Punici autem nominis *Esmûn* אֶשְׁמֵן aliud quoddam vestigium habebis infra lib. IV, cap. 3 in nomine plantae *Astresmunim* i. e. חציר אשמני *herba Aesculapica*.

XIII.

CITIENSIS SEXTA.

Fortasse mutila est. Quae adsunt legi possunt: לבן אחנא. Primam enim litteram, quae Nun videtur, Lamed esse debere, sententia iubet communisque inscriptionum color: in quinta dextram partem Chet litteras agnoscas. בן אחנא *Ben-Achina* (filius fratris nostri) n. pr. esse potest simile hebraeo אָחָב *Ahabus* pro אַחִיאָב (frater patris); quanquam offendas in suffixo arab. נא pro נו.

XIV.

CITIENSIS SEPTIMA,

pariter atque sexta, octava, decima, undecima, a superioribus interpretibus intacta est. Equidem lin. 1 agnoscere mihi videor שנת (anno), sequente monadis signo. Quae sequuntur lego:

רח עבדך
עש נחם א
חשב

Digitized by Google

quae hebraeo more et sine compendiis ita scribas

רָח עַבְדְּךָ עֶבֶד עֶלְיוֹנִים נַחֻם אַחֹשֵׁב i. e.

(anno ....) *respiravit a labore* i. e. vita functus est *servus tuus, servus Superorum* i. e. vir pius, *Nahumus textor.*

רח (רָח) respondet arabico رَاحَ *quievit* (pr. respiravit a labore) IV. *respiravit, spiritum duxit*, it. *mortuus est homo.* X. *quietem invenit, quievit.* In V. T. verbum רוּחַ in Kal non reperitur, sed similiter usurpant cognatum רָוַח fut. יִרְוַח לִי Iob. 32, 20 respiro, recreor.

עבדך *servus tuus* (o Baal), locutio consueta, qua non solum se ipsos designant titulorum auctores (Melit. 1 vide p. 98), sed defuncti etiam a filiis et nepotibus designantur (inscr. 60), ut Hebraei etiam absentibus, quos patronorum favori commendare volunt, עבדך apponunt. Gen. 44, 27: וַיֹּאמֶר עַבְדְּךָ אָבִי אֵלֵינוּ. 30, 31. 32, 20.

עע compendia scribendi esse, vel ex eo apparet, quod duo Ain in eodem vocabulo se excipientia non fert Hebraismus, nedum vocabulum habet his solis litteris constans (quum praecedens עבדך et sequens נחם certae lectionis sint). Quum ע saepe pro עבד, עבדך legatur (pag. 54), haud scio an עע sit עבד עלינים *servus Superorum*, pius Deorum cultor, neque miraberis in his titulis cumulatiores formulas pietatem defuncti celebrantes.

De n. pr. נַחֻם v. Cit. 3, חֹשֵׁב autem et machinarum bellicarum *artificem* 2 Par. 26, 15 et *textorem artificiosum, plumarium, polymitarium* designat (v. Thes. ling. hebr. I, p. 531 B), quod quidem posterius, tanquam usitatius praetulerim. In Mem littera linea media directa omissa est, ut Numid. 4, 3 in כמן, cf. pag. 36.

XV.

CITIENSIS OCTAVA

ita legenda videtur:

נצ׳ לאש י׳ חן	*Cippus viro consuli Chan-*
אאשמן. ל חכ	*Esmuno* (Asclepiodoro) *a Cha-*
מדיחילא בן	*cam-di-chaila, filio*
שלשל וסנס	*Salsal, et Senaso,*
ש׳ חמש	*principe Quinquevirorum.*

quod sine scribendi compendiis et additis vocalibus more Hebraeorum scribas:

נְצִיב לְאִישׁ יֹעֵץ חַן־אַאֶשְׁמֻן לַחֲכַם־דִּי־חַיְלָא בֶן שַׁלְשַׁל וסנס שַׂר חָמֵשׁ

Sed singula iam vindicanda. נצ׳ לאש־י׳) נץ pro נציב nihil difficultatis habet. Quod sequitur signum ה litterae simillimum est (p. 25). Sed neque h. l., neque Cit. 15, 1. 29, 1. 33, 1, ubi idem signum excipit vocabula חַג *refugium*, מצבת et מ׳ pro מצבת, ה sensum commodum praebet. Contra sententia tantum non flagitat *Lamed* quapropter in lapide scriptum suspicor ϟ *Lamed* addito in cacumine apice, qualem sed dextrorsum flexum Lamed habet Cit. 2 lin 3.

Digitized by Google

Litterae אשי (nam tertia littera h. l. et lin. 3 non alia esse potest atque Jod) iunctim lectae essent אִישִׁי *vir* s. *maritus meus* et cippum a vidua positum designarent. At non a muliere, sed a viro, id monumentum positum esse, ex sequentibus apparet. Videtur igitur י scripturae compendium esse pro יגע *fessus, senectute pressus* (v. Tripol. 2) vel, quod malim, יעץ *consiliarius* (consul), *amicus regius*, cf. plenius אש יעץ Cit. 33.

חנ־אאשמן) quem *donavit Esmûn* i. e. *Asclepiodorus*, cum א art. pro vulgari ה. Quod sequitur ׀ est signum distinctionis, quod statim excipit nomen eius qui titulum posuit, praefixo Lamed auctoris cf. ad Cit. 3. 23. 33.

לחכם־די־חילא) Nomen proprium חכם־די־חילא colorem habet prorsus aramaeum et haud scio an aramaeae stirpis hominem prodat, ut in V. T. מָגָאל est nomen Syri hominis syrum Jes. 7, 8. Nostrum reddiderim: *iudex* s. *praefectus* (حاكم) *exercitus*.

בן שלשל וסנס) Versus perdifficilis. Prius nomen proprium patrem eius, qui titulum posuit, designans, ex coniectura legi שלשל (litterarum figurae ferrent etiam מלשל, מלמל) arab. سلسلة *catena*. Septima littera haud dubie non Gimel est, sed Waw, et tres quae sequuntur nomen proprium alius viri continent, qui una cum *Chacam-di-Chaila* id monumentum posuit. In hoc primum signum et tertium possint e duabus litteris compositae videri, velut ex *Aleph* et *Samech*: sed אסנאס vix apta fuerit nominis proprii forma. Malim igitur illa signa simplices litteras habere, quanquam etiam סנס commodo etymo caret.

ש׳ חמש) reddidi *princeps* (ש pro שר probabiliter habes etiam Cit. 33) *quinque* virorum, quod fortasse illustrari potest ex celeberrimo instituto Carthaginensium, apud quos magna quaedam auctoritas erat penes *Quinqueviros*, πενταρχίας, quae demum cunque huius magistratus ratio erat, v. *Kluge ad Aristot. Polit.* p. 120 sqq. *Heeren hist. Werke* T. XIII p. 129. Citiensium autem rempublicam eodem fere modo administratam fuisse, atque sororiam Carthaginensium, neminem facile mirabitur. De

XVI.

CITIENSI NONA

legenda et omnes despararunt et ego despero. Litterarum figura a reliquis diversa levior et minus legitima esse videtur, quam ut hodie legi possit. Similis ratio est decimae nonae.

XVII.

CITIENSEM DECIMAM

Koppius l. c. pag. 200 ita legit, et interpretatur:

נ. דזאר	. . . . .
בן־חר	*filius Churi*
בפחז	*in nihilum*
שת	*redactus*

Digitized by Google

primae lineae litterae quid significent, se ignorare fassus. Qua in explicatione refellenda nos non magis otium consumemus, quam fecit Hamakerus: duo tantum statim hoc loco praemunibimus, quae ad figuras pertinent a Koppio ita lectas, ut Palaeographi subtilitatem plane desideres. Ac *primum* Koppius lin. 3 litt. 2 *Phe* esse existimat, his additis verbis: „*Es sahe noch niemand* [sed nos videramus, vide hist. ling. hebr. p. 169, qui quidem liber Koppio non ignotus erat] *weder auf den Münzen noch auf den Steinschriften der Phönizier ein Phe. Ich habe selbst fast gezweifelt, ob ein solcher Buchstab in ihrem Alphabete gewesen sey. Da jedoch schon in der ältesten Palmyrenischen Inschrift vom Jahre* 49 *n. Chr. Geburt und weiter in den folgenden, nicht weniger in den alten Samaritanischen Handschriften dieser Buchstab vorkommt* [minime mirum id quidem, quum hi codices contextum hebraeum repraesentent, neque sane *nova* sit haec littera], *er auch für die Sprache selbst schwer möchte zu entbehren gewesen seyn; so veranlasste mich dieses, alle Cyprische Inschriften* (quidni etiam reliqua monumenta, quum in Cypriis Phe non sit?) *wiederholt durchzulesen, und deren Inhalt genau zu prüfen. Bey dieser Nachforschung stiess ich auf die Inschrift no. X.*“ „*Dass aber diese Figur ein* ה *wirklich sey, davon haben mich Gründe sowohl aus der Sprache, als aus der Schrift selbst überzeugt. Man setze einen noch nicht bekannten* (cur litteram hucusque ignotam, quam etiam insolentior figura litterae notae esse possit?), *und versuche, ob eine bessere Erklärung möglich sey.* — *Man vergleiche das Samaritanische* ה *mit unserem* [vide tab. nostr. 3 col. 2] *und man wird unten und oben die Aehnlichkeit nicht verkennen.*“ Quae quidem disputatio magno Palaeographo vix digna est, quum argumentum e scripturae ratione petitum non minus futile sit, quam quod e lingua ductum est. Quis enim nescit, a solis Samaritanorum litteris, recentioribus illis atque scribarum artificiis varie alteratis, fallacem esse argumentationem? Quis non videt, litteram nostram, quae tria habet brachia sinistrorsum extensa, Phe Samaritano, quod nonnisi unum habet idque in summo (basis litterae in his scripturae generibus, quippe ex ligato scribendi genere orta, ad nativam eius figuram non pertinet), dissimillimam esse? Et quid dicamus de vocabulo פַּחַז quod Gen. 49, 4 *lasciviam*, *salacitatem* (coll. ضحك), alibi *iactantiam*, *superbiam* (Zeph. 3, 4. Jer. 23, 32), nunquam *vanum*, nedum *nihilum* significat? quid de locutione בפחז שת *in vanum* (?) *positus* pro *mortuus est*? Multo rectius Hamakerus (Miscell. p. 93) hanc litteram vel *simplex He*, vel ex duabus eiusdem litterae formis (et) compositum esse censuit, ut legeretur חרבת החרשי. Quarum opinionum prior, quam et ipsam Hamakerus praefert, unice vera videtur. Namque duas diversas eiusdem litterae figuras in unum signum copulatas in antiqua scriptura sine exemplo fuerint: cui accedit quod non He est, sed Jod, et quod litterae nunquam copulari solent, nisi eiusdem vocabuli sunt. — *Deinde* quod Koppius ultimam tituli figuram

Digitized by Google

ת esse statuit, id lectoribus persuadere ne tentavit quidem, neque potuisset, si tentasset. Hoc enim signum non magis pro vera littera haberi potest, quam simillimum in inscriptione vasis Panormitani extrema (no. 43) et similia ornamenta in Cit. 27. 32. 33 (pag. 56): neque magis probandus Hamakerus, qui inter Tau et Jod litteram fluctuare videtur.

Atque hic quidem in universo titulo legendo veritati propior est, ita legens:

נֵר אר בֶּן־חֹרֵב הַחָרְשִׁי

Monumentum votivum Uri filii Horebi Harischitae,

nomen gentilicium חָרְשִׁי referens ad Erysthiam, *Ἐρυσθείαν*, Cypri urbem (v. Steph. Byz. h. v.), apud Phoenices חָרְשָׁת (imo חָרֶשֶׁת) *terra arata* scripta. Sed in his quoque plura sunt, quae iure desideres. Namque praeterea quod signum illud finale non magis Jod esse potest quam Tau; Hamakerus lin. 1 punctum illud plane neglexit, neque ullum exstat aliud exemplum, quo probetur, נר *monumentum* esse *ex voto positum*, certe nunquam alibi titulus ab hoc vocabulo orditur. Cui accedit quod vix credibile est tale monumentum votivum unquam positum esse sine mentione eius numinis, cui illud voto promissum sit. Malim igitur primas litteras primae lineae ita instaurare:



, nisi ipsum per compendium scriptum est pro צב, scapo semel, non bis posito, ut in Æ prò AE et alibi in litteris nexis (p. 52). Quibus praemunitis integrum titulum, quem pariter ac plerosque reliquos, sepulcralem censeo, ita legerim:

נצב לאר	*Cippus Urio*
בן חר	*filio Chore-*
ב החר	*bi, fa-*
ש ❀	*bro* ❀

more hebraeo ita scribenda: נְצִיב אֵר בֶּן חֹרֵב הַחָרָשׁ. Nomen proprium sepulti aut אֵר (אור *ignis, lux*) legi potest aut אֲרִי *Leo:* patris nomen aut חָרָב (gladius) aut חָרֵב (siccus) aut חֹרֵב: sed posterius praeferendum videtur et forte idem est quod حارب *bellum gerens, bellator.* Litt. 4 lin. 3, ut recte animadvertit Hamakerus, si modo integra est, *Resch* esse possit ex numis Tyriis notum (p. 45): malim tamen reponere , quum vix credibile sit, Resch in tam brevi titulo bis plene scriptum esse (lin. 1. 2), semel per compendium; utrum autem h. l. הַחָרָשׁ *ferrarium* an *lignarium* designet eo minus definio, quum utriusque generis artifices in Cypro ligno et metallis feracissima non possint non frequentes fuisse (v. Meursii Cyprum p. 9).

XVIII.

CITIENSIS UNDECIMA,

cuius prima linea itidem manca est ita fere suppleri potest:

Digitized by Google

i. e.	לע׳ חרש בן	*Servo tuo Charascho, filio*
	רם נ׳	*Rami, cippus.*

additis punctis et sine scripturae compendiis:

לְעַבְדְּךָ חָרָשׁ בֶּן־רָם נְצִיב.

De ע pro עבדך vide pag. 54. 98. Nomen pr. sepulti varie pronunciari possit: חָרָשׁ (faber), חָרָשׁ quod est n. pr. viri 1 Par. 9, 15, חָרָשׁ *testa* et i. q. חָרָס *sol.* Pro נצים habebas נץ Cit. 8, 1, h. l. fortasse unum נ׳.

XIX.

CITIENSIS DUODECIMA.

Dedit eam ex Porteri apographo *Swinton*, *inscr. Cit.* tab. 1 et explicavit p. 16 sqq. Explicaverunt praeterea *Koppius* I, p. 238 sqq. *Hamakerus Miscell.* p. 9. 100, et explicavimus nos in *Ephemerid. lit. Jenens.* 1820 no. 39.

Atque Hamakerus quidem (priorum errores taceo) legit:

לעבראשמן	*Abd-Esmuno*
בן עבדמנ(י) הרב	*filio Abdmeni, principi*

vel עָבָדְמְנִי רַב. Sed figura penultima neque יר neque הר esse potest. Modo accurata sunt apographa (et satis bene congruunt Pocockianum et Porterianum), non potest non esse ער, et propterea legendum videtur:

לְעַבְדְּאָשְׁמֵן	*Abd-Esmuno*
בֶּן עבדמְנ(י) עָרָב(י)	*filio Abdmeni, Arabi.*

עַבְדְּמְנִי esset *cultor deae* מְנִי i. e. *Fortunae, Sortis*, arab. مَنَاة Cor. 53, 19.20, cuius apud Babylonios cultae mentio est Jes. 65, 11, ubi plura de his religionibus disputavimus in Commentario. Jod in extremo vocabulo עבדמני omissum neminem morabitur coll. רו pro רִוִי Cit. 22, 2 (p. 58): magis aliquem vexet eadem littera omissa in ערב (v. pag. 57 inf.) idemque nomen articulo carens. Propterea non possum quin suspicer latere in quattuor ultimis litteris מלקר, ut penultima figura sit ק, antepenultima ל: quo posito lin. 2 legenda esset:

בן עבדמלקר	*filius Heraclii.*

XX.

CITIENSEM TERTIAM DECIMAM

perverse pinxit Pocockius, ita ut summa ima faceret. Paucis eam tetigit Koppius p. 204, de ea desperavit Hamakerus p. 92.

Equidem priore linea ita suppleta:

lego:

לעבדנער	*Abd-Naro,*
אבי שלח	*patri Schelachi.*

Digitized by Google

Lin. 1 litt. 1 *Lamed* huic simile habes lib. I §. 23 no. 17. 18 et cum brachiolo dextrorsum extenso (si modo hoc genuinum est) Melit. 4 lin. 1. — Litt. 3 vix dubito pro *Ain* reponendum esse *Daleth*, cuius brevis caudula nonnunquam a descriptoribus neglecta est, veluti Carth. 1 lin. 2 in verbis אש נדר. — Ex litterae quintae ruderibus Nun fingi poterat et Zade: facilius illud, quod etiam sententia commendatur. Nam עבד צער (servus parvi s. contemti) quid sit apud Phoenices vix dicas (dicas fortasse apud Franciscanos): contra נער *iuvenis* possit vel *Hercules* esse, qui in numismatis Phoeniciis capite iuvenili depingitur vel *Esmunus* s. *Aesculapius*, quem (ut Graeci Apollinem) iuvenem formosum finxisse Phoenices supra vidimus (ad Cit. 5). Dei autem attributa pro ipso dei nomine reperiuntur etiam in nominibus propriis Arabum, velut عبد الرحمان *cultor Misericordis*, عبد الرزّاق *cultor Largitoris* cet.

Lin. 2, ubi primum litterarum symplegma cum Koppio lego אבי, pro patre memorari videtur filius, qui fortasse patre nobilior erat, ut etiam Arabes solent a filiis cognomenta ducere, v. c. ابو عبد الله. Ceterum שלח (שָׁלַח) est etiam in nominibus patriarcharum Gen. 10, 24. 11, 12. — Quod infra titulum est litterarum symplegma non cum Koppio lego מת (mortuus est), quod cum praecedentibus verbis construi non possit, sed שנ (quarum litterarum ductus in eo revera continentur) i. e. *anno:* cifras in infima lapidis parte evanuisse vel a descriptore omissas esse suspicatus. Simile signum habes Numid. 1 in postscripto.

XXI.

CITIENSIS QUARTA DECIMA.

Omissis quattuor signis, quibus duo versus quasi septi sunt, quaeque ad ornamenta pertinent (v. pag. 56), itemque neglectis punctis, quae vix a statuario profecta sunt, ita legendum videtur:

בעליתן
בן עבדמל

Sed postremum vocabulum vix integrum est, et haud scio an hoc per compendium scriptum sit pro עבדמלקר vel עבדמלקרת *(Heraclius)* v. Athen. 2. Carth. 3. 5. Prius nomen בעליתן (בַּעֲלִיתָן) valet: (quem) *Baal dat*, cf. יוֹנָתָן, *Adeodatus*, *Dieudonné*.

XXII.

CITIENSIS QUINTA DECIMA.

De huius lectione nihil pro certo affirmo: unum scio, nomen viri sepulti iis litteris, quae punctis inclusae sunt, contineri, cf. Cit. 23 et inscr. Sard., item supra pag. 55. En legendi periculum, in quo posuimus figuras  , quae bis occurrunt lin. 1 et 3, unam tantum litteram *Chet* esse (cf. pag. 28):

Digitized by Google

חג ל . חר
בן עבד
ה . מח
ר כנס כבר
סל

Prior eius pars usque ad lin. 3 mediam interpretanda videtur: *Refugium* s. *asylum* (sepulcrum) *Horo*, *filio Abdae*. חג sing. a חַגְוֵי סֶלַע *refugia petrae* Cant. 2, 14 coll. arab. مَحْجَأ refugium. Tertia littera ה videri possit, quam cum חג copulatam pro forma feminea (חגה) habeas: Quum vero statim sequatur n. pr. sepulti, statum constructum in ת exeuntem desideres, et iam supra (ad Cit. 8, 1) dixi, cur hanc litteram Lamed habere malim. In utroque nomine proprio, חר (חר Cit. 2, 1) et עבדה (עַבְדָּה i. q. עַבְדָּא Cit. 23. 24 et gemm. no. 45 *servus* sc. Dei) nihil difficultatis est. Quae vero interpunctionem sequuntur, obscura sunt, quanquam hoc certum videtur, ea non munus artemve sepulti designare, sed sententiam potius sepulcralem continere, eam tamen incertiorem, quum ultima linea mutila esse possit. Ut legendi certe periculum fiat, tria verba priora efferenda videntur מְחִר כֹּנֵס כַּבִּר *praemium eius, qui coacervavit multa.* Quartum (modo omnia sana sunt) vel סל legendum est, vel זל. Prima enim littera vel *Samech* est infra evanidum, vel omissa extrema caudula *Sain* (§. 18), quanquam, quidquid statues, sententia non multum mutatur, quum Phoenices ut vidimus (ad Athen. 1. pag. 114) subinde ס pro ז ponant et radices זלל et סלל in lingua hebraea finitimae sunt. Utrumque autem, זל et סל, maxime prius, significare possit *contemtum, vilipensionem*, coll. זלל vilis, abiectus fuit Jer. 15, 19. Thren. 1, 11, Hi. vilipendit Thren 1, 8, נזל vilitas, זל vilis fuit, quo adoptato sententia eaque non inepta, liberali homine digna, esset: *praemium eius, qui multas divitias corrasit, est contemptus* hominum. Integra igitur inscriptio ita transferenda esset:

Asylum Choro,
filio Ab-
dae. Praemi-
um coacervantis multa
(est) contemptus.

XXIII.

CITIENSIS SEXTA DECIMA.

Etiam haec valde dubiae est et lectionis et interpretationis. Incipit ea a ל eius, cui cippus positus est, cuius nomen proprium usque ad mediam lineam secundam protenditur, ubi sequitur בן. Sed quomodo illud legendum? Posterior eius pars lin. 2 litt. 1—3 satis manifesta est עיר, quod (עִיר pronunciandum) fortasse etiam in sequente titulo alteram nominis proprii partem constituit. Inde efficias, priorem eius

Digitized by Google

partem numinis cuiusdam nomen continere, quod tamen ex litteris, ut nunc sunt, vix exsculpas. Quattuor (vel quinque) signa sunt מחרג (non מגגרג, nam duo illa signa sunt Chet pag. 29), quod *terrentem* reddere et Herculis attributum censere possis, sed nulla auctoritate. Possit etiam, qui apud Bochartum (Canaan p. 572) legerit, מַחֲרִיד esse Herculis Libyci nomen, in eam sententiam facile delabi, pro ג una addita lineola reponendum esse ד, et legendum מַחֲרִד: tale vero Herculis attributum commenticium esse, et *Μάκηρις*, Herculis Libyci nomen, quod ad מחרד referebat Bochartus, non aliud esse atque מעקר = מלקר *Hercules*, infra videbimus (lib. IV, cap. 3). Fortasse igitur validior quaedam medicina adhibenda est. Si litterarum ductus hunc fere in modum supplere liceret



haberes מלקרת, ipsum Herculis nomen, et integer titulus legi posset:

למלקרת-
עיר בן ע
טם

sed haec non nisi exempli causa posui. Patris nomen עטם potest *fortem* significare, coll. arab. عظم fortis fuit.

XXIV.

CITIENSIS SEPTIMA DECIMA.

Hugius (*über den Mythos der alten Welt* p. 149) legit: לאשמן עמד *Esmuno columna*, sed Mem esse non potest posterioris vocabuli littera media. Koppius propterea (p. 246 sqq.) et Hamakerus (p. 103) rectius:

לאשמ
ן עיד

quod hic interpretatur: לְאֶשְׁמֻנְעֵיד *τῷ Esmun-ĕd* i. e. cui Esmûn testis est, coll. אֶלְעֵד, יוֹעֵד. Non contemnenda haec nominis proprii origo: sed עֵד (testis), quod adeo Hebraei defective scribunt, Phoenices plene scripsisse, mihi non persuadeo. Itaque praestabit litteras עיד his vocalibus efferre עִיֵּד, quod Pi. esse potest radicis עוד (unde Hebraei habent עִוֵּד circumdedit), eiusdem forte significationis atque Pilel עוֹדֵד *restituit*, *confirmavit* Ps. 146, 9. 147, 6, unde apta sententia procedit: אֶשְׁמֻן-עִיֵּד (quem) *Aesculapius restituit* i. e. cui valetudinem restituit. Atque ita per Daleth legere iubet ultimae litterae figura sinistrorsum inclinata (p. 44). Contra tres litterae Cit. 16 lin. 2 עיר legendae, etiam h. l. hanc lectionem commendare possint: עִיֵּר *excitavit*, *suscitavit*, quod eodem fere redit, cf. n. pr. hebr. יָעִיר (quem) *suscitat* (Deus).

XXV.

CITIENSIS DUODEVICESIMA.

Pessime hunc titulum legit et interpretatus est Koppius (p. 237): תָּאוּב נֶעֱבָד תִּנְיָן בֶּן-כֹּבַא *valde desideratus* (est) *veneratus Tinjan*, *filius Cobai*, quod examinare piget. Duas interpretationes proponit Hamakerus (p. 99), alteram probabiliorem:

Digitized by Google

תאו ב	*Theo* (dorcas), *fi-*
ן עבד	*lius Ebed-*
תנין	*tannin*,
בן כבא	*filius Cheba*,

alteram malae notae: תאהב לעבדתנין וגו׳ *amoris commonstratio Ebed-Tannino* cet. nam תַּאֲהַב est vox nihili. Equidem cum priore Hamakeriana consentio, nisi quod primum vocabulum legere malim תאום (תְּאוֹם) *Thomas* (Didymus) Cit. 2 lin. 3. Non enim a me impetro, ut tertiam figuram *Vav* esse putem, quod duobus brachiis munitum nunquam in Phoeniciis comparet (quanquam, fateor, *Baῦ* ita pingitur in veteribus Graecis), praesertim quum superius brachium inflexum sit et apice instructum: quam ipsam ob causam etiam He esse non potest. Mihi illa ex Mem et Vav ita conflata videtur, ut superior linea ad Mem, inferior ad Vav pertineat. Occurri possit, Vav quiescentis usum in תאום orthographiae Phoeniciae (lib. I §. 40) vix accommodatum esse: sed simile exemplum in hac ipsa inscriptione habemus lin. 3, sive תנין (תַּנִּין) legis, sive תנית (תַּנִּית). In utroque littera quiescibilis (ו, י), nunc quidem quiescens, cum littera consona in unum signum copulata est, in qua eius rationis, quam Aethiopes in vocalibus designandis ingressi sunt, primas quasi origines agnoscas. — Lin. 3 fig. 2, ut diximus, est נ, et nomen patris עבדתנין, sive efferendum עָבְדְּתַנִּין (ut olim fecimus Jen. A. L. Z. 1820 no. 39) *filius secundi* (Cabiri?), sive, quod praestat, עָבְדְּתַנִּין quod Hamakerus reddit *cultor serpentis*, ego reddere malim *cultor crocodili*. Serpentes enim a Phoeniciis unquam cultos esse nescimus, *crocodilus* vero apud Aegyptios symbolum *Suchi* s. Saturni erat, v. Jablonskii Panth. Aegypt. T. III p. 70. Champollion Panthéon de l'Égypte no. 22. Ceterum vix a me impetro, quin credam, in lapide ipso lin. 3 litt. 4 pro lectum fuisse , unde oriretur עבדתנית *cultor Tanaïtidis* s. Artemidis, ut Athen. 1, ubi vide. — Nomen proprium כֻּבָּא (i. q. כָּאֵב dolor) ita intelligendum videtur, ut sit *infans*, *quem cum dolore peperit mater* (כָּן־אוֹנִי) cf. gr. ὠδῖν, Euripid. Ion. 14. Aeschyl. Agam. 1418 Schütz. Alb. Schultens ad Iob. 39, 3. — De

XXVI.

CITIENSI UNDEVICESIMA

idem dicendum est atque de nona.

XXVII.

CITIENSIS VICESIMA.

Quamvis nonnullae litterae male descriptae sint et extrema tituli pars obscura, reliqua tamen non dubito ita legenda esse:

מצבת בחים לעבדאשמ

ן בן מלכיתן ה .....

Cippus inter vivos Abd-Esmuno (Asclepiadi)
filio Melech-jitten .....

Digitized by Google

Lin. 1 fig. 2 haud dubie est *Zade*, ut luculenter apparebit collata eiusdem litterae figura Cit. 3 lin. 1 (in eodem voc. מצבת). — In בחים (בְּחַיִּים cf. Athen. 1. et Cit. 23) *Chet* formam habet alibi in Numidicis usitatam (p. 29), itemque *Jod* litterae figura simplex est et tachygraphica (p. 31). Quarta eius verbi littera vix recte depicta erit, et pariter atque extrema totius versus littera haud dubie est Mem paulo depravatius, ita fere refingendum . — In עבראשמן quarta littera est *Aleph* eodem modo scriptum Athen. 3 et Cit. 33, 1. 3 et similiter in Hispano-Numidicis (p. 20), quinta paullo imperfectius picta ea est litterae Schin figura, quam exhibuimus §. 32 (p. 46) no. 3. — In מלכיתן (*quem Rex* i. e. Baal *dat* v. Cit. 4) tertiam litteram ita restituo, ut *Caph* sit . Ab iis autem quae post patris nomen sequuntur (ה..מהאלל?) explicandis equidem abstineo.

XXVIII.

CITIENSIS VICESIMA PRIMA.

Porteri apographon dedit *Swinton* in *Philos. Transactions* T. 54 p. 434 (v. tab. nostr. undec.), idque legit:

לאממן חל *Amamono interfecto.*

Sed praestat nunc quidem exemplum Pocockianum, in quo littera tertia et quarta distinctae sunt, et eodem quidem modo atque constanter factum est in inscr. Tuggensi (cf. pag. 36). Tertia enim littera, in qua linea media directa transversam non secat, est *Schin*, quarta in qua eandem secet, *Mem*. Lege igitur (nam extrema littera in his apographis minus accuratis etiam Nun esse potest):

לאשמנחן *Asclepiodoro,*

pr. quem *Esmunus dedit* s. *donavit*, cf. יוֹחָנָן *quem Jehova donavit*, אֶלְחָנָן *quem Deus donavit*, et חנאשמן Cit. 8.

XXIX.

CITIENSIS VICESIMA SECUNDA.

Nemo ullus hanc inscriptionem attigit. Satis certa tamen haec eius lectio:

(מצ)בת לאשמן: *Cippus Esmuno.*

אחר רו אשמש נר *Post pluviam Sol lucet.*

Quomodo in priore linea singula quaedam litterarum vestigia restituerim, lector eruditus me non monente videbit. Litterae enim Lamed (vide pag. 35 fig. 13. 14) scapus evanuerat, Mem autem fractum est et quasi lacerum, cf. pag. 37. — Versus posterior sententiam sepulcralem continet admodum tritam, quae respondeat nostro: Post nubila Phoebus! אחר efferri potest אַחַר et אַחֲרֵי; רו (ita enim legendum, non רג, quanquam figura nil differt a Gimel) scriptum est pro רִוִּי (lib. I §. 40) *irrigatio* terrae, *pluvia*, a רָוָה irrigavit, cf. quod inde contractum est רִי arab. ري Iob. 37, 11, secundum plurimos certe interpretes. Fortasse etiam רו apud Poenos pronunciatum

Digitized by Google

est *ru*, unde *Rubricatus*, Africae fluvius, ex Hamakeri coniectura (Miscell. p. 271) רו בריכות, malim רוּ בְרִיכַת. אַשֶּׁמֶשׁ pro הַשֶּׁמֶשׁ, ut אחשב Cit. 7.

XXX.

CITIENSIS VICESIMA TERTIA.

Parum felici successu hunc titulum tractarunt *Swinton* l. c. (qui Porteri apographum dedit), *Koppius* 1, p. 231—36. *Hamakerus* in Miscell. p. 97. Et hic quidem ita:

מַצֶּבֶת בְּקַיֵּם
אִשׁ יָעֵף אַעְבַּ
ד אַסֹּד לְאָבְ
יֹנֵא דְכִתֵּא

Cippum ad sustentandum virum defessum fieri curavit concio (ἡ βουλή) *pauperibus Citiensium*, addens titulum Syriasmis plenum esse „nec dubium, quin hic lapis aliquando ad latus viae positus fuerit, ut viatores pauperes, qui iumenti defectu pedibus iter facerent, sedem haberent, qua membra sua defessa refocillarent.“ Quid vero? Num revera Citiensium senatus tam ineptus fuisse putandus est, ut saxum publice erigeret tituloque instrueret talem in usum, quem ipsa terra gramine vestita ubique locorum longe melius praestabat? Talia excogitent umbratici homines, nunquam admisisset sensus communis veterum. Nec tale quid in lapide apparet. De litteris enim observandum est: 1) lin. 1 litt. 6 nullo modo esse potest Koph, quanquam ita etiam Swinton et Koppius; sed aperte est Chet (pro); 2) lin. 4 litt. 2 in utroque apographo non minus certo est Lamed, non Nun; 3) ex accuratiore Porteri apographo, ubi punctum lin. 3 init. omissum est, litterae autem אעבדא punctis inclusae, apparet, has litteras nequaquam separandas esse (ut fecit Hamakerus), sed in his contineri nomen proprium personae, de qua agitur in hoc titulo, vide Cit. 15 et inscr. Sard. et cf. lib. I §. 38, 3. 4) ex eodem apparet, lineae quartae litteras ita esse dispescendas: י ל ארכתא. 5) lin. 2 fig. 4 admodum sane insolita quo iure Koppius et Hamakerus statuant עף, nemo dixerit, quanquam certum est, primam esse Ain: mihi post Ain nulla ad contextum aptior videtur quam Zade, quanquam de apographi fide in hac littera dubito. Etiam 6) lin. 3 fig. 3 potius duas litteras יס complecti videtur. His praemissis lege:

מצבת בחים	*Cippus inter vivos*
אש יעץ. אעב	*viri consulis Ab-*
דא. יחד לאב	*dae, positus patri*
י לארכתא	*meo* (suo) *ab Ari-Citta.*

מצבת בחים אש יעץ) cf. Athen. 1: ... מצבת סכר בחים. Hoc loco sequitur genitivus sine ל, quod non minus probandum. Pendet enim genitivus ex מצבת, non

Digitized by Google

ex בחים, quod insertum est. איש יצץ *vir constiliarius* (regis), mihi legere videor etiam Cit. 33 lin. 4 (cf. Cit. 8 lin. 1). Per contextum etiam ferendum esset איש יצף *vir fessus*, aetate gravis cf. עבדך יגע Tripol. 2, 3.

אעבדא) His litteris contineri nomen proprium viri, cui cippus erectus est, docent puncta, quibus inclusum est. Simili ratione usi sunt Aegyptii, qui nomina propria marginibus circumdabant, hodieque utuntur Sinenses. Et עבדא (עַבְדָּא servus sc. Deorum) quidem satis consuetum est nomen proprium Phoenicum (v. ad Cit. 24) et Hebraeorum. Quid vero א? Olim putavi, hoc compendium scribendi esse pro ארני: id vero vix admittunt puncta memorata etiam hanc litteram includentia. Propterea non dubito, quin articulus sit, huic nomini proprio ad ellipsin resarciendam praemissus. אעבדא ὁ δοῦλος est i. q. δοῦλος θεῶν vel δοῦλος τοῦ Βαάλ, ut apud Arabes الفخر pro فخر الدين, الشرف pro شرف الدين, الناصر pro ناصر الدين, DE SACY *chrest. arabe* T. I. p. 30 et p. 448. Cf. ad Tugg. lin. 3. Non magis autem miraberis articulum ante עבדא, quam eundem in הַמָּוָתָה Ps. 116, 15. הַחַרְסָה Iud. 14, 18.

יסד לאבי לארכתא) = יְסַד לְאָבִי לַאֲרִכְתָּא *fundatus* s. positus *patri meo ab Aricitta* i. e. a me Aricitta. Ita titulorum auctores se ipsos prima persona ponere solent cf. Melit. 1. 3. 4.

Pro יסד exspectes forte יְסָדָה, quia refertur ad מצבת: sed quoniam paulo longius abest praedicatum a subiecto, in sexu potiori ponendo acquieverunt, v. c. Jes. 14, 9: עוֹרֵר ... שְׁאוֹל מִתַּחַת רָגְזָה Iob. 6, 10. 20, 26. Gen. 32, 9, cf. ad Cit. 2 lin. 2 (יָתַן). Tripol. 1. — אֲרִכְתָּא fuerit *leo Citii*, sed potest etiam legi אוֹרְכְתָּא *lux Citii*.

XXXI.

CITIENSIS QUARTA ET VICESIMA.

Koppio (I, p. 243) multo melius hunc titulum legit Hamakerus (pag. 101) hunc in modum:

עמת שר לאש
רמלכתך בן עבדא

quae tamen ita sunt transferenda:

Populus Schûr Asch-
remalchutach-o, filio Abdae.

minime, ut Hamakerus fecit, *donum publicum* cet. ab עַמָּה i. q. עַמִּי *communis, publicus*, et שֵׁר i. q. תְּשׁוּרָה donum. — עמת (עַמַּת vel עָמָּת) est i. q. עם *populus*, addita forma feminea, quae apud Phoenices etiam in statu absoluto ת esse solet (lib. IV cap. 4), v. Numid. 4 lin. 2. 3. Num. Sabrath. A. Inde contractum est עת Numid. 1, 3. 6, 2. 3. 4. שר (שֵׁר, שׁוּר *murus*), quod in V. T. est n. pr. urbis Aegyptiacae, ubi nunc Suez (v. Lexx.), hoc quidem loco videtur oppidum vicusve Cypri esse, cuius cives hunc titulum viro de se bene merito erexerunt. — Nomen proprium viri sepulti Hamakerus bene legit: אַשְׁרִי מַלְכְתָּךְ *(salus sit regno tuo)*: quanquam equidem ex

Digitized by Google

eo non pro certo efficiam, eum regem regulumve fuisse. — עבדא (עַבְדָּא) n. pr. etiam Cit. 23 et in gemma Gazzerae (no. 45) reperitur, in V. T. 1 Reg. 4, 6 et Neh. 11, 17, ad quem locum cf. 1 Par. 9, 16, ubi pro עַבְדָּא plenius scribitur עֹבַדְיָה. Apud Hebraeos igitur עַבְדָּא per ellipsin dicebatur pro עֶבֶד יָי, ut apud Poenos pro עַבְדְּבַעַל.

XXXII.

CITIENSIS VICESIMA QUINTA

id unum habet memorabile, quod nominis proprii singulae litterae punctis distinctae sunt, ut in Tripol. 2 lin. 4 (cf. lib. I §. 38, 3). Lege

מ׳ לכרך *cippus Carraco*

vel quomodocunque hoc pronunciare voles. Primum signum merum ornamentum videtur, ut |·, quintum restituo in Я i. e. ר. כרך, ܟܪܟܐ *arcem* significat.

XXXIII.

CITIENSIS VICESIMA SEXTA

(de qua Koppius p. 245. Hamakerus p. 102) ita legenda videtur

לבתנעם	*Bathnoamae,*
בת יאוב	*filiae Iuba-*
על קבר	*lis* (Iubae), *sepulcrum,*

more hebraeo ita scribenda: לְבַתְנֹעַם בַּת יְאוּבַעַל קֶבֶר. — Sepultae nomen בתנעם est *filia iucunditatis* q. d. Iucunda, cf. in V. T. אֲבִינֹעַם Iud. 4, 6. 5, 1, נָעֳמִי (socrus Ruthae), et pun. Gidde*neme*. Patris nomen, quod lectu difficilius est, Ham. legit גאהו על *decor eius elevatus est*, quartam versus figuram אה declarans, extremam litteram Vav esse sumens. Sed neque litterae hanc explicationem facile ferant, neque linguae ratio tale nomen admittit. Mihi prima littera *Jod* esse videtur ei simile quod in Carthaginensibus frequens est (v. Carthag. 8, 2. Numid. 5, 2) sed scapo iusto longiore pictum: in compendio illo latet *Aleph* (idque inversum ut in Erycina lin. 1. 4. 7) et, ni fallor, *Vav*, licet hoc varias admittat coniecturas: denique extrema littera vel Resch est vel *Beth* idque imperfectius. Itaque prodibit יאובעל *splendor Baalis*, quae legitima scriptura eius nominis esse videtur, quod Graeci et Romani *Iuba*, Ἰόβας efferunt (lib. IV c. 3). — Siglum, in quod exit titulus, legendum esse קבר, Hamakerus recte, ut opinor, observavit.

XXXIV.

CITIENSIS VICESIMA SEPTIMA

pariter atque Cit. 13, inverso ordine picta erat a Pocockio, sed vix legenda continet. Idemque dicendum de

Digitized by Google

XXXV.

CITIENSI VICESIMA OCTAVA.

XXXVI.

CITIENSEM UNDETRICESIMAM

tetigit Koppius p. 225, nil certi de ea proferri posse censet Hamakerus p. 92. Mihi ita fere legenda videtur:

(מ)צבת לאש	*Cippus viro*
את מסתגר	*mecum incluso*
לבשה בן צנ-	*Lebuscha, filio Zin-*
תנת	*tanith.*

Non solum enim lineolae lin. 2. 3. 4 extr. et lin. 4 init. sed etiam signum folio simile lin. 1 extr. ad mera ornamenta pertinent (lib. I §. 38, 5). Koppius hoc ם litteram esse putabat, atque integram inscriptionem ita legebat: צבת (ה) אָשֻׁט אֵת מִסְתַּגֵּר תבש(ה) בן צן *Z. filia* (H.) *lustrabo inclusum Tabuscham filium Zini*, quo nihil infelicius cogitari potest, quanquam lineam alteram is recte legisse putandus erit. Interpretatio tamen huius lineae admodum dubia est. Possint verba (et simile quid Koppio in mentem venerat) *mecum inclusus* vel *includendus* a vidua dicta videri eodem sepulcro cum marito aliquando includenda: sed possint etiam proprie accipi et a viro dicta esse, qui sepultum aliquando captivitatis socium habuerit.

לבשה בן צנתנת) Prius nomen תבשה (תְּבֻשָׁה) legi potest et לבשה, quod quidem posterius praefero, quum aptius sit eius etymon. Posterius, si apographum Pocockianum urgere velis, esset potius צנתלת legendum, possitque hoc nostrae de dea תנת disputationi (v. ad Athen. 1) opponi. Malo tamen lapidum adhuc superstitum auctoritati meisque oculis fidem habere, quam apographo sine ulla harum litterarum peritia facto. Ceterum *scutum Tanaïtidis* bene quadrat ad deam, quam cum armis repraesentatam et propterea cum Minerva comparatam esse supra vidimus (p. 116. 117). In

XXXVII.

CITIENSI TRICESIMA

iterum in alia omnia abit Koppius 243, bene Hamakerus (p. 100) eam ita legit (ultimam litteram versus primi supplens)

לעשתרת-ית

ן בן במץ

sed male transtulit! *Astartae dedit filius Bomazi.* Manifesto enim עַשְׁתֹּרֶת-יִתֵּן (quem *Astarte dat*, q. d. Astartodorus) est nomen pr. sepulti, ut אֶשְׁמֻן-יִתֵּן Carthag. 8. et בעליתן Cit. 14, מלכיתן Cit. 4. 20. Expectes forte עַשְׁתֹּרֶת-תִּתֵּן, quod propter *κακοφωνίαν* evitasse et sexus enallagen admisisse videntur, cf. similem enallagen propter *εὐφωνίαν* admissam Cant. 6, 8. Nomen במץ idem Hamakerus declarat ac בו מץ *in eo oppressio* (coll. בעז in eo robur), quod in medio relinquo.

Digitized by Google

XXXVIII.

CITIENSIS TRICESIMA PRIMA.

Pauca verba turpiter, ut videtur, habita. Quae inde exsculpas, haec sunt: מצבת יבת יוסי בן לז. Sed in altero vocabulo pro restituendum videtur Lamed: לבת. Plura non definio. Puncta, quae nomina propria indicant, vix recte posita sunt.

XXXIX.

CITIENSIS TRICESIMA SECUNDA

haec continet:

בן למאמ
על תא

בן suppleverim אבן *lapis;* nisi mavis integrum titulum ita legere: לבן למאמעל תָא *filio Mamalis conclave.* N. pr. מאמעל mihi dictum videtur pro מאבעל *magnus* s. potens *Baalis*, a מא *ma*, *mah*, *mag* magnus, potens, dux, quod ex lingua vetere persica (zend. *meh*, *maé*, *mâo*, sanscr. *mahâ*) in multas linguas transiit (hebr. מֵאָה centum, prob. numerus magnus, מַג magus) cuiusque aliud exemplum habes in n. pr. מאעלם (potens in aeternum) inscr. Tugg. lin. 1.

XL.

CITIENSIS TRICESIMA TERTIA.

Duae priores lineae admodum incertae sunt et lectionis et interpretationis, reliqua magis perspicua. Atque illas omitto, quanquam suspicor in prima linea latere מ׳ בחים = מַצֶּבֶת חַיִּים *cippus inter vivos.*

Lin. 3—6 ita legi possunt:

לנצבאשמן אע׳	*Nezib-Esmuno viro servo tuo*
י׳ אש יעץ מל	*fesso, viro consuli re-*
ך רב חתי	*gis magni Chittaeorum.*
ש לעם	*Salus populo.*

נצב-אשמן (נְצִיב אֶשְׁמֵן) *columna Aesculapii* satis aptum est n. pr. simile arab. عماد الدين *columna fidei*, عماد الدولة *columna temporis*, عميد الملك *Amid-el-Molk*, *Amid Irak* al. Tres litterae, quae sequuntur אע non dubito compendia scribendi esse et tria vocabula integra significare. Duas priores facile explices אש עבדך *vir servus tuus* (o Baal) cf. pag. 54 et ad Cit. 11, 1. Numid. 3, 3, et Melit. 1, 2; tertia, *Jod*, fortasse est יגע *fessus*, *aetate gravis*, *senex*, conf. Tripol. 2, 3, ubi tituli auctor se appellat ע׳ יגע i. e. *servus tuus fessus.* In אש יעץ (cf. Cit. 23) Zade rarissimae formae est et vix accurate pictum, sed vix aliam litteram substituas, quae aptior videatur. Magni autem momenti in hoc titulo esse videntur verba eaque satis perspicua מלך רב חתי *rex magnus Chittaeorum.* Namque חתי (חִתִּי) in monumento Citii reperto vix differre

Digitized by Google

censendum erit a כִּתִּי *Citiaeus*, *Citiensis* (ת et כ permutatis), quo posito vix a me impetro, quin aliquam necessitudinem intercedere suspicer inter כִּתִּים *Cyprios* et חִתִּי, חִתִּים, tribum Cananaeorum (Gen. 15, 10. Deut. 17, 1. Jos. 1, 4, Thes. ling. hebr. p. 541), cuius nomen ampliore significatu ad omnes omnino Cananaeos translatum est, cf. מַלְכֵי הַחִתִּים 2 Reg. 7, 6, et אֶרֶץ הַחִתִּים Jos. 1, 4 de universa Palaestina usurpatum. Quidni enim statuamus, *Citienses* Cypri, quos Phoenicum colonos fuisse scimus (pag. 122), ab hac eorum tribu profectos esse? Forma certe mire congruit, neque facile *Citiensium* (כִּתִּים) nomen alio modo explices, qui maiorem veri speciem habeat. — Lineae extremae quattuor litterae vel ita legi possunt, ut fecimus (coll. inscr. Carpentoract. extr. et Sard. lin. 3. 4. 5), vel ש potest scriptum esse pro integro שר (שַׂר) *princeps*, ut legatur שר לעם, שַׂר לָעָם *princeps*, *praefectus populi* et ad virum sub hoc cippo sepultum, Nezib-Esmunum, referatur. De *Lamed* inter שר et עם vide ad Cit. 1 et Numid. 1 lin. 2.

XL bis.

GEMMA CITIENSIS.

Hanc gemmam inter rudera (Citii) prope Larnecam repertam primus edidit E. D. Clarke in *Travels in various countries of Europe, Asia and Africa* Vol. IV p. 33, cuius haec sunt verba: The substance of it is an *onyx*, in a very advanced state of decomposition. .... The subject represented appears to be a *dove*, *avis Paphia* (Tibull. 1, 8, 18: *alba Palaestino sancta columba Syro*), a very antient symbol of Venus and of Astarte. But wether the figure placed before the bird be a grain of the bearded wheat so common in Cyprus or any other type connected with its antient mythology, it is not easy to conjecture." Clarkii delineationem repetiit *Lindberg*, de inscr. Melit. tab. 6, satis accurate, praeter litt. ב, quam auritam dedit invito Clarkii exemplo.

Interpretationem eius Lindbergius (l. c. pag. 62) hanc dedit:

לבסח בן עמחד

Besachi filii Amchadi,

de nominum propriorum etymo nihil addens. Equidem posterius legere malim עמחר i. e. עַמִּיחַר (cognatus nobilium) 2 Sam. 13, 37 Chethibh, cf. עַמִּיאֵל cognatus Dei, עַמִּינָדָב cognatus principis et de hac vocabuli עם significatione Lex. manuale pag. 772. De priore nihil definio, praeter litt. 1. et 3, quas *Beth* et *Cheth* esse scio. Litt. 2 duas fere litteras connexas continere videtur, et similis est litteris מו in scriptura Palmyrena: fortasse etiam circellus ille auritus, quem omisit Lindbergius, litteris annumerandus est, possitque *Tet* littera videri.

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

INSCRIPTIONES IN SARDINIA ET SICILIA REPERTAE.

XLI.

INSCRIPTIO SARDICA.

Sardiniam antiquissimis temporibus a Libybus duce Sardo, Herculis Libyci filio, esse frequentatam, dein post varias Aristaei, Iberorum, Iolai, et Phoenicum colonias (Diod. 5, 35) a Carthaginensibus esse occupatam, qui maximam eius partem usque ad primum bellum Punicum tenebant, urbesque complures, ut Calarin, Sulchos, Carmin, condiderunt, testes sunt scriptores veteres, maxime Pausanias (10, 17), Diodorus (4, 29. 5, 15. 15, 24), Polybius (1, 79. 80), Stephanus (v. *Κάραλις*, *Σύλχοι*). Sardos autem etiam Ciceronis aetate magnam partem Poenos habitos esse, diserte dicit Cicero pro Scauro §. 14. 18.

Inscriptio, de qua agitur, in vicinia *Norae*, oppidi in australi huius insulae parte, ubi nunc *Pula*, siti, in vinea, quae est monachorum „della Mercede di Cagliari", anno 1773 vel 1774 reperta est et primum edita atque explicata a Bernardo de Rossi in *Ephem. litt. Romanis* (Effemeridi letterarie di Roma) anni 1774 p. 348. Sed quum admodum negligenter factum esset apographum et eo maxime nomine vitiosum, quod inscriptionem a sinistra parte mutilam esse significabat, de-Rossii explicatio bene cedere non poterat: neque est quod doleamus, O. G. Tychsenii huius exempli interpretationem ab Hartmanno (vit. Tychs. II, 2 p. 539) arcani instar celari. Melius apographum ab Alberto della Marmora factum nuper admodum addita explicatione edidit Io. Antonius Arri, bibliothecae Turinensis subpraefectus in libello: *Lapide fenicia di Nora in Sardegna dichiarata da G. Arri. Torino* 1834. 4, qui seorsum typis exscriptus est ex *Actis acad. Turinensis* (Memorie della Accademia Reale di Torino) T. XXXVIII, quod nos repetivimus tab. 13. Lapis, in quo exarata inscriptio, arenarius est, qualis in vicinia veteris Norae caeditur, longus 1, 20, latus 0, 60 mensurae gallicae 2. Arrii Turinensis explicatio haec est:

בתרשש
נגרשהא
בשרדנש
למהאשל
ספבאס
לבתבבנר
שבנגד
לגסי

i. e. vocalibus divisis et hebraeo more scriptis: בְּתַרְשִׁשׁ נִגְרַשׁ הָאָב שַׂרְדֹּן שָׁלֵם הֵא שֶׁלְּסֹף בָּא סַל כְּתַב בְּנֹר שֶׁבָּן נֶגֶד לִגְסִי „*In Tarschisch vela dedit pater Sardon pius, viae tandem finem attingens* (lapidem) *scribi iussit in Nora, quam novit Lixo* (Mauritaniae urbi) *adversam.*" *Sardonem, pium patrem* Arrius *Sardum* intelligit, Maceridis

Digitized by Google

(i. e. Herculis) filium, qui teste Pausania (X, 17) primam ex Libya coloniam in Sardiniam duxisse ferebatur et propterea Sardiniae gentis auctor parensque habebatur, *Sardi patris* nomine in aliis monumentis salutatus (v. *Münter Sendschreiben über einige sardische Idole* pag. 12. Azuni hist. géogr. politique et naturelle de la Sardaigne. Paris 1802. T. I. p. 335). Hunc autem teste hac inscriptione e *Lixo*, Mauritaniae urbe venisse, atque primum *Tartessum*, dein *Noram* in Sardinia appulisse existimat. Quod in inscriptione legatur „*Nora, quam novit Lixo adversam*", id sane minus verum esse, quum hodie nemo facile dicat, Noram Sardiniae *e regione* Lixi Mauritaniae sitam esse, sed voluisse tamen Sardum patrem priorem suam sedem utcunque memorare in hoc monumento, eundem etiam fortasse in illa rei nauticae et geographicae infantia varias inter Lixum et Sardiniam viae ambages minus observasse et propterea Noram e regione Sardiniae sitam sibi finxisse. Pag. 42: „Il perchè puossi conghietturare che Sardon arrivato in una nuova terra abbia voluto far menzione sopra un publico monumento della patria sua, o per dir meglio, di quel paese che egli aveva da qualche tempo abitato, e con cui teneva forse ancora qualche maniera di relazione. Il qual pensiero perciò si conferma, che noi non ritroviamo altra cagione per cui dovesse lo scrittore nostro ricordarci avere *Sardon* conosciuto, che *Nor* stesse piuttosto in faccia a Lixus che ad un altro paese; ed ancora perchè, essendo più probabile che *Sardon* sia venuto in Tarschisch a dare le vele per Sardegna da una terra non molto da quella lontana, che nello stesso tempo debba dirsi *Fenico-Libyca*, come fu *Sardon* istesso, non si potrà mai dell' Africa addurre un altro paese, il quale in miglior guisa di Lixus possa confermarci le dette cose." „Trattandosi di spazio sì smisurato, come è tra *Nor* e *Lixus*, può dirsi, que l'una miri in faccia all' altra, ancorchè tirando la norma dal punto meridionale di Nor non si arrivasse a fare giusto termine in Lixus: ed in quei tempi, dove l'arte di navigare era nel suo cominciamento, non poteva a meno che ascriversi a gloria l'essersi avveduto, dopo un tragittare considerevole, della vera posizione della terra dove per la prima volta si poneva il piede." Non est quod uberius demonstremus, id quod viri linguae et antiquitatis periti facile perspicient, 1) litteras ita, ut Arrius fecit, lectas explicationem supra datam per linguae leges non admittere (namque, ut alia taceam, quis ferat הֵא *ecce!* dici pro *tandem?* quis סל כתב *elevavit scriptum* pro *lapidem inscribi iussit?* quis non videat, universam tituli orationem ab orationis semiticae indole alienam esse?), 2) illam de Sardo patre eiusque itineribus maritimis narrationem, quam in hoc titulo invenisse sibi visus est Arrius, non credibilia continere, quum ipse Sardus pater (si modo talis exstitit) ad fabulosa tempora pertineat, ex quibus inscriptiones servatas esse incredibile sit, erroresque eius geographici non minus singulares sint et inauditi, quam Lixi, prioris sedis, in hoc titulo commemoratae ratio; non est, inquam, quod haec urgeamus et singula refellamus copiosius, quum totius interpretationis fundamentum, quod in litteris recte accipiendis et definiendis cernitur, erroribus nonnullis nitatur, qui non poterant non auctorem a recto tramite abducere. Ac *primum* 1) littera ter obvia lin. 5 litt. 1. 5 et lin. 8 litt. 3, quam Arrius *Samech* esse statuit,

Digitized by Google

non talis est, sed *Mem*, neque differre existimanda est a litt. 2. lin. 4. Eodem modo picta est haec littera atque Schin, addito a dextra parte longiore scapo, cf. de hac utriusque litterae in iisdem monumentis analogia supra pag. 36. 2) Litt. 2 lin. 5 nullo modo *Phe* esse potest, sed manifestum est *Jod* (vide similes figuras pag. 31). 3) Lin. 6 litteram *quartam*, quae est *Nun*, Arrius non debebat addita lineola temere mutare in *Beth*. 4) Lin. 8 litt. 2 differt a *Gimel* bis praeterea obvio lin. 2 litt. 2 et lin. 7 litt. 5 et *Phe* esse videtur. 5) Lin. 2 litt. 3 *Daleth* esse videtur, non *Resch*, conf. eandem in eodem vocabulo litteram lin. 7 litt. 8. Contra recte vidit Arrius lin. 6 litt. 7 esse ר ex parte evanidum.

Litteris ita definitis eas hunc in modum dispescimus et interpretamur:

בת רש ש	*Domus capitis* (i. e. dormitorium)
נגד שהא	*principis*, *qui* (erat) *pa-*
ב שרדן : ש	*ter Sardorum. Pacis a-*
לם הא של	*mans ille*, *pax*
ם יבא מ	*contingat re-*
לכתן: בן ר	*gno nostro. Ben-*
ש בן נגד	*Rosch*, *filius Nagidi*,
לפמי	*L-ensis*,

quae hebraeo more ita scribenda sunt: בֵּית רֹאשׁ שֶׁנָּגִיד שֶׁהָאָב שַׂרְדִּין: שָׁלוֹם הוּא שָׁלוֹם יָבֹא מַלְכֻתֵנוּ: בֶּן־רֹאשׁ בֶּן נָגִיד לפמי.

Est igitur titulus sepulcralis, in quo hoc singulare est et novum, quod nomen proprium sepulti בן רש בן נגד lin. 6. 7, quod iam alibi punctis inclusum vidimus (Cit. 15. 23 cf. pag. 55), hoc loco punctis in ipsas litteras primam et extremam immissis insignitum est, cuius simile punctum etiam in littera totius tituli initiali reperitur. Etiam Arrius (pag. 8. 9) de his punctis agens recte coniiciebat, ea nominibus propriis indicandis inservire, in quam rem Aegyptiorum morem regum deorumque nomina propria marginibus includendi recte quidem conferebat: sed, ut sibi constaret interpretatio sua, puncta non in litteras primas atque extremas nominum propriorum immissa putabat, sed in eas litteras, quae nomina propria anteirent, velut בתרשש, בנר, ד לגסי, qua ratione utilissimae observationis usus ei intercidit. — Quod attinet ad argumentum tituli, elogium viri sepulti ita institutum est, ut nomen eius respiciatur: qualis ingenii lusus, accommodatissimus ille ad orationis Semiticae indolem (Gen. 9, 27. 49, 8. 16. 19. Num. 24, 21. Mich. 1, 10—15. Am. 5, 5., cf. *Lehrgeb.* p. 859. 860) etiam in inscr. Tuggensi (lin. 5) habetur. Alluditur autem ad nomen *Ben Rosch*, *filius Nagidi* his verbis

בת רש שנגד) i. e. hebr. more בֵּית רֹאשׁ שֶׁנָּגִיד *dormitorium principis*, בת pro בֵּית habes Melit. 2, 1. Tugg. 5, רש omisso Aleph quiescente pro רֹאשׁ num. Heracl. et Iubae min. Atqui בת רש (בֵּית רֹאשׁ) *domus capitis* s. *locus capitis* alicuius, nihil

Digitized by Google

aliud esse potest, quam locus ubi requiescit caput alicuius i. e. *dormitorium*, *habitatio* eaque h. l. *aeterna* (v. Melit. 2, 1), cf. illud Matthaei 8, 20: *non habet filius hominis ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ*. Paullo rariorem autem et insolentiorem locutionem de sepulcro tituli auctor non alia de caussa, quam propter verborum lusum arcessivisse videtur. — ש (quod mox iterum habes in שדאב) est notissimum illud ש praefixum (hebr. שֶׁ, שֵׁ, שֻׁ) apud Hebraeos praeter librum Iudicum in solo recentiore Hebraismo obvium, apud Phoenices frequentissimum, ita quidem ut plenae formae אשר pronominis in Phoeniciae linguae reliquiis nullum exemplum mihi occurrerit. *Schin* praefixum autem saepe reperitur a) ubi *relativum* est, v. c. שסבל *qui portavit* Tugg. lin. 6, שיצב עי *qui restituit ruinam* num. Iubae sen. (lib. III, 20), שישת צת על בן *quem posuit populus super filium* Numid. 7 lin. 3, et in nomine *Sanchuniathonis* (שנכון ידו *cuius manus firma est*, v. lib. IV c. 3). b) ubi *genitivum* designat, v. c. שעם מחנת *populi Panormitani* in num. Panorm. H. I., מח' שרם *Panormi Romani*, ibid. litt. K; in nominibus propriis v. c. חכמשבעל Numid. 2, 2 *sapiens Baalis*, יפשעת Tugg. 1. 3 (*splendor temporis* vel *populi*), atque ita etiam ubi Punica latinis litteris expressa sunt, ut Plaut. Vers. 1. *si macom sith* זאת שמקום *(huius loci)*. Vers. 4. *syllohom* שלחם. Vers. 6. *Ys side* אש שידע. Vers. 8. *chyr saely* כיר שאלי. — נגד *principem* adeoque *regulum* significare potest (v. Lex. h. v. no. 2) et *nobili genere natum*: malim prius, quia paullo post memoratur *regnum nostrum*.

שדאב שרדן) *qui pater* erat *Sardorum*. In his nemo offendatur articulo, qui praefixus est nomini regenti אב et deest ante genitivum שרדן; is enim eandem legem sequitur atque in דָּאֵל בֵּית אֵל Gen. 31, 13; et hoc quidem loco necessarius erat ad significandum eum, qui *κατ' ἐξοχήν* erat *πατὴρ τῶν Σαρδονίων*, patriae pater (cf. ad Jes. 9, 5. 22, 21 et Thes. v. אָב no. 3). Herod. 3, 89: *λέγουσι Πέρσαι, ὡς Δαρεῖος μὲν ἦν κάπηλος, Καμβύσης δὲ δεσπότης· Κῦρος δὲ πατρὶ ..... ὅτι ἤπιός τε καὶ ἀγαθά σφι πάντα ἐμηχανήσατο.*

שלם הא) sive pronuntiabis שָׁלֵם sive שָׁלוֹם, שָׁלֵם, perinde est, שלם enim non potest non concretum esse et *integrum* significare vel *pacis amantem*, cf. שְׁלֵמִים pacem colentes Ps. 69, 23, שְׁלוּם pacis amans 2 Sam. 20, 19, שָׁלֵם Lex. no. 3. Malim tamen שָׁלֵם, ut alludatur ad שָׁלוֹם, quod statim sequitur, et utriusque idem sonus sit.

שלם יבא מלכתן) שָׁלוֹם יָבֹא מַלְכֻתְנוּ *pax contingat regno nostro*. Transitur a laude principis defuncti ad bona vota pro civibus superstitibus nuncupanda. Sententia est: dum vivebat ille, pacis et salutis publicae nobis auctor erat, nunc eo mortuo Dii regno civibusque eius pacem largiantur. Cf. Cit. 33 fin. Verbum בוא construitur sq. accusativo, ut Iob. 22, 21: תְּבוֹאָתְךָ טוֹבָה *continget tibi bonum*. Ps. 119, 41..77.

In nomine proprio nihil memorabile est: de nomine gentilicio dubito. Si litteras ut Arrius-legere liceret לגסי, *Lixium* intelligere possimus, e *Lixo* (*Λίξος*, *Λιγξ* Steph.), Mauritaniae urbe oriundum. Sed altera littera differt a reliquis figuris, quae Gimel sunt, et tertia est eadem quae alibi מ. Quae si accurate picta sunt, legendum לסמי, quod ad rationes geographicas revocare non possum.

Digitized by Google

XLII.

INSCRIPTIO ERYCINA.

In vicinia montis Erycis urbisque cognominis (hodie Trapani del monte) repertum est hoc marmor, cuius copiam ex *Antonii Cordicis historia Erycis*, quae teste Castello in *Siciliae inscr. nova collect.* p. 297, apud Schiavum Panormitanae ecclesiae canonicum manu scripta servabatur, Castellus quem modo memoravi fecit p. 296 his additis verbis: „Exstabat, inquit, superiori seculo hoc marmor Erycis in aedibus Rocchae Palmae, ac dolendum quam maxime, nobilissimum hoc Phoeniciae literaturae monumentum fato periisse, ita ut post omnes curas et diligentias adhibitas nullam de eo apud Erycinos memoriam exstare compertum sit.“

In eo interpretando nemo ullus quod sciam vires periclitatus est, quanquam nulla maioris ambitus inscriptio, nullum amplius sermonis Phoenicii specimen ex antiquitate servatum sit; unicumque hoc, quod exstat exemplum sane ita comparatum est, ut plenam totius monumenti interpretationem vix admittat. Quam ipsam ob caussam quae nos tentabimus, tanquam modestum ingenii lusum potius quam interpretationem certam et perfectam eruditorum iudicio subiicimus, ita tamen comparatam, ut humeris nostris insistens unus et alter fortasse in opinando et coniiciendo felicior propius ad veritatem adducatur.

Ut initium faciamus ab alphabeto, quod ex hoc titulo confecimus et tabulae adiecimus, notandum est, satis magnam esse in hoc monumento figurarum varietatem, et statuarium, ut videtur, in variarum figurarum usu elegantiam quandam captasse, cf. לשחל בת lin. 1 et שחל בת lin. 7. De singulis observaverim: 1) א et ע litteras in hoc titulo rariores esse, quam exspectes, figuram Aleph litterae nonnunquam inversam. 2) *He* eandem habere figuram, quae ח est in lapide Carpentoractensi, ita tamen ut potestas eius in hoc monumento certa sit. 3) Jod simile est figuris Punicis no. 12. 13. 18 (pag. 31), ut de eius potestate dubitari non possit. Minus certum est ם; ד et ס certa vestigia non vidi.

De universo autem titulo sic statuo, eum sepulcralem esse et mulieris non magis nobilis quam pulchrae, cuius nomen ab initio legitur, elogium continere, luctumque de eius morte describere. Singulae lineae totidem commata sive cola continere videntur, id quod vel inde colligas, quod versus 2. 3. 4 iique integri non eiusdem longitudinis sunt neque usque ad lapidis marginem procedunt. Orationis autem poeseosve genus grande quiddam et sublime spirat, Arabum fere poësi heroicae et amatoriae simile, qualem orationis Punicae indolem fuisse, etiam ex inscriptione Tuggensi adeoque nobilissimo Plauti loco colligas, ne de Afris latine scribentibus, ut Apulejo et Tertulliano, dicam.

Vers. 1. inde ab initio lego:

לרבת לשחל בת כברחים

Dominae Suthul, filiae Chebîr-chajjim

Digitized by Google

i. e. (longaevi). Ab initio ante ל fortasse sunt reliquiae litterae מ pro מצבת *cippus:* *Vav* vel *Gimel* eo loco non feras. רבת (רַבַּת) *domina* in statu absol. exstat etiam Carth. 3 (1. 2). 5, et h. l. mulieris nobilis videtur compellatio honorifica. Tribus sequentibus litteris nomen sepultae contineri, satis certum est, quum sequatur בת (בַּת), idemque nescio an iterum compareat lin. 7 extr. בת שחל (בֵּית שחל). Latine illud extuli *Suthul*, quod est n. pr. oppidi Numidici Sallust. 38, sive שחל dictum est pro שְׁתוּל *planta*, sive contr. ex שעתבעל inscr. Numid. 4 lin. 1. — In כברחים tertiam litteram ita supplevi, ut Resch oriretur. Quae sequuntur, haec fere sunt: נגיד לריח רח איבו (לְרֵיחַ רָח אֵיבוֹ), quae quid sibi velint hoc contextu, non assequor.

Versum *secundum* integrum haec fere continere existimo:

הכל צנכים ומשל אחי מנת בגמת בת מיכמש

i. e. הַכֹּל צְנָכִים וּמָשָׁל אֹחֵי מִנֹּת בְּגַמַּת בֵּית מֵיכְמשׁ *omnia* (sunt) *citharae et cantus et gemitus fidium in concione domus Me-Camos*, i. e. omnia resonant naeniis et fidium cantu lugubri in familia Me-Camos, ad quam pertinebat sepulta. Color orationis fere idem est atque Jes. 5, 12: וְהָיָה כִנּוֹר וָנֶבֶל תֹּף וְחָלִיל וָיַיִן מִשְׁתֵּיהֶם *sunt cithara et nablium, tympanum et tibia et vinum convivium eorum* pro: resonant convivia citharae tibiarumque strepitu, vino abundant, et Ps. 45, 8: מֹר וַאֲהָלוֹת קְצִיעוֹת כָּל־בִּגְדוֹתֶיךָ *myrrha et aloë et cassia* sunt *vestes tuae* i. e. vestes tuae myrrham, aloën, cassiam spirant. — צנכים explico collato arab. صنج *psalterium*, sam. ࠑࠋࠑࠋ *cymbalum*, ex aethiop. ጸንጽል፡ — אחי (אֹחֵי) st. cstr. ab אֹחִים Jes. 13, 21 (quod malo nunc ab אנח ducere, quam ab אָחַח, coll. חוֹחַ pro חֹגֶה, כּוֹס pro כֹּנֶס) sunt *gemitus;* מנת (מִנּוֹת) i. q. מִנִּים *fides; gemitus fidium* autem non inepte dicitur de cantu fidium lugubri. — גמת (גַּמַּת) idem esse videtur quod מְגַמַּת *coetus* Hab. 1, 9, arab. جَمَّة, جُمَّة. — Denique n. pr. מיכמש (מֵיכְמשׁ) explicari potest *aqua* i. e. semen, proles *Camosi*, cf. מוֹאָב aqua i. e. proles patris.

De versu tertio nil definio. Quartus autem haec fere continet:

מהשלג לה יבר אככב ואחיק שכך לך בלב שלג

prae nive ei candida erat stella (oculi) *et sinus velatus tibi instar cordis nivis*

quae hebraice ita scribas: מֵהַשֶּׁלֶג לָהּ יָבַר אַכֹּכָב וְאַחֵיק שָׂכַךְ לָךְ בְּלֵב שֶׁלֶג. In litteris definiendis non multum dubii est. Ad litt. 7, quam *He* esse posui, cf. pag. 25, et ad Cit. 10, 3. Litt. 11 facillime ita suppleri potest, ut *Aleph* oriatur. Celebratur autem hoc versu pulchritudo mulieris tum oculorum splendore tum pectoris niveo candore conspicuae. אככב i. q. הַכּוֹכָב *stella* non potest non *album oculi* esse, ut arab. كَوْكَبٌ, quod Firuzabadius (p. 152 Calc.) inter alia explicat بَيَاضٌ فى العين *album in oculo*, cuius *candorem* (نَصْع) passim laudant Arabum poëtae (v. Bohlen de Motanabbio pag. 52), qui oculum etiam cum Sirio, Canopo aliisque stellis (v. Hammer Redekünste der

Digitized by Google

Perser pag. 29) et propter *candorem* cum narcisso (Jones de poësi asiat. pag. 191) comparant. יבר (יָבֹר) a בָּרַר pr. *purus fuit*, quem tamen significatum ad *candorem* quoque niveumque colorem transferri testantur nomina בַּרְבֻּרִים *anseres* 1 Reg. 5, 3 (4, 23) cf. Thes. ling. hebr. T. I p. 246, sam. ࠁࠓࠁࠓࠉࠌ prob. *cygnus*, aethiop. ብሩር፡ argentum. — שְׂכַךְ a שָׂכַךְ (Ex. 33, 22) *texit* i. q. סָכַךְ: לך fere redundat ex noto Hebraismo. לב שלג *cor nivis* est nix media et propterea *intacta*, *pura*, candidissima. Denique *Beth* in בְּלֵב vim habet comparativam, ut hebr. בְּ Gen. 1, 26: בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ, cf. 5, 3: בִּדְמוּתוֹ כְּצַלְמוֹ, cf. quae de hac eius particulae usu disputavimus in Lex. man. hebr. germ. ed. IV p. 214 sqq. — Candidum puellae pectus cum *eboris* candore comparatum habes in Amrui ben Kelthum Moall. comm. 15.

Vers. 5 legendus videtur בנץ בו הלבב נבש לכם בן קנת, quae ultima verba explanaverim: נָבוֹשׁ לָכֶם בֶּן־קִינוֹת *pudefactus est vobis* (i. e. summa tristitia affectus) *filius naeniarum* i. e. poëta carminis lugubris auctor.

Vers. 7 perspicua videntur verba: בת שתל .. מקם ... cf. ad Vers. 1.

XLIII.

VAS PANORMITANUM.

1. Vas fictile erutum Panormi, dum fundamenta quaeruntur aedis Regio Gymnasio annexae. Exstat in eiusdem gymnasii Museo. Titulum phoenicium primus, sed minus accurate, edidit Ant. Mar. Lupi in diss. *de Severae Martyris epitaphio* cap. XI p. 86, dein diligentius Castellus de Torremuzza, *inscr. Sicul.* p. 295 (p. 321 ed. 2), cuius exemplum repetierunt *Barthélemy* in *Mémoires de l'academie* T. XXX p. 419, *Lanci* de lapide Carpentoractensi tab. 1, *Alb. de Marmora sopra alcune monete fenicie* in tab. huic libello adiecta. Explicationem eius dederunt *Barthelemyus* l. c. *Lancius* l. c. p. 48. *della Marmora* p. 12.

2. Ac *Barthelemyus* quidem ita legit:

העטרבעל בן מסלח

recte, si quid iudico, praeter primam et tertiam litteram. Tertia enim est *Jod*, hac ipsa figura obvium Sard. lin. 5, prima per rationes palaeographicas *He* esse possit (v. He in *Erycina*), sed adversatur linguae usus, qui articulum ante nomen proprium compositum non fert. Mihi haec littera flagitante paene sententia ita H scribenda et *Lamed* esse videtur. Lego igitur:

לְעִיַּרְבעל בן מסלח

idque figuli nomen esse cum Barthelemyo censeo. Prius n. pr. עִיַּרְבַּעַל significat: (quem) *suscitavit Baal*, cf. Cit. 16. 17; posterius reddi potest: *condonatio*, nisi forte מסלח scriptum est pro מצלח (מַצְלִחַ) *felix*, *prosper*. — Signum illud, quod litteram extremam excipit, merum ornamentum esse, cui simillimum exstat

Digitized by Google

Cit. 10 extr., Barthelemyus dudum observavit et vel ex eo apparet, quod magna intercapedo est inter hoc signum et litteram extremam. Nihilo minus fuerunt, qui hanc figuram litteram esse censerent, in qua quidem definienda tamen in diversa abeunt. Namque *Hartmannus* (vit. Tychsen. II, 2 p. 560) et *Lancius* l. c. eam ק esse statuunt, *Koppius* (Bilder u. Schriften II p. 200) ת, *Hamakerus* (Miscell. p 94) *Jod*, e quorum numero unus Lancius hanc totius inscriptionis explicationem proposuit: יעפרבעל בן מסלחק *Jafarbaal, filius Maslechok* (יעפר = جعفر terrestris, humilis, inde יעפרבעל humilis s. abiectus Beli, מכלחק tributi exactor?), quam tamen retulisse sufficiat.

XLIV.

INSCRIPTIO MARSALENSIS.

Hoc marmor in aedibus publici magistratus anno 1779 effossum est in Insula St. Pantalei, in qua Motyam urbem sitam fuisse nonnulli contendunt: nunc Mazzarae in Sicilia asservatur. Apographum a Rosario Alagna missum primus edidit Castellus de Torremuzza l. c. pag. 323 ed. 2, quod minus accurate repetierunt *O. G. Tychsen* in Nov. Act. Upsal. VII p. 97 et *Lindbergius*, de inscr. Melit. tab. 5, qui etiam aliam lapidis delineationem a Thorlacio Mazarae factam memorat.

Ipsum Castelli exemplum, quod nos dedimus tab. 14, haud dubie legendum est:

קבר מצ *Sepulcrum Mazo-*
ר היצר *ri figuli.*

Quod Tychsenius n. pr. sepulti legit מסן, Lindbergius l. c. pag. 39 מסך, id minus accuratis exemplis tribuendum est.

XLV.

GEMMA SARDICA.

Ab *Alberto della Marmora* acceptam primus edidit Gazzera in *Memorie della Accademia di Turino* T. XXXV Cl. mor. et phil. p. 3, cum brevi explicatione Amad. Peyronis, qui recte vidit, quattuor litteras legendas esse

עבדא

id vero appellative accipiendum existimat, sive *cultum* sive *cultorem* denotet. Nobis non dubium est, quin n. pr. sit hominis, qui hoc sigillo uti solebat, legendum illud quidem עַבְדָּא (i. e. *cultor* sc. Dei) v. Cit. 23. 24.

CAPUT QUINTUM.

INSCRIPTIONES CARTHAGINENSES.

In veteris Carthaginis ruderibus, quae nuper demum eximia Falbii (v. pag. 8) atque Duravii (Dureau de la Malle *Recherches sur la topographie de Carthage. Avec des notes de M. Dusgate.* Paris 1835. 8.) opera diligentius descripta et docte illustrata sunt, ante annum 1817 nullum veteris scripturae linguaeque monumentum inventum, nullum certe in lucem publicam editum est, quan-

Digitized by Google

quam unius apographum iam diu Oxonii latitasse videtur (v. no. 55). Quae eo, quem diximus, anno et deinceps primum ab Humberto, dein a Falbio et Scheelio eruta sunt marmora, cuncta quod sciam eodem in loco inventa sunt prope pagum hodiernum intra veteris Carthaginis moenia situm, qui ab aquaeductibus cisternisque antiquis معلقة, vulgo *Malqa* et *Malga* (k pro illius regionis more mollius prolato) appellatur. Quatremère notice sur un ms. arabe de la bibliothèque du Roi contenant la description de l'Afrique (Paris 1831) p. 63: „On voit à Carthage un palais appellé Moallakah معلقة qui se distingue par une étendue et une élévation prodigieuses. Il est composé de galeries voûtées qui forment plusieurs étages et qui dominent sur la mer" et Ebn Chaledun apud Quatremerium l. c. „à Carthage existent encore aujourd'hui les arcades dont se composent l'édifice appellé جنايا المعلقة [concameratio suspensa]. Les habitans de Tunis ont besoin de choisir les pierres qui doivent entrer dans la construction de leurs bâtimens; et comme les pierres de ces arcades sont fort estimées des architectes, on s'attache à en demolir quelque partie; mais ce n'est qu'après plusieurs jours d'efforts et un travail pénible, que l'on parvient à faire écrouler le moindre pân de mur." Cf. Falbe l. c. pag. 31. — A Malga orientem versus via ducit ad Necropolin Carthaginis (v. Dureau de la Malle pag. 91 sqq. et tab. 3) atque sepulcra, ad quae pertinuisse videntur cippi nostri no. 8. 9; alia magis australis ad maris littus fert, ad quam rudera exstant templi Deae Caelestis, in quibus Humbertiani lapides Tanaïtidi i. e. ipsi Deae Caelesti sacrati reperti sunt (v. Dureau pag. 170); ab occidente autem Malgae sunt ruinae amphitheatri, v. ad Carthag. 10.

XLVI — XLIX.

CARTHAGINENSIS PRIMA, SECUNDA, TERTIA, QUARTA.

Eximia haec monumenta in Museo Lugdunensi asservata, quae ***Humbertianorum lapidum*** nomine celebrantur, ***J. E. Humbertus*** (vide p. 9) anno 1817 prope Malgam vicum in ipso veteris Carthaginis solo trium quattuorve pedum humo tecta invenit, sibi invicem satis propinqua, ex eius regionis lapide calcario eoque fissili coloris e rubro cinerei (*röthlich-grauer Kalkschiefer*) affabre facta. De genuina horum titulorum et editione atque lectione et interpretatione quum Hamakerum inter et me aliquantum disceptatum sit, historiam litterariam eorum paulo copiosius et accuratius persequi placet: non eo profecto consilio, ut de meritis doctissimi Philologi, quem rebus humanis praematura morte ereptum patria luget, detraham et de meis coniecturis lapidum accuratius inspectorum auctoritate firmatis glorier, sed ut non sine caussa ab Hamakeri sententia tam cupide atque morose defensa recessisse et in mea et lectione et interpretatione perstitisse videar, caveamque ne palaeographiae disciplina a praeclari viri, in linguis tamen Orientis magis quam in scriptura exercitati, auctoritate aliquid detrimenti capiat.

Editionem igitur horum marmorum a se inventorum et paullo post a Friderico Guilelmo, Bataviae rege, coemtorum ipse Humbertus 1820 in patriam redux magno

Digitized by Google

cum doctorum hominum plausu curavit, hac inscriptione: *Notice sur quatre cippes sepulcraux et deux fragments; decouverts en 1817 sur le sol de l'ancienne Carthage, par le Major J. E. Humbert. La Haye*, chez Lion. 1821 fol. max. 10 pagg. cum duabus tabulis aeri incisis. Duplicem ibi dedit earum delineationem, alteram maiorem. (tab. 2), quae veram litterarum magnitudinem imitaretur, eamque perelegantem et (ut postea videbimus) accuratiorem: alteram in minus contractam, quae integrorum monumentorum figuram repraesentaret (tab. 1), sed eam in litteris sibi similibus parum accuratam, cuius negligentiae causa in eo quaerenda videtur, quod Humbertus in recensu litterarum p. 9 contexto plura elementa manifesto diversa, veluti

quorum primum est *Beth*, alterum spurium (nam in lapide est), tertium *Daleth*, quartum *Resch*,



quorum prius est *Lamed*, posterius *Nun*,



quorum primum et tertium est *Tau*, medium *Schin*, eiusdem potestatis esse perperam existimabat. Solam minorem illam delineationem repetiit Hamakerus in libello, quo suam harum inscriptionum interpretationem exposuit, ita inscripto: *Diatribe philologico-critica, aliquot monumentorum punicorum, nuper in Africa repertorum, interpretationem exhibens.* Lugd. Bat. 1822, 71 pagg. 4., cui accessit *C. J. Christ. Reuvensii periculum animadversionum archaeologicarum ad cippos Punicos Humbertianos Musei antiquarii Lugduno-Batavi.* Ibid. 22 pagg. 4. Adoptatis Humberti in constituendis litteris erroribus *) is ita legit et interpretatus est (vide pag. 2. 3):

No. III.

לרבתן תלת ול	*Dominae nostrae Tholath et*
בעלן לאדנן ב	*domino nostro, hero nostro, do-*
על חמלא תלד	*mino clementiae Tholad,*
דגדעת תרת	*propter sectionem uvarum* (l. mistionem musti)
הסבד בן עבעם נדר	*Hassobed filius Abiam, votum.*

Nomen deae תלת Hamakerus תּוֹלַת pronunciat pro תּוֹלָדֶת et i. q. Mylittam s. Venerem genitricem esse probatum it magno eruditionis apparatu: numen masculum ei adiungens תלד, quod Baali s. Soli respondeat (coll. אֶלְתּוֹלָד Jos. 15, 30. 19, 4). In sermone

*) In alphabeto ex his inscriptionibus facto sub litterâ *Daleth* comparent hae figurae:

quarum secunda est *Resch*, tertia *Beth*; sub *Lamed* duae figurae, quarum posterior est *Nun*; sub *Nun* duae, quarum prior est *Lamed*; sub *Tau* etiam , quod est *Schin*.

Digitized by Google

inscriptionis multas formas aramaicas admittit, ut ד propter, תרת pro תִּירוֹשׁ mustum (idque pro uvis), חמלא pro חֶמְלָה clementia, sermonemque phoenicium ad Aramaismum et Arabismum in permultis deflectere iterum iterumque inculcat.

No. II.

(ל)רבת(ן) חלת	*Dominae nostrae Tholath ....*
(ו)לאדנ(ן) בעל תמ	*et hero nostro domino Tammuz*
(ז)חלד דעבד אתמ	*Tholad, qui colitur hoc loco*
(ן) בגבדעת חרת בב	*propter sectionem uvarum*
(ד)ן דאתמן	*in agro* (?), *qui hic* (est).

אתמן accipitur pro chaldaeo חָמָּן i. q. שָׁם ibi; pro בגבדעת reponitur (quasi statuarii vitium sit) בגדדעת, Daleth bis posito, tamquam in forma Pilelica (imo Pilelica); בבדן coniicitur scriptum esse pro בפדן in agro.

No. I.

.....ל....ול[א]דנן ב	..... *et hero nostro*
[על] חמל .... תלד דעבדמנן בן	*domino clementiae Tholad, Ebed-Moneni filii*
חמתל בן עבד בעל	*Hamithal filii Ebedbaali.*

No. V.

[לבעל] חמלא תל(ד)	*Domino clementiae Tholad*
... ... לבעל בג	.... *domino Gabalae* (?)
בלא	

Quae quanquam neque sermonis phoenicii (i. e. hebraei) concinnitate, neque apta sententia commendarentur, a multis tamen adoptata sunt, quum de editionis integritate perpauci dubitarent, pauciores etiam ad lapides ipsos aditum haberent, Koppii autem de his lapidibus coniecturae ita comparatae essent ut hoc viro vix dignae ab Hamakero facili negotio exploderentur (v. *U. F. Kopp Bemerkungen über einige punische Steinschriften aus Karthago. Abgedruckt aus dem 17ten Jahrgange der Heidelberger Jahrbücher der Literatur. Heidelb.* 1824. Cf. Hamakeri epist. ad Rochettium, extr.). Dea Tholath igitur in libros mythologicos recipi coepit, et a me ipso in Pantheon punicum relata est (v. quae de religione veterum Carthaginensium disputavi in Ersch und Gruber Encyclop. T. XXI p. 97); quum non eo procederem scepticismi, ut de primis lapidum Humbertianorum formulis ab Hamakero recte lectis dubitarem. Dubitavi tamen de reliquis et coniecturam meam quasi praeteriens proposui *in Ephem. litt. Hal.* 1826 no. 111, brevius paulo post in *praef. ad Lex. hebr. minus* ed. 3 pag. XXX. In inscr. III inde a fine lineae secundae legendum suasi:

לבעל חמן . אש נדר ג..... בן עבדמלקר

Baali Hammanno (i. e. Solari). *Vir vovens* (est) *G..... filius Abdmilcari* s Heraclii. In inscr. II: עבדאשמן בן ..... עבראשמן . אש נדר לבעל חמן *Baali Hamman. Vir vovens* est *Abdesmun filius ..... Abdesmun.* In lapide primo lin. 2. חמן אש נדר עבדמלכ. Duas maxime res urgebam. Ac primum, non בעל חמלא legendum idque pro epitheto numinis masculi ficticii חלד habendum esse, sed ex auctoritate delineationis Humbertianae חַמָּן, בַּעַל חַמָּן autem esse Baalem Solarem s.

Digitized by Google

Solis deum, cuius statuae in V. T. sub nomine חַמָּנִים commemorarentur: in quam rem provocabam ad בעל חמן in lapide Melitensi (v. supra no. III), et ad ellipt. חמנא i. e. חַמָּנָא pro *statua Solis* in Inscr. Palmyr. III, lin. 2 cf. Lex. man. lat. p. 349 et Encyclop. l. c. Dein suspicabar, in his inscriptionibus pariter atque in Melit. 1 nomen proprium voventis praecedere formulam איש נדר *vir vovens*, ab Hamakero autem humaniter petii, ut ipsos lapides denuo inspiceret et possentne meae coniecturae cum ipsorum scriptura conciliari indicaret. Dum Hamakerus novas curas moliebatur in Miscellaneis Phoeniciis, in plurium coniecturarum mearum, quamvis sibi non cognitarum, societatem venit Steph. Quatremerius Parisiensis, in „*Mémoire sur quelques inscriptions puniques*“, quod prodiit in Diario Asiatico Parisiensi, et seorsum quoque editum est anno 1828. Is de negligentia apographorum editorum questus quattuor inscriptiones, quo est ingenio et sagacitate, hunc in modum et legendas et restituendas censuit:

No. III.

לרבתן חלת ול	*Dominae nostrae Thalath et*
בעלן לאדנן ב	*domino nostro hero nostro Ba-*
על חמן אשנד(ר)	*al Hamman, hoc quod vovit*
עבדעשתרת	*Ebed-Aschtoret,*
הספר בן עבדמלקר	*scriba, filius Ebd-Milcar.*

No. II.

לרבתן חלת ו	*Dominae nostrae Thalath et*
לאדנן בעל חמן	*domino nostro Baal-Hamman*
אשנדר עבדאשמן	*hoc quod vovit Ebed-Eschmûn,*
בן עבדעשתרת בן	*filius Ebed-Aschtoret, filii*
עבדאשמן	*Ebed-Eschmun.*

No. I.

..... ולאדן	..... *et domino nostro*
... חמן אש נדר עבדמלך בן	*Baal Hamman hoc quod vovit Ebedmolech, filius*
חשמן בן עבדבעל	*Haschmani, filii Ebed-Baal.*

No. V.

חמן אש נ..	*Hamman, hoc quod vovit*
..ד בעל בן	*Ebedbaal, filius ...*
... בן ...	*filius ...*

Et meam et Quatremerii lectionem in multis congruam, maximam partem ipsis lapidibus confirmari postea videbimus. Quid vero Hamakerus? Is (Miscell. Phoen. p. VIII. 105—107) „commenta nostra“ vix mentione nedum refutatione uberiore digna pronunciavit, et hominis invidi esse significavit, qui ridiculo modo scepticum ageret, ut bonae explicationis laudem sibi eriperet. Dudum se lapides accurate inspexisse et intellexisse, Humbertiana apographa adeo perfecta esse, ut nihil amplius desiderari possit; עבדמלקר neque in lapide legi, neque phoenicium esse, quum ת abiici

Digitized by Google

non possit; distinctionem inter Lamed et Nun ineptam esse (sic!), et quae eius generis plura non sine graviore stomacho evomuntur. Si sermone ab animi perturbatione libero Hamakerus de coniecturae meae inanitate retulisset, credidissem: impotentius disputanti non credidi, contra adhibita felicissima Quatremerii coniectura in disputatione de religione Carthaginensium (Encyclopaedie XXI p. 97) anno 1830 edita et in Thes. ling. hebr. p. 490 causam illam recolens lapidem *tertium* ita restitui:

לרבתן לחלת ול
בעלן לארנן ב
על חמן אש נד
ר גדעשתרת
הספר בן עבדמלקר

eamque lectionem lapide Hauniensi a Falbio edito (v. no. 50), qui feriis Paschalibus anni 1835 ad me pervenit, ita firmari comperi, ut de lapidum Lugdunensium lectione non amplius dubitarem. Tandem ipsos lapides inspicere et examinare mihi contigit, quum in itinere Anglico (mense Sept. 1835) Lugduni commorarer, et revera oculis meis vix credebam, quum in lapidibus ipsis paene omnia, quae Hamakerus ibi legi stomachosius negarat et pernegarat, expressa viderem, testibusque advocatis monstrare possem, insuper alia quaedam animadverterem, in quae sola ingenii coniectura nemo unquam incidisset, quorum praecipuum hoc erat, quod pro תלת manifesto ibi legitur תנת, ita ut praeter deum תלר etiam dea תַּלַת commenticia esset. Diligentissime igitur singulas litteras, maxime incertas talesque, de quibus inter nos certatum erat, candela ab utroque latere admota inspexi, cum apographis Humbertianis maiore et minore (quod quidem posterius multo minus accurate factum Hamakerus inter scribendum ante oculos habuisse videtur) contuli, singulisque litteris circino mensis apographi Humbertiani maioris exemplum ita emendavi, ut spondere possim, ea, quae in apographo meo dedi, ab omnibus probatum iri, quicunque in posterum hos lapides sanis et apertis oculis examinaturi sunt. Ut errores editionis Humbertianae et Hamakerianae ad capita quaedam revocata corrigamus, lectores haec fere teneant:

1) litterae *Lamed* et *Nun* in omnibus his lapidibus ita distinguuntur, ut Palaeographus lapidem inspiciens de singularum potestate dubitare non possit. *Lamed* est , *Nun* vel , raro (utroque scapo aequabili), vide prae ceteris no. 3 lin. 2. Quae quidem distinctio quum ab Humberto maxime in minore apographo saepe neglecta esset, hac negligentia effectum est, ut Hamakerus nullum fere discrimen inter utramque litteram intercedere sibi persuaderet (cf. pag. 34), pluraque magni momenti vocabula pro lubitu et pro praeiudicata sua opinione legeret. In his non solum est חמן, cuius ultima littera in bis ut in aliis multis lapidibus ubique manifestum est *Nun*, sed etiam תנת bis obvium inscr. III lin. 1 et inscr. II lin. 1, cuius media littera non potest non esse Nun, quae lectio etiam in lapide Atheniensi primo et Carth. 5 sole clarior est. In inscr. III lin. 1. scapus litterae Nun usque ad culmen litterae Beth lineae secundae descendit, quod plane neglectum est in Humbertiana delineatione.

Digitized by Google

2) Non minus recte a statuariis Carthaginensibus distinctae sunt *Daleth*, *Beth* et *Resch*, ab Humberto et Hamakero non semel confusae. Vocabulum נדר inscr. III lin. 3. 4 in lapide scriptum  apud Humbertum in maiore apographo satis recte pictum est, praeterquam quod superior scapus litterae Nun iusto longior est, in minore  , unde has litteras לוד legit Hamakerus. *Daleth* in voce אדן inscr. III lin. 2 in lapide est , in utroque Humbertiano , unde factum, ut Hamakerus etiam hanc figuram in alphabeto ad ד referret. *Resch* in voce ספר inscr. III lin. 5 in maiore apographo recte pictum, in minore scapum habet iusto breviorem, idque sequitur Hamakerus legens סבר, vocabulum nihili.

3) In ipso lapide *Schin* ubique differt a *Tau*, quod quidem discrimen iam Humbertus in delineando passim neglexit (utramque enim litteram is eandem putabat, v. *Cippes sepulcraux* p. 9), magis autem neglexit Hamakerus, qui etiam recte pictum ubique ת esse putat, ita ut Schin (frequentissima littera) ex eius alphabeto plane exulet. Male et medio scapo nimis longo ש pictum est in vocabulo אש III, lin. 3, maxime in minore apographo, unde factum, ut Hamakerus pro אש נדר legeret אתלדד *): non aliter in voce עשתרת III, lin. 4 et II, lin. 3, quam Hamakerus legit עתתרת...; recte picta est littera inscr. II, lin. 3. 5 in voce אֶשְׁמֵן, ab Hamakero tamen male lecta אחמן (אֲחַמֵּן ibi!).

4) Ut de singulis quibusdam vocabulis litterisque dicamus, in inscr. III, lin. 5 extr. manifesto legitur nomen proprium עבדמלקר. Littera enim penultima est *Koph*, et tertia, quae *Ain* videri possit, non *Daleth*, ita vicina est praecedenti *Beth*, ut scapus fere perierit. Idem vero vocabulum עבדמלקר legitur etiam inscr. I, lin. 2 extr., ubi Humbertus duas lineas negligens pro

debebat pingere

*) Vident lectores, quam egregio fundamento nitatur idolum masculum תלד, in quo vindicando ita Hamakerus: „Qui eiusmodi argumentis non convincitur (*me* Hamakerus significabat, qui mentionem numinis תלד in Lexici mei editione tertia tacite, sed sciens et consulto deleveram), ridendum se praebet, cum eiusmodi scepticismum affectet, qui solis mathematicis demonstrationibus aliquam vim tribuat." Miscell. phoen. p. 107.

Digitized by Google

Nihil igitur eo loco de עבדמנן, עבדמלך, עבדמלך, sed manifestum est עבדמלקר, de cuius formae authentia ab Hamakero addubitata postea videbimus. Ut autem supra inscr. III, lin. 5 pro *Ain* vidimus legendum esse *Daleth*, ita etiam inscr. I, lin. 2 littera septima manifesto est Daleth, et versu extremo legendum est: אש נדר עבדמלקר.

His, quae ad historiam litterariam harum inscriptionum pertineant, praemissis (silentio autem praeterire liceat *Hugii* in inscr. 3 interpretanda periculum, propositum in *Zeitschrift für die Geistlichkeit des Erzbisthums Freyburg*, fasc. VII p. 68 sqq., quod ex apographo minore Hamakeriano et ex Koppianis pendens non poterat non a vero aberrare), ad singulas ex apographo emendato interpretandas accedamus, initium facturi a *tertia* (no. XLVIII), utpote plane integra et optime conservata.

Hanc igitur nunc ita lego et interpretor

No. III.

לרבת לתנת ול	*Dominae Tanaïti et do-*
בעלן לאדן לב	*mino, hero, Baa-*
על חמן אש נד	*li Solari vir vo-*
ר נדעשתרת	*vens Gad-Astoreth* (fortuna Astartes)
הספר בן עבדמלקר	*scriba, filius Abd-milcar,*

a lectione mea coniecturali in Thes. p. 490 proposita inspecto lapide in tribus tantum litteris recedens, lin. 1. לרבת לתנת pro לרבתן תלת (ut cum Hamakero legeram) et lin. 2 לאדן לבעל pro לאדנן בעל. Ita enim sententia ipsa non mutata legere iubet manifesta litterarum figura, quae eadem est in inscr. Carthag. 5 huic simillima. Sed agite singula persequamur, eius quoque explicationis ratione habita, quam dedit *Lindbergius* in *Falbe Recherches sur l'emplacement de Carthage* p. 92.

לרבת לתנת (לְרַבַּת לְתָנִת) *Dominae Tanaïti.* Modo dixi, in lapide legi לרבת ל, non לרבתן. Lamed igitur ante singula utriusque numinis attributa repetitum est, ut in Melit. 1, lin. 1 לאדנן למלקרת, secus atque in Numid. 1—3: רבת — לאדן בעל חמן. (רַבַּת) *domina* autem (quod etiam Lindbergius ad Carth. 5 agnovit) absolute ponitur sine suffixo, ut paulo post לאדן לבעל חמן. De hac forma absoluta apud Phoenices longe usitatissima v. lib. IV, cap. 4, cf. ipsum רבת Eryc. lin. 1.

תנת (תָּנִת), non תלת, tum in nostro lapide, tum in geminis Carth. 2 et 5 (no. 47. 50), atque Athen. I lin. 2 legi, saepius iam diximus (pag. 114. 115 166. cf. p. 34) omnesque fassi sunt, qui eos lapides sine praeiudicata opinione examinarunt, ut Akerbladius, Lindbergius. Quae sit eius numinis ratio, supra (ad Athen. I) in universum disputavimus. Huius autem loci est, de eiusdem *apud Carthaginenses* cultu exponere paullo accuratius, in cuius disputationis limine lectoribus in memoriam revocamus, quod supra iam paucis significavimus (p. 162), omnes hos lapides deae *Thanith* s. Tanaïti cum Baal Hammane consecratos eo in loco repertos esse, ubi olim templum fuerat *Deae* (Iunonis, Veneris) *Caelestis*, quae quidem *Tanaïtidis* appellatio in Carthagine Romana omnium usitatissima fuisse videtur (v. Münter Religion der Carthager pag. 74. 75), quanquam etiam *Iunonis* atque *Veneris* nominibus ibi

Digitized by Google

salutabatur. Templum illud longe augustissimum et splendidissimum, anno demum 421 p. Chr. n. plane dirutum, de quo locus singularis est apud Prosperum Aquitanicum (Opp. III, p. 38: Apud Africam Carthagini *Coelestis* inesse ferebant templum nimis amplum, *omnium deorum suorum aedibus vallatum*, cuius platea lithostrata, pavimentis et pretiosis columnis et moenibus decorata, *prope in duobus fere millibus passuum protendebatur*), haud scio an idem sit, quod repraesentat numus satis notus (v. Eckhel doctr. num. IV, p. 138. *Bayer* in *palaeogr. Studien* tab. III no. 2), Veneri Carthaginensi inscriptus, quam dedimus tab. nostra 16 litt. c. Vel ex ingenti illius templi „omnium deorum aedibus vallati" auctoritate apparet, deae Caelestis numen omnium, quae Carthagine colebantur, sanctissimum et supremum habitum esse: idemque efficitur insigni hoc Apuleji, ipsius Afri, loco (Metamorph. XI p. 257 Bip.), ubi Luna (i. e. dea Caelestis) appellatur: rerum Natura parens, elementorum omnium domina, seculorum progenies initialis, *summa numinum*, regina manium, *prima Coelitum*, deorum dearumque facies uniformis ..... cuius numen unicum multiformi specie, ritu vario, nomine multiiugo, totus veneratur orbis. — Quo ea cultu proposita fuerit, scilicet leoni insidens atque fulmen manu tenens, tum idem Apulejus docet alio loco (VI p. 121 Bip. Magna Iovis germana et coniuga, sive tu Sami, sive *celsae Carthaginis* quae te virginem vectura leonis coelo commeantem percolit, beatas sedes frequentas, cf. Dion. 79, 12. Herod. 5, 6), tum numi Severi et Caracallae, natione Afrorum, deam imperatorum patriam eo quem diximus cultu repraesentantes (v. tab. 16, litt. a cf. Eckhel doctr. num. VII p. 183. 204), tum denique gemmae, eandem imaginem exhibentes, quarum unam (tab. 16 litt. b) dedimus ex Muenteri libro laudato (tab. 1 no. 13 cf. p. 70. 167), alteram (tab. 16 litt. d) ineditam ad exemplum musei Regii Berolinensis (v. Winkelmann description des pierres gravées class. 1 no. 14. Tölken Catalog der geschnittenen Steine class. no. 186. Praeterea multi sunt veteres de eximiae artis magnique pretii velo purpureo, quo Deae simulacrum velatum fuerit, cuius generis vela etiam in aliis *Iunonis Caelestis* templis memorantur (v. Trebell. Poll. in Cels. Athen. XII, 58. Aristot. mirab. auscult. c. 99): de magnae auctoritatis oraculo in templo Caelestis (Capitol. Macr. 3 et Pertin. c. 4) de lotionibus Deae sacris, de virginibus denique in eius honorem prostitutis deque turpissimis ludis ei exhibitis (August. civ. dei 2, 3. Salvian. de gubern. Dei 7, 16). Baalem Solarem deae nostrae, quae Lunam repraesentabat, maritum vel certe tali connubio dignum habitum fuisse, satis apparet ex vesano Heliogabali Augusti instituto, qui nuptias Dei Solaris Emeseni et Veneris Carthaginensis Romae magna cum pompa celebravit (v. Dion. et Herodian. ll. cc.): ad idem horum deorum connubium pertinent autem numi et inscriptiones Septimii Severi, Leptitani Afri, Africanorum superstitionum studiosissimi sectatoris (v. ad Tripol. 1), in quibus pro turpi illius temporis adulatione Augustus et Augusta instar Solis et Lunae, aeternorum siderum, repraesentantur. De numis v. Eckhel. D. N. VII p. 181, cf. inscript. apud Grut. IV, 17.

ולבעלן לארן לבעל חמן *et domino nostro, hero, Baal Hammano.* Suffixum additum est soli attributo בעל, quod h. l. sq. genit. deum tutelarem alicuius populi signi-

Digitized by Google

ficat. Erat enim בעל חמן dominus s. deus tutelaris Poenorum, ut Hercules in Melit. 1 lin. 1. appellatur בעל צר.

אדן sine suffixo absolute ponitur, ut Numid. 1: לאדן בעל חמן. — Lindbergius, vir cel. litt. 4 lin. 2 et in loco gemino Carth. 5 lin. 2 litt. 2 *Caph* esse censet, non *Nun*, iccirco legens: לבעל כל אדן (לְבַעַל כָּל־אָדֹן) *domino cuiusque heri:* neque negandum est, illam figuram utroque loco Caph litterae similem esse. Sed utraque illa figura, nostra et Carthag. 5 lin. 2, 2, etiam *Nun* esse potest. Ac nostra quidem femore inflexo in his ipsis cippis Carthaginensibus satis frequens est, ut Carth. (Humb.) 2, ubi eadem quater comparet, et Carth. 9 lin. 2 (in חכא): ea autem, quae Carth. 5 lin. 2, 2 est, Caph litterae etiam similior, non minus certo est *Nun*, cuius crus paullulum supra genu ascendit, v. num. Gaul. litt. E (in אנך). Athen. 1, 1. Sard. lin. 2 litt. 1, et similes figuras, quas lib. 1 §. 25 exhibuimus sub no. 10. 11. 12. et 13—15. Atque hanc quidem eius litterae lectionem (Nun), sententia atque reliquarum inscriptionum analogia egregie commendari, facile consentient omnes. Etenim litteras לאדן לבעל חמן . לבעל ita dispescendas esse, ut לאדן separatim verbum constituat et arcte iungantur verba לאדן בעל חמן, id efficitur analogia formulae לאדן בעל כמן et לאדן בעל חמן, quae Numid. 1, 2. 3. 4 quater habetur. Quod si igitur ל pertinet ad אדן, sola littera illa dubia, sive ea Nun est sive Caph, superest, quae non potest non coniungi cum לבעל. Atqui לבעלן *domino nostro* aptissimum est huic contextui, cf. לאדנן למלקרת *domino nostro Melcartho* Melit. 1, 1; בעלך apta sententia caret. Vident ex his lectores, quid obstet lectioni לבעל כל אדן; quam frigida autem sit sententia: *domino cuiusque heri*, nemo non vel me tacente intelliget.

בעל חמן (בַּעַל חַמָּן) in lapidibus Humbertianis et in Melit. 3 esse *Baalem Solarem* s. *Solis deum* a Phoenicibus et Carthaginensibus impensius cultum, in eo dudum consenserunt litterarum Phoeniciarum scrutatores (v. Kopp über punische Steinschriften p. 7. Lanci sopra il bassorilievo di Carpentrasso pag. 63. Lex. nostr. hebr. man. ed. 2 praef. pag. 31. Thes. ling. hebr. T. I. pag. 490 et *Encyclop. der Wissenschaften und Künste* T. XXI p. 97, *Quatremère* in Nouveau Journal Asiatique 1828 p. 15 sqq. Lindbergius, Hugius ll. cc.): unus assensum negabat Hamakerus (Miscell. pag. 49. 50, 91), qui in Humbertianis legit בעל חמלא *dominus clementiae* i. e. clemens, in Melit. 3 בעל חמן a se invicem secernit et posterius (lapidem) *solarem* interpretatur. Nunc, ubi in scriptura חמן (כמן) consentiunt *decem* monumenta, quae maximam partem ipsi vidimus atque examinavimus, non dubitamus etiam *οικτιρωτάτῳ* homini satisfactum iri. Legitur enim בעל חמן 1) in Melit. 3 lin. 3. 4: לבעל חמן אבן (erexit) *Baali Solari lapidem.* 2—5) in quattuor Humbertianis, in quibus non solum ipsi lapides, sed etiam exemplum Humbertianum manifesto habent חמן, non חמל, frustra renitente Hamakero. 6) eodem contextu in Carthag. 5 s. Hauniensi. 7) in Numid. 1, quae orditur ab hac formula: לאדן לבעל חמן מלך עלם *Domino Baali Solari, regi aeterno*, cui accedunt 8. 9. 10) Numid. 2. 3. 4 in quibus pro בעל חמן scribitur בעל כמן (ח et כ permutatis), ne memorem fragmentum Lugdunense (Carthag. 6), in quo Nun littera periit. — Ex undecim his lapidibus votivis quinque Baali Solari soli consecrati sunt

Digitized by Google

(Melit. 3. Carth. 6. Numid. 1—4), in reliquis (Carth. 1—5) *Baal Chamman* copulatur cum idolo muliebri תנת s. Artemide. Imaginem autem numinis habes in monumento Numidico primo (no. 57), ubi Baal Hammân capite radiato conspicitur in sacello positus duas arbusculas manu tenens, atque, ne dubites Dei Solaris imaginem tibi depingi, rudior Solis imago superiorem lapidis partem occupat, item in Numid. 4, ubi brachia eius in uvas et mala punica exeunt. Significatur hoc emblemate, solem a Poenis cultum titulisque celebratum esse utpote fertilitatis et omnigenae ubertatis datorem, quod magis etiam arguunt reliquae imagines in his lapidibus conspicuae, ut ovis, equi, vaccae (no. 59), avium, piscium, arborum, fructuum et florum.

Disertam *Hammani* apud veteres scriptores mentionem diu desideravi, quod olim male me habebat, quum vix probabile videretur, omnem numinis tanta cum religione a Poenis culti mentionem interiisse. Tandem incidi in duos locos Strabonis, quibus ad inscriptiones nostras illustrandas nihil accommodatius et exoptatius cogitari potest. Quemadmodum enim in his titulis בַּעַל חַמָּן copulatur cum Dea תנת i. e. Tanaïti et Anaïti, Carthaginis daemone tutelari, ei tamen utpote numini primario postponitur, ita apud Persas *Amanus* s. *Omanus* communia cum Anaïti templa habebat, minoris tamen auctoritatis quam ipsa dea fuisse videtur. Strabo XI, 8 §. 4 de Sacis Saccaea celebrantibus: *τὸ τῆς Ἀναΐτιδος καὶ τὸ τῶν συμβώμων θεῶν ἱερὸν ἱδρύσαντο Ὠμανοῦ* (ita codd., edd. *Ἀμανοῦ*) *καὶ Ἀνανδάτου Περσικῶν δαιμόνων.* (Pro *Ἀνανδάτου* cum aliis malim *Ἀμανδάτου* חמנדת *a Sole datum*, ut filius geniusve Solis intelligatur. Reland diss. miscell. II, p. 123 suspicatur *Ἀμορδάτου* امرداد). Idem XV, 3 §. 15 p. 733 Casaub. *Ταῦτα* (scil. sacerdotes preces facere velatos et virgarum fasciculos tenentes) *δ' ἐν τοῖς τῆς Ἀναΐτιδος καὶ τοῦ Ὠμανοῦ* (edd. *Ὁμανοῦ*, *Ὡμανοῦ*, Moscov. vet. int. Amani) *ἱεροῖς νενόμισται· τούτων δὲ καὶ σηκοί εἰσι, καὶ ξόανον τοῦ Ὠμανοῦ πομπεύει. Ταῦτα μὲν οὖν ἡμεῖς ἑωράκαμεν· ἐκεῖνα δ' ἐν ταῖς ἱστορίαις λέγεται κ. τ. λ.* ubi iam Bochartum (geogr. s. pag. 245) atque Hydeum (de rel. vet. Pers. pag. 94) Omanum cum חַמָּנִים obiter comparasse video. Occurrat forte aliquis, communia Omani s. Amani et Anaïtidis sacra apud Strabonem Scythis et Persis tribui, idque nihil ad Phoenices. Sed is memor sit, Saccaea a Scythis celebrata festum fuisse origine Babylonicum (v. Athen. 14, 10 ibique Casaub. Hesych. II, 1139), et Anaïtidis s. Veneris Uraniae cultum teste Herodoto (1, 131) ab Assyriis i. e. Babyloniis et Arabibus esse repetitum. — Ad Babylonios *Hammanum* colentes iam delatus quaerere possis, sitne aliqua inter חַמָּן et *Ὡαννην* necessitudo. Sed haec Mythologis disputanda reliquimus (v. Creuzeri Symbol. II, p. 31 not.) aliam nunc quaestionem strictim tractaturi cum argumento nostro propius coniunctam.

Namque de origine communium apud Poenos Persasque Hammani et Tanaïtidis (תנת) sacrorum quaerentibus nobis, et longe plerasque Poenorum religiones originis aegyptiacae esse *) reputantibus sponte succurrit ea cogitatio, etiam horum numinum

*) De cultu *Osiridis* et *Serapidis* apud Phoenices diximus ad inscr. Melit. 1, cf. numos Cossyrae lib. III, 13. Praeterea aegyptiacae originis est cultus *Esmûni* s. Aesculapii (vid. ad Cit. 4),

Digitized by Google

origines in Aegypto quaerendas esse, atque supremis Aegypti numinibus *Amoni* et *Neithae* respondere *), quorum religiones eodem modo inter se consociatae erant. Atque profecto non nomina tantum mirifice concinunt, cui rei soli non multum tribuerim, sed quod multo gravius est etiam attributorum et totius naturae mira est similitudo. Namque *Amon*, plenius *Amon-Re* Aegyptiorum, cogitabatur opifex (δημιουργός) mundi et Solis, Solem repraesentans, communibus cum Neitha sacris cultus; oves et arietes ei sacri et in templis Thebano et Saïtico nutriti (Strabo XVII p. 559); sacraria obeliscis circumdata **). Neque aliter בעל חמן Solis erat deus, fertilitatis omnigenae dator, una cum תנת celebratus; oves in monumentis eius depictae; cippi obeliscis similes in eius honorem exstructi. Pariter *Neitha*, totius naturae generatrix, Solis parens et opifex mundi ***), regina deorum, praeses belli et militum †), cui leones sacri, propterea saepe picta capite leonino gladiis et arcu munita ††) in plurimis convenit cum תנת s. dea Coelesti, quam Reginam Coeli, primam coelitum, appellatam, armatam, leonibus insidentem depingi vidimus (p. 169). De nomine תנת *Tanith* probabiliter ex aegyptiaco *ta-Neith* repetendo iam supra dictum est pag. 117. 118, similiter autem de phoenicio חמן (hebr. secundum puncta masorethica חַמָּן, pl. חַמָּנִים vide Thes. ling. hebr. T. I. p. 490) statui potest, quod etymon quidem admittit non ineptum ex lingua hebraea petendum, sed nihilominus originis aegyptiacae esse potest ab *Amon* (ⲁⲙⲱⲛ, אָמוֹן Jer. 46, 25, gr. Ἄμμων, Ἀμμοῦν) ductum, apud Phoenices, Poenos et Hebraeos vero ita conformatum, ut domesticam originem redoleat, id quod in sexcentis vocibus aegyptiacis factum esse constat (cf. מֹשֶׁה, בְּהֵמוֹת, חַם). Ex Masoretharum auctoritate חמנים in V. T. pronunciantur חַמָּנִים, et eodem modo plerique phoenicium חמן pronunciarunt חַמָּן: attamen non repugnem, si quis spreta illa auctoritate cum Lindbergio, Lancio חַמֹּן pronunciare velit, quod idem etymon admittit nominique aegyptio similius est.

אש נדר) i. e. אִישׁ נֹדֵר *vir vovens*, de qua locutione vide ad Melit. I lin. 1, pag. 97.

Cabirorum et *Pataecorum* (modo hi diversi sunt), *Vulcani* (v. numos Malagae) al. Solus *Herculis* Phoenicii (מלקרת Melicertae cultus Phoenicibus proprius et domesticus esse videtur, neque habet quod ei respondeat in Aegypto: nam etiam *Astarte* fortasse eadem atque *Athor* Aegyptiorum, cui non obstat, quod illud nomen etymon in linguis semiticis (vel certe persica) habet.

*) חַמָּן idem esse numen atque Aegyptiorum *Ammonem* (אָמוֹן Jer. 46, 25) praeter alios dixerunt *Lindbergius* et *Lancius* ll. cc.; תנת esse *Neitham Akerbladii* coniectura est (vide ad Athen. 1).

**) Cf. Jablonski Pantheon aegypt. I p. 157. Champollion Panthéon de l'Egypte no 1 sqq. Thes. ling. hebr. v. אָמוֹן.

***) In templi Saïtici inscriptione haec erant ultima verba: ὃν ἐγὼ καρπὸν ἔτεκον, ἥλιος ἐγένετο. Proclus ad Plat.

†) Herod. II, 164. 165. In imaginibus saepe Neith ita repraesentatur, ut militem iuvenem inauguretur, v. *Hirt über die Bildung der ägyptischen Gottheiten* (Berlin 1821) p. 23, et quae ibi laudantur.

††) „*In den Ruinen von Apollinopolis magna erscheint in einem Aufzuge bewaffneter Götter die Göttin mit der Löwenmaske fünfmal, bald mit zwei Schwertern, bald mit dem Bogen bewaffnet* (B. I. Pl. 63, fig. 6. Pl. 64. tab. 5, fig. 37).“ Hirt l. c. pag. 24.

Digitized by Google

Nomen proprium voventis גד עשתרת (גַּדְעַשְׁתֹּרֶת vel גַּדִּיעַשְׁתֹּרֶת) est *fortuna Astartes*, cui simile hebraeum גַּדִּיאֵל (fortuna Dei) Num 13, 10, illud autem eximie aptum, quum Baal et Astarte sint *Fortunae* numina, propterea גַּד et מְנִי dicta (v. quae disputavimus ad Jes. 65, 11).

הספר) i. e. הַסֹּפֵר *scriba*, ut primus recte legit Quatremerius. Media enim nominis littera ב esse non potest, quod alio modo pingitur in his inscriptionibus: פ ita pictum habes Carthag. 5 lin. 4 in voce שפט et saepe (v. pag. 41). Noli vero scribam cogitare vilem et ignobilem. Namque Gad-Astoreth scriba erat filius *Abdmilcaris Suffetis* (Carthag. 5) et quemadmodum apud Hebraeos הַסֹּפֵר regis amicis summisque administris accensebatur (2 Sam. 8, 17. 20, 25. 2 Reg. 12, 11. 19, 2. 22, 3 sqq.), ita etiam apud Carthaginenses *scribae* munus in maioribus magistratibus fuisse videtur. Fortasse iidem punice ספרים vocabantur, qui a Romanis *quaestores* (Liv. 23, 15. 33, 46), pecuniam publicam curantes, quorum munus proximum erat a Suffete (Liv. 33, 32). Etenim in V. T. סֹפֵר esse videtur pecuniae in bello exactor (Jes. 33, 18), et haud scio an apud Persas quoque satraparum scribae (Esr. 4, 8. 9. 17. 23), *γραμματισταὶ βασιλήϊοι* (Herod. 3, 128), aerarii publici curam habuerint.

בן עבדמלקר) *filius Abdmilcari* (Heraclii). Quod a me et Quatremerio coniectatum erat, id in lapide re vera legi, iam supra dixi (p. 167) satisque mirari non possum Hamakerum, qui מלקר pro מלקרת dici posse negabat. Debebat enim memor esse nominum *Hamilcar* (חנמלקר), *Imilcar*, *Bomilcar*, et eiusdem apocopes in *Bodostor* (בדעשתרת), ne memorem בקי מלקר in numis Vaccae (lib. III, no. 23) et מעקר pro מלקר Tripol. 2 lin. 1. Ipsam nostram formam habes in Carth. 1 lin. 2, pleniorem עבדמלקרת in Carth. 5, ubi nescio an *Abd-milcari Suffes* sit noster *Abdmilcar*, pater Gad-Astoreth scribae. Uterque enim lapis in eodem loco repertus est, ambo sibi simillimi et fortasse ab eodem statuario incisi sunt, ut solent monumenta ad unam eandemque familiam pertinentia (cf. Athen. 1. 2). — Quod Lindbergius postremam lineam legit הַסּוּר בן עב-עמנרד *Syrus*, *filius Ab-Amnardi*, ex parte ex falso apographo pendet: סוּר autem (quod scribendum erat סֻרִי סרי) ferri non potest: accedit quod secunda littera Waw esse non potest, vide lin. 1 litt. 9.

Est igitur hoc monumentum lapis votivus Deae Tanaïti i. e. Artemidi s. Lunae et Baali Solari positus a Gad-Astarto, quaestore Carthaginensi, homine nobili, Suffetis filio.

In ornamentis eius praecipue notanda est *manus extensae* figura, quae etiam in lapide Hauniensi (Carth. 5) et in Humbertii *quarto* eoque illiterato cernitur, cuiusque vestigia praeterea in *secundo* et *quinti* fragmento comparent (v. *Humbert* pl. 1). Quod Humbertus manus illas ex superstitioso quodam hodiernorum Arabum usu explicuit, qui ubi invidiam et fascinationem per oculos timent ei remedium adhibent vel manum vel manus imaginem in collo gestatam aut aedificiis appictam (Shaw Voyages I, 397), id mihi longe petitum videtur: quanquam non displicet Reuvensio (p. 6. 7). Ingeniosius videri possit, quod Hamakerus observat (diatribes p. 20), יָד *manum* apud Hebraeos esse *monumentum* tum victoriae 1 Sam. 15, 12, tum sepulcrale inter vivos

Digitized by Google

positum 2 Sam. 18, 18: eo igitur signo nihil amplius quam monumenti publici indicium contineri. Sed vera tamen causa, cur יָד et *manus* et *monumentum* significet, nulla alia esse videtur, quam quod *manu* monstratur et *indicatur*: atque frigidius videri possit, monumento cuidam insculpere symbolum, quod nihil amplius quam monumentum significet. Ut meam de hoc symbolo sententiam dicam, mihi *manus* illa *elata* precantis adorantisque vel etiam voventis esse videtur, ut Hebraeorum phrasis *tollere manum* (נָשָׂא יָד) non solum iurantis sed etiam adorantis est (Ps. 28, 2. 63, 5. 134, 2): et eandem repraesentationem memini me videre tum in monumentis aegyptiacis, qui lapides votivi esse videntur, tum in memorabili quodam monumento Indico, quod in atrio Societatis Asiaticae Londinensis propalam collocatum est, lapidibus nostris Punicis non dissimili, inscriptione tamen sanscritica munito. — Duae illae figurae, quae infra aream a dextra et sinistra parte comparent, rudiores sunt Baalis et Astartes imagines in monumentis Phoeniciis saepe obviae (v. num. Cossur. lib. III no. 13).

* * *

Sequatur lapis Humbertianus *secundus* (Carthag. 2 no. 47) a dextra parte et superne paullulum laesus, ita quidem, ut tenues lapidis fissilis laminae a superficie solutae deciderint, litterarum autem altius incisarum vestigia nihilominus hic illic conspiciantur. Formula, qua monumentum utrique numini consecratur, eadem est, solum nomen proprium voventis diversum.

Litteris quae desunt ex superioris inscriptionis rationibus restitutis universum titulum ita lego et interpretor:

(ל)רבת לתנת ולבעל	*Dominae Tanaïti et domino*
(ן) לאדן לבעל חמן	*nostro hero Baali Solari*
(א)ש נדר עבדאשמ	*vir vovens Abd-Esmûn,*
(ן) בן בדעשתרת בן	*filius Bed-Astoreth filius*
(ע)בדאשמן	*Abd-Esmûni.*

Cf. Encycl. germ. XXI p. 97. De nomine *Abd-Esmûn* (cultor Aesculapii, Asclepius), quod vovens cum avo suo commune habet (v. ad Melit. 1 p. 100), vide ad Cit. 4. Pro בדעשתרת *Bed-Astoreth*, quod in lapide est, Quatremerius coniecerat עבדעשתרת. Sed integra est forma בדעשתרת, abiecta littera ע, cf. בדאשמן Cit. 3. Ita nomen *Abd-Astartus* (עבד עשתרת) graece raro plene effertur, plerumque contractius *Bodastor* (בדעשתר), adeoque *Bostor* v. lib. IV c. 3. Videant autem viri docti, sitne בֶּדֶן nomen iudicis Israëlitarum 1 Sam. 12, 11 ex עבדן potius ortum, quam praeeunte Chaldaeo interprete ex בֶּן-דָּן filius Dani. Ut dicam, quod sentio, בדן l. c. eundem iudicem esse censeo, qui Iud. 12, 13. 15 appellatur עַבְדוֹן.

In apographo Humbertiano duo maxime emendanda inveni: 1) lin. 2 littera tertia a fine, quanquam ex parte evanida, manifesto fuit ח, non ת. 2) lin. 4 littera quarta in lapide est *Daleth*, non *Beth*.

Digitized by Google

Vasculum, quod infra inscriptionem in hoc lapide comparet, ad cultum sacrum haud dubie pertinet: non ad vindemiam, de quo Hamakeri commento in hac inscriptione ne γρῦ quidem comparet.

* * *

In *primo* lapide (Carth. 1. no. 46) pingendo, quid ab Humberto praetermissum sit, iam supra vidimus (p. 167). His emendatis et primo versu adhibitis litterarum superstitum vestigiis instaurato (vide tab. 14) universum titulum ita legimus:

לרבת לתנת ולבעלן לאדן לב
על חמן אש נדר עבדמלקר ב
ן חמית בן עבדבעל

Dominae Tanaïti et domino nostro hero Baali Solari vir vovens Abdmilcar filius Chamjith, filius Abdbaal.

De singulis haec observanda supersunt:

Lin. 2. in vocabulo נדר spatium quidem est inter litteras *Daleth*, quae arctius iuncta est praecedenti *Nun*, et *Resch*, sed nihil deest. Lapis ibi maculam habebat asperiorem, quam vitaturus statuarius locum vacuum reliquit. De nomine עבדמלקר v. ad Carth. 3 lin. 5, p. 173.

Lin. 3. in nomine proprio patris constituendo haereo. Primae eius litterae חמ perspicuae sunt: quarta ת esse videtur, tertiae nonnisi pars superest, ex qua supplendo et ת efficias et י. Haberes igitur חמתת vel חמית, quod posterius praetuli, addens coniecturam, חַמְיִת vel חַמְיֵת dictum esse posse pro חמניתן (quem Sol dedit).

Equi ornamentum in hoc lapide vel inde repetas, quod equi Soli sacrati erant (v. ad Cit. 2 pag. 130), vel quod equus Carthaginis symbolum et emblema erat, ut ex numis Punicis capite equino ornatis apparet (lib. III, no. 9).

* * *

Fragmenti *quinti* Humbertiani (Carthag. 4) inscriptio litteras habuisse videtur tertiae similes et lineas eodem fere modo dispositas. Duas igitur lineas periise existimo, ita ut tres, quae supersunt, tertia, quarta et quinta fuerint. Has ita supplendas puto:

[על] חמן אש[נ]	*Baali Solari vir vovens*
[דר ח]נבעל בן ^	*Hannibal filius* .
^ ^^^ בן א^^^	.... *filius A*.....

fortasse *Esmuni* (אשמן), quod nomen proprium a littera א incipiens spatium quattuor litterarum explet.

De lapidibus Humbertianis haec sufficiant. Si quis forte fuerit, cui dubitationes supersint de primariis eius formulis recte a nobis explicatis, ei abunde fatisfiet collata

Digitized by Google

L.

CARTHAGINENSI QUINTA,

Humbertianis simillima, optimeque illa conservata et illaesa. Reperta est anno 1831 vel 1832 prope vicum Malgae haud procul ab eo loco, ubi Humbertiani lapides latuerant, et a SCHEELIO, Danorum in regno Tunetensi Consuli ab epistolis, ad Museum regium Hauniense missum, ubi etiamnum exstat. Edita est 1833 a FALBIO in *Recherches sur l'emplacement de Carthage* pl. 5 fig. 3, qui integri monumenti delineationem dedit in minus contractam et admodum elegantem, etiam in litteris phoeniciis reddendis a graviore errore liberam, id quod docebit delineatio nostra, veram inscriptionis magnitudinem referens, ab Hohlenbergio adhibito Falbii exemplo super ipso lapide diligentissime facta et una cum ectypo et commentariis ad me missa. Quae in exemplo Falbiano emendanda supererant, haec fere sunt: a) *Daleth* lin. 3 litt. 4. 8 iusto longiore scapo pictum erat, et eodem modo lin. 4 littera *nona*, quae propterea *Ḍaleth* potius quam *Resch* esse videtur. Lin. 2, 5 caput eius litterae superne subapertum est. b) *Waw* 1, litt. 9 superne rotundum est, non angulatum. c) *Tet* lin. 4 litt. 5 superne clausum est, et quae in medio est figura duobus potius signis constat, superiore rotundo, inferiore angulato. Hohlenbergius: „*das bey Falbe in dem Buchstaben angegebene Zeichen* ϛ *ist mittelst einer Verbindung entstanden, die gewiss nicht richtig ist. Es sind zwey Zeichen* ⊃. *Die Zusammenfügung an der linken Seite ist nur scheinbar, ist sehr schwach und verschwindet im rechten Lichte betrachtet. Sie gehört gewiss nur dem Steine, nicht dem Verfertiger der Inschrift an.*“ Idem duplex signum habes in littera *Ain* inscriptionis Tuggensis, nostro *Tet* simillima (p. 40). d) *Lamed* litterae crus subinde, ut 1, 5. 2, 3, iusto longius, femur iusto brevius pictum est lin. 1, 1. 5; genu non debebat dextrorsum descendere, ut 1, 1. 3, 10. Singularis eius litterae forma est lin. 1, 10, Nun litterae similis. e) *Nun* littera femur inflexum, non angulatum habet lin. 2 litt. 6, ut in Carthag. 2. f) Lin. 4 littera *quarta* curva est, non angulata, propterea pro *Phe* habenda ut iam antea conieceram, non pro *Waw*. Sed g) lin. 2 littera *secunda*, quae *Caph* litterae similior visa est quam *Nun*, recte se habet apud Falbium. Lapis ipse arenarius est; ornamenta affabre facta.

Interpretationem eius LINDBERGIUS dedit apud Falbium (l. c. pag. 84), quae haec est:

לרבת לחנת ולבע	*Magnae deae Tanath et domino cuiusque heri, Baali Hammoni,*
ל כל אדן לבעל חמן	
אשנדר עבדמלקר	*vovit se Abdmalkarthus Schotus, filius Barmalkarthi, filius Hannonis,*
ת השוטי בן ברמל	
קרת בן חנא	

quae quomodo emendanda sit, iam paucis dixi, *palaeographische Studien* pag. 62. Nunc, ipsius lapidis ectypum ante oculos habens et inspectis lapidibus Humbertianis de dea תנת (non תלת) meliora edoctus ita lego et interpretor:

Digitized by Google

לרבת לחנת ולבע	*Dominae Tanaïti et domi-*
לן לאדן לבעל חמן	*no nostro, hero, Baali Solari*
אש נדר עבדמלקר	*vir vovens Abd-Milcar-*
ת השפט בן בדמל	*thus Sufes, filius Bed-Mil-*
קרת בן חנא	*carthi, filii Hannae.*

De singulis breviores esse possumus, quum plurima iam in lapidibus Humbertianis interpretandis occupata sint.

לרבת לחנת) vide pag. 168. 169.

ולבעלן לאדן לבעל חמן) Una littera in his est, in qua offendere possit Palaeographus, *Nun* in לבעלן lin. 2 litt. 2, quod *Caph* esse censuit Lindbergius, contra quem disputavimus ad Carthag. 3 pag. 170, alia similia Nun litterae exempla alibi quoque exstare demonstrantes.

אש נדר) de hac formula vide pag. 97. 98, ubi etiam Lindbergii de ea opinionem (אשנדר pro אִתְנַדַּר, דְּתְנַדַּר vovit se) refellimus.

עבדמלקרת חשפם) Vocabulum חשפם *iudex*, *sufes* iam legimus ex Falbii exemplo iudicantes in exercitt. palaeographicis. Sed magis etiam haec lectio vera litterarum facie commendatur. Tertia enim littera, ut vidimus, non angulata est, sed rotunda, ut *Phe* in הספר Carthag. 3 lin. 5, *quarta*, quam Tet esse omnes viderunt, in medio non parvam quandam litteram, fortasse Jod, habet, ut suspicabatur Lindbergius (quod simili exemplo careret), sed eadem puncta dicam an ornamenta, quae et alibi in *Tet* et *Ain* litteris comparent (cf. Theta et Omicron Graecorum). Non igitur שופטי *Schotus*, *Schotensis* legendum, quod quid valeret ipse Lindbergius indicare non potuit, sed שפם. — *Abd-milcarthum Sufetem* probabiliter eundem esse, qui עבדמלקר appellatur Carthag. 3 lin. 5, supra observavimus. De *Sufetum* munere etiam in Carthagine Romana perdurante v. Hendreich de republica Carthaginensium p. 311 sqq.

בן בדמלקרת) Lindbergius legit ברמלקרת (filius Herculis), cui assensus sum in exercitt. palaeographicis. Quum vero collum litterae secundae brevius esse videam, quam in reliquis Resch, dubito sitne legendum בדמלקרת (servus Herculis) pro עבדמלקרת, quanquam obstat patris nomen a filii nomine vix diversum, quum alibi avi tantum et nepotis nomina congruere soleant.

בן חנא) nomen proprium avi חַנָּא valet *gratiam* sc. Deorum, cuiusmodi ellipsis est in hebr. עַבְדָּא *servus* sc. Dei, nisi est pro עבדחנא *cultor Hannae*, cf. pag. 117.

LI.

CARTHAGINENSIS SEXTA.

Lapis teste Hamakero Miscell. Phoen. p. 9. 10 ex ruinis Carthaginis a nescio quo erutus, et in libro laudato tab. 1 no. 2 editus, nunc in Museo Lugdunensi asservatur, ubi ipse eum vidi. Inscriptio trium linearum vestigia continens occupat superiorem partem lapidis 13 fere digitos longi, nunc fracti, cuius superficies

Digitized by Google

admodum aspera parumque polita insuper detrita est, nulla tamen ornamentorum vestigia habet.

Hamakerus l. c. missa prima linea alterius et tertiae litteras legit:

כנעמו

טב על חן

secundum gratiam bonam eius, *favoris causa habitam*, primam tertiae lineae litteram ם esse existimans, quum similem habeant Zabii. Sed huic similitudini non multum tribuerim, quum alphabetum Zabium a Phoenicio nimis longo spatio distet (vide pag. 64. 83). Equidem nil dubito eam esse Lamed (conf. simile in Numidicis), et tertiam lineam legendam:

לבעל חמ(ן)

De integro lapide mea coniectura haec est:

(ל)בעל(ן) ול

אדן למ(לך)

לבעל חמ(ן)

Illud certum, lapidem votivum esse Baali Hamman consecratum.

LII.

CARTHAGINENSIS SEPTIMA.

Fragmentum inscriptionis ab HUMBERTO e ruderibus Carthaginis erutum, sed dum inter varia antiquitatis monumenta ex Africa in Belgiam transferebatur, amissum. Delineationem eius ab Humberto factam dat HAMAKERUS *Miscell.* tab. 1 no. 3, explicationem ib. p. 11. Quattuor eius litteras is ita legit ימחת, de significatione nihil definiens: neque ego quidquam definio, quanquam primam litteram pro ה habere malim.

LIII.

CARTHAGINENSIS OCTAVA.

1. Inscriptio sepulcralis, anno 1823 in vicinia Malgae pagi reperta et in Museum Lugdunense delata. Delineationem eius a FALBIO sibi communicatam primus vulgavit et interpretatus est FRID. MUENTERUS in dissertatione Actis Societatis Regiae Danicae inserta et 1824 edita, hoc titulo: *Om en nylig blandt Ruinerne af Carthago opdaget Punisk Gravskrift*, 4. Apographum Falbianum repetiit additis nonnullis observationibus KOPPIUS *über punische Steinschriften:* aliam vero delineationem, priorem illam parum accuratam esse pronuntians, dedit HAMAKERUS, *Miscell. phoen.* tab. 1 no. 1, addito commentario ibid. p. 1—9. Meam de ea legenda opinionem paucis indicaveram in *Palaeographische Studien* p. 70.

Accuratior utriusque apographi cum ipso lapide comparatio, quam Lugduni institui, me docuit, in utroque illo exemplo esse, quae emendatione egeant, plura in Hamakeriano (vide lin. 1 litt. 1. 9. 11, lin. 2 litt. 3. 9. 11), pauciora in Falbiano (v. lin. 1 litt. 9. 10): novum ergo dedi, quod utriusque vitia emendaret. Ceterum inscriptio

Digitized by Google

illa reperitur in anteriore parte lapidis quadrati, 6 digitos crassi, qui in cacumine sepulcri muro insertus fuisse videtur. Litterae stilo admodum acuto in superficie bene levigata magis radendo quam insculpendo exaratae paullulum tenuiores sunt, quam in utroque apographo edito.

2. Ac *Muenterus* quidem (in consilium adhibito Lindbergio) epigraphen, quam sepulcrum mulieris ornasse idem recte observat, ita legebat:

קבר בתב(א) בת חמלות בן עבד
אשמן בן אשמניתן בן בריהרב

Sepulcrum Bathb(a), *filiae Hamloth*, *filii Abd-Esmûni*, *filii Esmunjitten* (quem Aesculapius dedit), *filii Barjahareb*,

quam lectionem (praeter unam litteram in חמלות et coniecturam de Bathba) omnino probo, quanquam ultimum nomen proprium aliter dispescendum arbitror. Itaque neque lectionem neque interpretationem emendavit Hamakerus l. c., qui titulum ita exponit:

קבר בתב(כי) בת חולכת בן עבד-
אַשְׁמֹן בן אִשּׁוֹן כִּתִּן בן בָּרֻךְ הָרַב.

Sepulcrum filiae fletus, *filiae infaustae filii Ebed-Asschemon*, *filii Ischon-Kittin* (pupillae Cypriorum), *filii Baruchi magni*,

quae legendi diversitas duabus maxime rebus nititur: *primum*, quod Hamakerus *Mem* lin. 1 litt. 10 et lin. 2 litt. 9 in ipso lapide linea media carere et *Waw* esse volebat, hanc lineam certe a statuario profectam negabat (qua quidem in re oculorum acies non potest non eum fefellisse, nam bene se habet Falbiana delineatio): *dein* quod idem non solum *Jod* bis obvium lin. 2 litt. 11. 18, sed etiam litteram incertiorem lin. 1 litt. 12 *Caph* esse opinabatur, illud certe invita Palaeographia. Sed videamus iam de singulis, praemissa nostra et legendi et interpretandi ratione.

קבר בתב(על) בת חמלכת בן עבד -
אֶשְׁמֻן בן אשמניתן בן ברי הרב

Sepulcrum Bathbaal, *filiae Hammalcuth*, *filii Abd-Esmuni*, *filii Esmûn-jitten* (quem Aesculapius dat), *filii Beri* (Fontani) *principis*.

In vocabulo קבר notandum est signum illud semilunare litterae Koph superscriptum, de quo mihi convenit cum Koppio l. c. p. 14, qui illud signum aliquod diacriticum vel orthographicum esse censet, quale Samaritani habent ad insolentiorem vocabulorum vulgarium pronuntiationem indicandam (Cell. horae Samarit. p. 65), idque h. l. significans, קֶבֶר pronuntiandum esse, non קָבַר. Sic Samaritani Ex. 5, 3 lineola super Daleth posita significabant, בדבר legendum בְּדֶבֶר, non ut vulgo בְּדָבָר. Probat etiam Hamakerus p. 9. Cf. supra pag. 56. Nomen mulieris sepultae Muenterus supplebat בַּתְבָּא (filia venturi), quum in Falbiana delineatione essent lineolae quaedam, quae pro vestigiis litterae Aleph haberi possent. Tales vero neque Hamakerus vidit, neque ego vidi, et recte hic observat, non unius, sed duarum litterarum spatium superesse, quod ex secundo

Digitized by Google

versu iudicari potest, qui eodem spatio habet שמ. Neque tamen probaverim Hamakeri coniecturam בתבכי *filia fletus*, quae vel eam ob causam displicet, quod mali ominis nomina propria (nomen proprium autem, non appellativum esse certissimum est) extimescebant Hebraei. Probabilem coniecturam propositurо ante omnia hoc tenendum videtur, duas litteras eligendas esse, quae scapo longiore inferiore careant (talis enim conspiciendum se praeberet, maxime in prima littera), eligi autem posse maxime in secundo loco talem, quae supra lineam ascendat. Atque his praemissis repono בתבעל (filia i. e. cultrix Baalis): haud scio enim an nullum exstet vocabulum a ב incipiens, quod melius quadret. Simile est hebr. בַּתְיָהּ (pro בַּת יָהּ) *filia* i. e. cultrix *Jehovae* 1 Par. 4, 18, et ex nominibus virorum בֶּן־הֲדָד *filius* s. cultor *Hadadi* (numinis Syrorum).

בת חמלכת) Nomen proprium patris mulieris sepultae totius inscriptionis incertissimum est. Secunda littera aperte *Mem* est, tertia ex Hamakeri apographo poterat *Nun* videri (quam ob causam nuper conieci חמנית), sed in lapide manifestum est *Lamed*, maxime dubia quarta, quae iusto brevior picta erat apud Hamakerum. Muenterus eam *Vav* esse statuit, et legit חַמְלוֹת, cui obstat brachium longius sinistrorsum porrectum scapusque inflexus; accedit quod ex scribendi lege Poenorum pro חַמְלוֹת s. חַמְלוֹת exspectes חמלת. Rectius Hamakerus eam *Caph* esse statuit (cf. supra §. 33 ibique no. 7), qua sententia probata integrum nomen חמלכת legendum est, quod dictum existimo pro חנמלכת i. e. vel חָנְמַלְכַּת *gratia regni*, vel חַנְמַלְכַּת *gratia reginae* (i. e. deae Caelestis aut Astartes), ut *Hamilcar* pro חנמלקרי *gratia Melcarthi* s. Herculis, *Himilco*, quod ex hoc ipso חמלכת ortum esse possit (v. lib. IV c. 3).

בן עבראשמן) v. hoc nom. pr. Carth. 2 bis, Cit. 12.

בן אֶשְׁמַנְיְהִן) Optime ita Muenterus. Ad Hamakeri autem dubia respondendum est, valere hoc nomen proprium: (quem) *Aesculapius dat*, non *(quem) dabit*, et eodem modo capiendum esse מלכיתן Cit. 4. 20. Quod vero ipse proponit Hamakerus, אשון כתן *pupilla Cypriorum*, neque lapidis scriptura fert (tertia littera manifesto est *Mem*, quinta, quae scapo iusto longiore picta est apud Hamakerum, *Jod*, cf. num. Syrac. E in אַיָּא et pag. 31), neque grammatica et orthographia punica, ex qua אשן כתן sine Jod scribendum erat.

בן בְּרִי דָּרָב) Ita has litteras dispesco, quum בַּרְיַהֲרַב etymo emendato careat, בָּרָךְ הרב litterae non ferant. בְּרִי est idem n. pr. quod בְּאֵרִי (q. d. Fontanus, ad fontem natus), quo insignitus erat pater Hoseae prophetae (Hos. 1, 1), etiam in V. T. בֵּרִי scriptum 1 Par. 7, 36, Aleph electo, ut in בֵּרוֹתַי (Berytus) pro בארותי, cf. pboen. רש pro ראש *caput* et supra pag. 57. הרב autem est *praefectus*, *magister*, ut Cit. 4, sive exercitus (cf. רַב טַבָּחִים 2 Reg. 25, 8), sive togatorum hominum quorumcunque, quanquam illud praefero. Desinit autem stemma, ut saepe, in hominem nobilem.

LIV.

CARTHAGINENSIS NONA.

1. Etiam hic titulus sepulcralis ante paucos annos ad Malgam repertus est; olim penes *Falbium* erat, nunc Parisiis penes *Turpinium* comitem. „*Ein Missver-*

Digitized by Google

ständniss hat, wie mir Hr. Consul Falbe erzählt, rücksichtlich des Besitzes desselben statt gefunden. Von Tunis wurde der Stein nach Paris gebracht, wo ihn Hr. F. bey seiner Ankunft vor einigen Jahren als sein Eigenthum anzutreffen glaubte: aber unterdessen hatte ihn der Graf Turpin gekauft, in dessen Besitz er sich nun befindet (Hohlenb. in litt. ad me datis)". A FALBIO primum editus est, *sur l'emplacement de Carthage* tab. 5 no. 5, ita quidem ut delineatio veram lapidis magnitudinem imitetur. Eandem etiam nos secuti sumus. Explicavit eum unus Lindbergius (apud Falbium l. c. p. 103) hunc in modum et legens et, quae desunt, supplens:

(קבר) יְהוֹבָס עֶבֶד — (Sepulchrum) *Jobasi, cultoris*
חַוָּא בן עַבְדְּאֶשְׁמֵן — *Hevae, filii Abd-Esmun.*

Hominem Carthaginensem sibi fingit qui nomen gerat יְהוֹבָס *Jehova conculcans*, et Evae, matris viventium, cultor fuerit, etiam apud Poenos religionis Judaicae asseclas fuisse statuens. Sed ex hoc titulo tale quid non efficias. Nam bene quidem Lindbergius duo ultima vocabula legit; sed 1) in unum vocabulum copulare non debebat litteras: יהובס: manifesta enim intercapedo inter Jod semifractum et He: cuiusmodi intercapedines etiam reliqua vocabula discriminant. 2) Duae litterae, quas *Vav* facit Lindbergius, aperte diversae sunt: et prior quidem lin. 1 manifestum est *Caph*, posterior *Nun*, eodem modo pictum in Carth. 2, et similiter Carth. 3, lin. 2. 5, lin. 2. 3) Fac, inter Carthaginenses homines fuisse unius dei cultui et religioni Judaicae addictos, a) talis hominis nomen proprium esse vix posset יְהוֹבָס: id enim de analogia nominum proprium a יְהוֹ, יו ordientium reddendum esset: *quem Jehova conculcat*, quale nomen pessimi ominis nunquam homini Hebraeo tributum fuisse spondeo; cui accedit quod ex lege orthographica scribendum erat יהבס sine Waw; b) magis etiam mirum esset, quod nomini proprio additur: עֶבֶד חַוָּא *cultor Hevae* i. e. interprete, Lindbergio „matris viventium." Tale enim nomen ne in nomine proprio quidem feras, nedum in appellativo. An usquam vel minimum vestigium reperitur, fuisse inter Judaeos qui *Evam* numinis instar colerent? et quomodo hoc exspectari possit a veri Dei cultoribus?

Nobis persuasum est (ut nuper paucis diximus: *palaeogr. Studien* p. 70), nil tale in titulo nostro inesse, sed verba ita legenda et instauranda esse:

(מ ב)חי הכבס עבד — (Cippus in vita) *fullonis Abd-*
חנא בן עבדאשמן — *Channae, filii Abd-Esmuni.*

Ut ordiamur a lacuna lapidis, praeter *Jod* supersunt scapi duo longiores, qui vel duas litteras longioribus scapis munitas (ut א, ה, ס) vel unam duplici scapo instructam produnt, qualis est ח (v. simile *Chet* lin. 2). Praeterea in lapide superest duarum litterarum spatium, sed breviorum, quales in hac inscriptione sunt ע, ב, מ, ן, ד. Haec omnia considerans reposui: מ' בחי *Cippus in vita* s. *vivente* N. N. positus, sequente genitivo. Cf. de hac formula varie expressa et scripta Athen. 1. Cit. 3. 23. Poterat etiam rescribi בחיי, sed spatium vix sufficiat duabus litteris: et

Digitized by Google

ח quoque potest legi חַיִּי pro חַיֵּי, ut שן בן Melit. 1 pro שְׁנֵי בְנֵי. Lindbergius reponens קבר litterarum vestigia non reputavisse videtur.

הכבס עבדחנא) הַכֹּבֵס עַבְדַּחַנָּא *fullonis Abd-Channae.* Complures titulos etiam opificum sepulcra ornantes iam supra vidimus Cit. 4. 7. 10; h. l. unum singulare, quod opificii nomen praeponitur nomini proprio, sed etiam in V. T. dicitur et דָּוִיד הַמֶּלֶךְ 1 Par. 24, 3. 28, 2, et דָּוִד הַמֶּלֶךְ, שְׁלֹמֹה הַמֶּלֶךְ 1 Reg. 27, 39. 43 et saepe. — N. pr. עבדחנא *cultor Hannae* arguit, חַנָּא fuisse numen vel hominem numinis instar cultum. In his autem fuisse *Annam*, Didûs sororem, prodit Hannibal apud Sil. Ital. 8, 50 sqq., cf. Ovid. Fast. 3, 543 sqq., unde apparet, Romanos mythum de Annâ Carthaginensi ad Annam Perennam, veteris Latii, ut videtur, numen anni orbem repraesentans, retulisse.

LV.

CARTHAGINENSIS DECIMA.

Quam sub hoc numero dedi inscriptionem turpiter habitam et vix legendam, petita est ex libro inscriptionum *Beverlandi*, qui inter codices d'Orvillianos Oxonii in bibliotheca Bodlejana asservatur X, 2 insr. 2, 39, unde meum in usum descripsit Cl. *Reay*. Beverlandi sive alius cuiuspiam manu adscriptum est, eam in amphitheatro Carthaginensi (de quo v. *Temple Excursions* I pag. 106. *Dureau de la Malle* p. 186) repertam esse: quando et a quo reperta sit, ubi nunc sit lapis, de eo nihil additur. Duobus versibus Punicis longioribus (quos nos quattuor lineis reddidimus) superscriptae sunt sex lineae litterarum africanarum s. libycarum (de quibus vide ad no. 56), ita quidem, ut inscriptio bilinguis punico-libyca esse videatur. Atqui Libyca certe inscriptionis pars in amphitheatro Carthaginensi reperta esse non potest: sex enim huius inscriptionis lineae nihil continent nisi mutilum apographum inscriptionis Libycae in monumento Tuggensi (no. 56), in quo quarta eius linea omissa est: neque credibile est eandem inscriptionem etiam Carthagine repertam esse. In duobus versibus Punicis nulla est cum Punicis in monumento Tuggensi similitudo: possintque igitur hi in amphitheatro Carthaginensi, sed sine litteris Libycis, reperti esse. Et haec autem tam male habita sunt, ut interpretatio vix tentari possit. Nolui tamen retinere apographum iam 1825 ab Odofr. Muellero mecum communicatum, in quo fortasse alii vires periclitabuntur: hoc unum affirmans, litteras Punicas et Libycas non eandem sententiam continere et vix in eodem marmore repertas esse.

CAPUT SEXTUM.

INSCRIPTIONES PUNICO-NUMIDICAE.

Punico-Numidicas eas appellamus inscriptiones africanas, quae extra Carthaginem in variis partim agri Carthaginensis partim Numidiae regionibus repertae peculiari quodam scripturae Phoeniciae genere, negligentiore illo et rudiore, inscriptae sunt, quod *Numidicum* appellavimus, cuiusque rationes antea non cognitas tum in singulari libello (pag. 8), tum supra lib. 1 §. 35 cf. §. 7. 12 sqq. exposuimus.

Digitized by Google

LVI.

THUGGENSIS BILINGUIS PUNICO-LIBYCA.

1. *Tucca* (*Τούκκα* Ptolem. IV cap. 3) s. *Thugga* (v. inscriptiones latinas Thuggae repertas in *Shavii* Voyages T. I p. 222 ed. gall. et *Temple* Excursions in the mediterranean II, p. 311 sqq.) oppidum erat Numidiae novae haud procul a Bagradae (ماجردة) fluvio meridiem versus in vicinia Tubursiccae teste Ptolemaeo l. c. 29°, 30′. 31°, 20′ situm, et hodieque antiquo nomine *Dugga* s. *Ducca* (دقة ex molliore illius regionis pronunciatione *Dugga* cf. معلقة vulgo *Malga*) appellatur inter Tubursuk et Eja duorum fere dierum itinere a Tunete distans. In ruinis eius a Shavio, qui Thuccam ipse non viderat, brevius tantum memoratis, copiosius descriptis a Templio, praeter templum Jovis Trajani tempore consecratum, arcum triumphalem et duodecim cisternas antiquas est *mausoleum* pulcherrimum egregie conservatum, in cuius latere orientali inscriptio nostra incisa est. Elegans eius delineatio Lugduni in schedis Borgianis latet: Templius autem (pag. 72) ita descripsit. „The monument which next attracts our notice from its beauty and preservation, is a mausoleum standing in the centre of an olive grave, a little beyond the boundaries of the town and to the south of the village: it measures at present fourthy-one feet in height, but was originally much loftier and at the base it is twenty-eight feet seven inches square. It consists of two stories and a part of the third: the lower of which contains four double rooms or receptacles for the bodies and has two intrances, one of the north, the other on the east, which were closed by a sort of port-cullis or stone working up and down in a grqove. The second story has two rooms and one entrance closed in the same manner as the lower ones; and above this rose either a dome or a pyramidical succession of steps crowned by a statue or some other ornament. On the eastern face are two inscriptions, the one *Punic*, and the other in characters unknown to me (see Appendix 50. 51): they do not, however, seem to have been cut at the same period in which the mausoleum itself was erected, and have probably no relation to the person to whom it was raised: but wether this is the case will be ascertained by those conversant with these languages: the one inscription appears to be a translation of the other. The exterior of the monument is decorated with fluted Jonic pillars." Quod vir illustrissimus inscriptionem ignotis litteris scriptam Punicae inscriptionis translationem esse suspicatur, id omnino probandum esse infra videbimus: sine caussa vero ab eodem dubitatum est, num duplex illa inscriptio ad ipsum monumentum pertineret et eodem tempore incisa esset, quum inscriptio illa manifesto sepulcralis sit et viri cuiusdam nobilis stemma atque elogium contineat.

Recentiores huius inscriptionis inventores et editores ignorasse videntur ad unum omnes, eam iam ante duo fere secula (anno 1631), omnium igitur quae exstant inscriptionum Punicarum primam, repertam esse a Thoma d'Arcos, Provinciali Gallo, itineratore erudito, qui in regno Tunetano fidem muhammedicam amplexus erat,

Digitized by Google

atque de ea litterarum commercium habuit cum Isaaco Peirescio, cui apographum eius miserat ipsumque lapidem clam surreptum mittere voluerat, recusante tamen Peirescio. Vide Barthélemy in Mémoires de l'academie T. XXX p. 425, it. epistolas Darcosii in Millin magazin encyclopédique, Sept. 1806. Mai 1815, et Quatremère mémoire sur quelques inscriptions puniques p. 4. 5, cuius haec sunt verba: „Ce voyageur avoit découvert, à quatre journées de Tunis, un édifice qui portait une inscription en caractères puniques. Il en envoya une copie à Peiresc: mais celui ci desiroit quelque chose de mieux: et ne vouloit pas que d'Arcos, comme il le lui avoit offert, enlevât l'inscription. Il se faisait un scrupule de dégrader en pure perte un bâtiment, qui avoit bravé les efforts du temps et en outre d'exposer la pierre aux hasards d'un voyage long et dangereux. Il desiroit seulement obtenir un calque exact de l'inscription. ..... J'ignore, si d'Arcos suivit de point en point le conseil de Peiresc et transmit à ce savant l'empreinte qu'il attendait avec la plus vive impatience." Per duo paene secula neglectam in lucem denuo protraxit Camillus Borgia Comes, antiquitatum in regno Tunetano superstitum scrutator diligentissimus († Neapoli 1817), qui d. 20. Aug. 1815 huius inscriptionis (*octo* pedes et *duos digitos* longae, *tres* pedes altae) apographum fecit eiusque delineationem communicavit cum *Muentero*, qui specimen eius edidit in *Religion der Carthager* tab. 2 cf. p. 171, et mox cum Humbertо, qui integram edidit (cippes sepulcraux pag. 8), unde eam repetiit *Hamakerus*, in diatribe ad p. 36. Postea Humbertus apographum Borgianum paullo diligentius delineando imitatus est, quod quidem exemplum *Hamakerus* edidit in Miscellan. tab. 2 no. 3, (cf. praef. p. IX), prius illud ita comparatum esse affirmans, ut explicari nequiverit. Sed etiam hoc novum exemplum minime integram repraesentare lapidis imaginem, ostendit novum apographum, quod in itinere Tunetano 1833 ex ipso lapide fecit modo memoratus Sir Grenville Temple et edidit in Excursions in the Mediterranean. Vol. II. p. 352.

2. In explicando hoc titulo nemo, quod sciam, ingenium exercuit *) praeter Hamakerum in diatribe (p. 36—63 sqq.), qui ex primo apographo Borgiano pendens epigraphes Punicae hanc dedit et lectionem et interpretationem:

(זה מ)צבת האעוה בן־סמע קרן סג
חדם האל ומעד אכהנן כה׳ תלת
ומצב לאעה בן־סמע תרגנו
מלך דנוכסן
ובעדי כתהלא .. (הר)גו(ו) גמל(ן) וכסון
ת(מ)ו(ן) במסעד . לנסן ואלול(ו) אחן
חנסו מהל למצען (ו)לנן וחסבן (לר) בן

*) Nam vix in hunc censum vocare licebit ipsum Templium, qui licet litterarum Orientalium se minus peritum esse fateatur, tamen de huius tituli lectione nonnulla obiter observavit (*Excursions* II pag. 316—18).

Digitized by Google

(hoc est) *monumentum Haawae filii Fameae, cornu Siggae ministri Dei summi et collegii sacerdotum, sacerdotum Tholathae.*
Qui vero posuit (hunc cippum) *Haawae filio Fameae* (secundum) *desiderium ipsius* (fuit) *doctor sacrificantium.*
Meo autem nomine ut sacrificium eucharisticum ..... mactate et camelos feminas easque iugulate
(hoc loco) *epuli* (funebris) *caussa ...* (mense) *Nisane et Elule. Tum vos cantate hymnum illis qui* (hic) *strati sunt et pernoctant et pluribus annumerati sunt.*

Quantopere haec lectio, cui tanquam fundamento superstructa illa interpretatio, a vera litterarum significatione absit, et sponte vident lectores scripturae Punico-Numidicae gnari, et ex infra dicendis apparebit (nam duo tantum primi versus vocabula מצבת et בן recte legit Hamakerus, et ne hoc quidem vidit, quod adeo Templio *) statim in oculos incurrit, in prima inscriptionis parte octies repeti בן *filius*): eoque minus singulos errores exagitare placet, quum ipse Hamakerus, quanquam tacite, interpretationem a se datam reprobare videatur, utpote ex apographo negligentiore profectam „quod nullam fidem mereat et *prorsus explicari nequiverit*“ (Miscellan. pag. IX). Unum dicendum est aperte, nequaquam omnia vel certe pleraque, quae reprehendenda sint in illa interpretatione, apographi negligentiae tribuenda esse (vide mox §. 3): sed maximam erroris partem litterarum potestati perperam constitutae (v. litterarum tabulam diatribae subiunctam) tribuendam esse: quod vel ex eo apparet, quod nos (ut sciunt, qui nobiscum haec studia tractarunt) priorem inscriptionis partem iam ante Miscellanea edita eodem fere modo legimus, atque nunc faciendum putamus et paucis diximus (*palaeographische Studien* p. 83), quam verborum dispositionem postea egregie firmavit Templii apographum, quod Londini mihi primum innotuit, singula verba punctis dirimens.

3. Antequam ipsi ad inscriptionem Punicam interpretandam nos accingimus, de contextu eius ex variis exemplis constituendo et de litterarum potestate recte definienda paulo copiosius disputandum est.

Quum lapis ipse in Africa remanserit eiusque ne ectypum quidem in Europam pervenerit, ex tribus (ut diximus) apographis pendemus, duobus Borgianis, uno Templiano. Illorum prius a Borgia ipso descriptum ab Hamakero tam graviter reprehensum est, ut plane inutile et nihili id esse putes: sed revera ab altero s. Borgia-

*) „*The inscription apparently relates to the genealogy of some person, for we often meet with a word, with evidently is equivalent to* בן „*the son.*“ Priorem enim partem is ita legit:

חברת אהך בן מהי בן לך
הבן מהאבנם עבארת בן עבדתי די
שמר בן אהבן בד מהי בן לך
מכרה בן כדס כ

poteratque sane Templius interpunctione adiutus illud בן facilius agnoscere. Sed potuisse illud etiam sine tali adminiculo agnosci, prior nostra stemmatis lectio monstrat ex solo Borgiano exemplo pendens.

Digitized by Google

Humbertiano hoc non ita multum differt, adeoque duobus in locis autographi scripturam plenius exhibet (lin. 2 v. א in רבשמא, et praecipue lin. 6, ubi solum hoc exemplum plenam scripturam כאלמן servavit). Ut dicam quod sentio, Hamakerus, postquam interpretatio tentata sibi ipsi displicere coeperat, paullo iniustius culpam in apographum illud Borgianum contulisse videtur. Mutua etiam utriusque exempli alia esse debet atque ea, quam Hamakerus indicavit, quum prius Borgianum exemplar duobus in locis plenius sit: et nescio an hoc ex alia quadam Borgiae descriptione (quarum fortasse plures fecerat) fluxerit. Utroque autem longe plenius et praestantius est *Templianum*, haud pauca exhibens, quae Borgiae aciem prorsus effugerant, velut 1) puncta, quibus singula vocabula dirimuntur; 2) versus 5. 6. 7, qui in exemplo Borgiano nil nisi lacunas habent et legi plane non poterunt, plenius lectos; 3) etiam in stemmate nonnulla verba plenius lecta v. c. lin. 2 extr. עבדמקרת, quod nomen Borgia quinque litteris pro septem scribit. Quanquam contra etiam Templianum exemplum ex Borgia emendari potest, v. c. lin. 1 ubi Templius מאעל habet pro מאעלם, lin. 3, ubi idem אעבן pro אעם, lin. 7, ubi Borgia perspicue habet מסעל cet. Textus igitur ex utroque illo exemplo diligentissime inter se collato et hic illic adhibita etiam libyca inscriptione (vide §. 4) constituendus est, quo in negotio ita versatus sum, ut exemplum Templianum pro fundamento ponerem et ex illo subinde et supplerem et emendarem. Qua de re ut ipsi lectores iudicare possint, in tab. 20 et Borgia-Humbertianum (litt. A) et Templianum (litt. B) exemplum exhibui, quibus addidi tertium a me emendatum et suppletum: quo mecum utantur viri docti, donec ipsius ectypum ad nos pervenerit, cuius rei spes mihi in Anglia facta est quodque cupide exspecto, non desperans fore, ut vel una vel altera coniecturarum mearum illo inspecto confirmetur.

Ad palaeographiam quod attinet, plures litterae, ubicunque occurrunt, in Templii exemplo aliter pinguntur atque in Borgiano, velut *Tet* intus duplici figura ornatum, *Jod* maius et puncto munitum, *Beth* et *Resch* non imperfecta et a dextra aperta, sed lineis adeo abundantibus, *Lamed* et *Tau* superne unco munitum (ut in Cit. 2 lin. 2. 3). Sed etiam hac in re Templiani exempli, cuius figurae in universum pleniores sunt, maior apud me fides est, quam Borgiani, quum satis probabile sit, hanc illamve lineam Borgiae aciem effugisse, contra cogitari non possit, Templium (de cuius diligentia et fide etiam aliunde constat) huius scripturae non peritum aliquid ex ingenio addidisse. Praeterea in aliis rebus eximius atque laudabilis est utriusque exempli consensus. Ubicunque enim in uno scribitur 𐤌, etiam in altero ita reperitur, ubicunque Borgia habet 𐤌, idem apud Templium quoque invenias: qua re et lectionis et interpretationis fides maiorem in modum confirmatur.

De *singularum litterarum potestate* definienda, *unde omnis dependet interpretatio*, quid nobis videatur, in duplici, quam tab. 20 dedimus, litterarum tabula

Digitized by Google

concinnanda professi sumus, ad quam pauca annotare placet. Prae ceteris memorabile est discrimen litterarum מ et ש, ט et ע. Illae enim magna in utroque exemplo constantia ita distinguuntur, ut 𐤌 sit *Mem*, 𐤔 *Schin* (ut Cit. 21 lin. 1) contra prioris aetatis consuetudinem, ubi utraque haec figura longius caudata est *Mem* (v. lib. 1 §. 24): hae (ט et ע) ita, ut maior figura intus signis munita, eadem ipsa, quae in Carthag. 5 Tet erat, in hoc titulo constanter *Ain* sit, *Tet* contra minoris moduli et intus non ornatum (cf. lib. 1 §. 20 et de eodem discrimine inter *O* et *Θ* apud Graecos §. 44). *Chet* lin. 7 exstat eadem forma, qua saepe reperitur in Numidicis (§. 19). Litterae *Lamed* variae sunt formae, omnes satis certae. Quod vero haec litera iusto frequentior esse videtur, maxime in Borgiano exemplo, inde repetendum, quod figura litterae *Lamed* vel *Nun* similis passim comparet pro *Beth*, adeo duo *Lamed* pro *Mem* lin. 6. 7. In reliquis nihil difficultatis est, et in universum lectio satis certa.

Atque ea quidem, ut totius disputationis summam occupemus, ex nostra textus conformatione haec est:

מצבת מאעלם בן יפשעת בן מך
הרבשמא בן שטרארם בן עבדמקרת
השר בן אעם בן יפשעת בן מך
שלגי בן כרסכל
כבאה בת מלא ויהי כעש לזכר סכל
גבר משמיר שסבל (כל) מסן כאלמן אמי
גל סך שם בר מפעל : בנה בחסד בן לאבי

Cippus Ma-olami, filii Jophi-sch'at, filii regis Harb-Schema, filii Schoter-Aram, filii Abd-Mokarthi principis, filii Aam, filii Jophi-sch'at, filii regis Schalgi, filii Carsachal,
quum intro abiisset in domum plenam, et esset luctus ob memoriam sapientis, viri instar adamantis, qui tulit omnis generis calamitates, quum esset viduus matris meae,
(qui erat) *fons pellucidus, nomen purum a facinore. Exstruxit in pietate filius patri.*

Prima igitur pars continet stemma viri in splendissimo mausoleo sepulti, cuius septem maiores (in his duo reges, princeps unus) memorantur: altera elogium eius, quod filii pietas patri defuncto consecravit. Sed iam singulorum rationem reddamus.

מצבת) Praeter בן *semel* lectum unicum hoc vocabulum est, quod etiam Hamakerus (diatr. pag. 37) recte agnovit. In utroque apographo A. B (ita liceat ea in posterum

Digitized by Google

designare) sunt litterae בת, in signo Chet simili in B latet *Zade*, *Mem* omissum. Hamakerus praeterea supplet זה, invita horum cipporum consuetudine. In exemplo B etiam spatium deest.

מאעלם) In exemplo B deest *Mem* finale, quod ex A supplere iubent quum aliae rationes (nam Templius facilius negligere poterat litteram Mem, quam Borgia eandem de suo addere), tum nominis forma et etymon. Valet illud *magnus* s. *potens in aeternum*, cf. מאבעל Cit. 32 et quae de syllaba מא ibi observavimus.

בן יפשעת) Idem nomen etiam lin. 3 reperitur et in utroque exemplo indubitatum est; figurae etiam sibi satis similes nisi quod in B *Jod* et *Phe* litterae copulatae sunt. Idem litterarum symplegma bis haberi litt. 1 et lin. 3 etiam Hamakerus vidit, *Jod* vero lineolam *Makkeph* (!) esse statuens, ita legit: בן-פמע (v. supra). — Nomen יפשעת compositum censeo ex יפ (i. e. יְפִי) *splendor*, ש nota genitivi (ut in חכמשבעל sapiens Baalis) et עת, quo pro עמת (עַמְּת) *populus* utuntur Poeni, v. Numid. 1 lin. 3, ibique commentarium et Numid. 6 lin. 3. 4. Est igitur *splendor populi*. Possit etiam עת (עֵת) *tempus* esse et *splendor temporis* (الدهر) reddi, sed illud praefero, utpote in Phoeniciis magis tritum.

בן מך הרבשמא) Litterae, quas מך legi, magis perspicue scripta in Templiano exstant lin. 3 exeunte, itidem nomini proprio praefixa. Eas idem valere censeo quod מלך (cf. מכת pro מלכת *regnum* Numid. 1. 4. 5), pronunciandas autem esse מך, ut mox מָכָרֶת pro מַלְכָּרֶת. Quae sequuntur litterae in Borgiano sunt רבשמא, in Templiano הרבשמא. Illud esset רַבְּשָׁמָא *magni nominis*, hoc esse possit הַרְבְּשָׁמָא s. הָרַבְּשָׁמָא *magnum fac nomen*, et verbis divisis הרב שמא (regis) *magni Schema*, coll. Cit. 33: מלך רב כתי *regis magni Citiensium*. Sed posterius displicet propter articulum adiectivo praefixum et nomen proprium praeter consuetudinem nimis breve, cui accedit quod מך etiam lin. 3 extr. sine epitheto est. Quod מך *rex* utroque loco praemittitur nomini proprio, id similiter in המלך שלמה 1 Reg. 8, 5. 10, 13. 11, 1. המלך רחבעם 2 Par. 10, 18, המלך יהושפט 20, 15, et cum praefixis למלך דוד 2 Sam. 6, 12, למלך שלמה 1 Reg. 1, 53, למלך רחבעם 14, 25 et saepe, et Carthag. 9, 1: הכבס עבדחנא *fullo Abd-channa*. Videntur hac quidem structura uti Hebraei et Phoenices, ubi rex quidem iam notus memoratur. Ceterum Poeni in articulo ponendo admodum parci eum h. l. omittunt, ubi idem constanter ponitur in Hebraeis.

בן שטראם) Nominis scriptura in utroque apographo eadem est, nisi quod in Templiano interpungi debebat ante Schin, non post illud. Significat id nomen proprium שִׁטְרָאנָם legendum *praefectum regionis editae*, a שִׁטֵּר *praefectus*, *magistratus* (v. Lexx. et inscr. Numid. 6, 2), א articuli et רם *locus editus*.

בן עבדמקרת חשר) Quae in apographo Borgiano hoc nomen proprium constituunt, quinque litterae, non aliter legi poterant atque feci in exercitatt. palaeogr. p. 83, רמתלת. Sed duas litteras ibi omissas esse, docet plenior et praestantior scriptura Templii, vix aliter atque supra fecimus legenda. Prima quidem littera apud T. est Tet; sed flagitante sententia puncto immisso reponendum *Ain*: neque aliter pro quinta

Digitized by Google

littera (quae Tau videri possit) suadente adeo eius figura uno addito apiculo *Koph*. Ita prodit nomen pertritum עבדמלקרת *cultor Herculis* Athen. 2. Carth. 5, alibi עבדמלקר Carthag. 3, sed contractius scriptum eiecto ל, cf. *Βαρμόχαρος* Polyb. 7, 9 pro ברמלקר. De singulari Poenorum idiomate, quo l modo eiiciunt modo littera ע compensant (unde pro מַלְכַּת etiam נעכת Iuba 2, L, et מכת Numid. 1, 2. 4, 2. 5, 1), cf. lib. IV, cap. 4. — *He* articuli in apogr. B vix recte pictum est, sed in A indubium.

בן אעם) Nomen proprium apud Templium legitur אעבן, quod vc. etiam Numid. 6, 1 comparet, sed etiam illo loco vix sanum. Quum bonum eius etymon non assequar, praetuli אעם ex apogr. Bor., praesertim quum etiam lin. 6 et 7 *Mem* paulo latius pictum a Templio in duas litteras distractum videam. אעם est עם *populus* cum articulo, quod idem valet atque *populus Baalis*, ut אעבדא *servus* pro *servus Baalis* (v. ad Cit. 23). עַם vero de singulis hominibus usurpatum *unum e familia* s. *cognatum* et *necessarium* significat (v. Lex. man. p. 772. 773) coll. עַם patruus, unde עַמִּיאֵל unus ex familia Dei, עַמִּינָדָב cognatus principis, עַמִּישַׁדַּי al.

בן יפשעת) v. supra lin. 1.

מן מך שלגי) de מך v. supra lin. 1. שלגי (שַׁלְגִּי) *niveus* vocari potest vel a niveo colore (v. ad Eryc. lin. 4), vel utpote *nivis tempore natus*, cf. בן חדש Athen. 2.

בן כרסכל) hoc nomen apud Templium legitur כרסך, apud Borgiam כרס.ל. Inde autem restituendum est כרסכל, quae litterae etiam lin. 5 extr. comparent. Praeterea textum ita conformare iubet inscriptio Libyca, quae h. l. eadem quinque signa exhibet atque lin. 5 extr. Nomen proprium igitur legendum est כרסכל, quum contra lin. 5 plenius legatur זכרסכל i. e. זֶכֶר סָכָל *memoriae sapientis*. Sed unum ex altero illustrandum est. Etenim כרסכל n. pr. omisso s initiali ortum esse videtur ex זכר סכל *memoria sapientis*, ad quod huius nominis etymon postea lin. 5 alluditur.

כבאה בת מלא) *quum ingressus esset domum plenam* i. e. quum intro abiisset in orcum, ibique congregatus esset ad patres. Tres priores litterae in utroque exemplo manifestae, quarta in A est *He*, signum in B vix integrum. כבאה autem est = כְּבֹאֲהוּ (§. 40) *simulatque intraverat*, cf. כשמע Melit. 1, 3, et indicat mausoleum statim post mortem defuncti extructum esse. Construitur בוא sq. accus., ut saepe. בת מלא legendum בֵּית מָלְא *domus plenitudinis* i. e. *domus plena*, quomodo appellatur orcus, ut in illo Iob. 30, 23: בֵּית מוֹעֵד לְכָל־חָי *domus ubi congregantur omnes vivi*. Suspicari possis, facilius legi בַּיִת מָלֵא, sed Jod mobile ibi omitti non potuisset.

ויהי כעש לזכר סכל) וַיְהִי כַּעַשׁ לְזֶכֶר סָכָל. Videamus primum de textu recte et constituendo et legendo. In primo vocabulo (quod in solo Templiano comparet) alterum signum non potest non הי esse contractum ex *He* et *Jod*, quod praecedit itidem He videri possit (cui lectioni favet inscriptio Libyca, v. §. 4), sed והי sententia caret, et potest in primo signo coaluisse וי, unde prodibit ויהי (וַיְהִי) *et* (quum) *esset*. — Sequitur in Templiano כעש, in Borgiano solum *Schin* exstat, praevia littera, quae Caph videri possit: *Ain* igitur omissum est. [In Libycis sunt duae

Digitized by Google

litterae עש, unde certe firmatur lectio extremae litterae, et refutatur coniectura, in quam prius incideram, נעם legendum esse]. — Litterae לזכר סכל in Templ. manifesta, in Borgiano *Zain*, littera minima, neglecta est. — כעש (כַּעַשׂ) est *moeror* Iob. 5, 2. 6, 2. 17, 7, alibi כַּעַס Eccl. 1, 18. 2, 23 (ubi copulatur cum מַכְאֹב dolor). 11, 10, cf. verbum Ezech. 32, 9 (ubi usurpatur de moerore propter alienum infortunium). לזכר סכל (לְזֶכֶר סָכָל) non potest esse *memoriae stulti*, sed (ס et שׂ permutatis) idem esse debet quod לְזֶכֶר שָׂכָל *propter memoriam sapientis* (שָׂכָל = סָכָל), qualis erat vir sepultus. Alluditur autem his verbis ad כרסכל (pro זכרסכל), quod erat nomen auctoris totius gentis, cf. similem allusionem in inscr. Sardica (no. 42) et permulta varii generis exempla in epitaphiis Judaicis, quae collegerunt J. H. Hottingerus (cippi judaici Heidelbergae 1659. 4.) et Io. Chr. Wolf in biblioth. hebr. Vol. IV extr.

גבר משמיר) גֶּבֶר מִשָּׁמִיר *vir prae adamante* i. e. adamante fortior, constantior, maxime in perferendis calamitatibus, cf. Ezech. 3, 9: כְּשָׁמִיר חָזָק מִצֹּר נָתַתִּי מִצְחֲךָ לֹא תִירָא אֹתָם וְלֹא תֵחַת *instar adamantis, qui silice durior est, feci frontem tuum, ne timeas eos neve consternaris.* In litteris secundum Templii exemplum nihil obscuri est. Quod inter utrumque vocabulum non interpungitur, in eo (nisi T. neglexit punctum) sibi non constat auctor, quum alibi etiam vocabula arcte nexa (בן מך, בת מלא) punctis distincta sint: sed solent etiam Graeci et Etrusci in interpungendo sibi parum constare (pag. 55). Rarioris exempli est etiam שמיר plene scriptum (§. 40, 3). Ceterum מִן ponitur omisso tertio (quod vocant) comparationis, ut Mich. 7, 4: יָשָׁר מִמְּסוּכָה *probus* (peior) est *quam rubus.* Jes. 10, 10. Iob. 11, 17.

מסן [כל] שסבל) i. e. שֶׁסָּבַל כָּל־מַסִּין *qui pertulit omnis generis calamitates.* Primum vocabulum apud Templium manifestum est, nisi quod Beth (quod apud Bor. *Ain* videtur) iusto minus pictum est, ut Daleth esse videatur. Verbum סבל etiam in sacris de calamitatibus perferendis habes Jes. 53, 4. 11. Thren. 5, 7. Quod sequitur vocabulum bilitterum apud Templium punctis inclusum כל legendum esse iam conieceram, quum in Libycis legendis adhuc caecutirem. His autem indagatis intellexi, in Libycis illis litteris respondere |=, quod est כל (v. §. 4). Quod sequitur vocabulum, in exemplo A esset ללסן, in B ללדסן, quod utrumque sententia caret. Sed paulo arctius iunge signa 𐤋𐤋, et habebis 𐤌 *Mem*, quod a Templio praeter hunc locum bis in hoc titulo ita depictum est, ut in duas figuras disiunctum sit, lin. 3 in אעם, et lin. 7 in מפעל, in utroque loco ex Borgiano exemplo emendandum, quod habet *Mem.* Fortasse *Mem* paululum fractum erat, ut Cit. 22, 1 cf. pag. 37. His ita emendatis habebis in Borgiano מסן i. e. מַסִּין (i. q. מַסּוֹת) *πειρασμοὶ calamitates* (Iob. 9, 23), in Templiano מדסן aut מבסן, quod quidem posterius esse possit מְבוּסִין *conculcationes.* Sed prius magis placet, quod propterea recepi.

כאלמן אמי) כְּאַלְמַן אִמִּי *ut viduus matris meae* i. e. quum viduus matris meae factus esset, mortua uxore sua, matre mea. אמי in tribus exemplis perspicuum: praecedens vocabulum in Bergia-Humbertiano est ..כאל, in Templiano .כאלמ, unde

Digitized by Google

iam restitueram ex coniectura כאלמן *ut viduus*, quum animadverterem, id ipsum plene legi in priore Borgiae exemplo, propterea non tantae negligentiae accusando (v. supra). — Docetur igitur his verbis, *Ma-olamum* omnis generis calamitates (et domesticas fortasse et civiles) forti animo perpessum esse post mortem uxoris, quae eius qui mausoleum exstruxit mater fuerat (unde אמי mater *mea*, cf. de hoc primae personae usu Melit. 1. 3. 4): unde sequitur hunc defuncti vel privignum vel filium fuisse. Filium autem fuisse, videbimus lin. 7.

גל סך שם בר מפעל (גַּל סַךְ שֵׁם בַּר מִפְעַל) *fons pellucidus, nomen purum a scelere.* Litterae גלסכשמבר in exemplo Templiano manifesta sunt, sed male divisa מבר.סכש.גל, ex quibus nihil efficias. Sin vero ita verba dispescis, ut supra fecimus, in sententia nil facile desiderabis: nihilque in his est insoliti, quam quod כך scriptum videtur pro זך (זַךְ) *purus*, de qua ratione disputavimus ad Athen. 1, 1, ubi סכר est pro זֵכֶר *memoria.* Potest quidem סך etiam a סָכַךְ derivari et (fontem) *tectum* significare, ut סַךְ sit = סָכוּךְ, sed hoc ipsum linguae usu probari non potest. *Fons* autem sive *pellucidus* sive *tectus* est vitae innocentis et integrae imago, cf. גַּל נָעוּל Cant. 4, 12. — Vocabulum מפעל in Borgiano exemplo manifestum est, in Templiano prima et extrema littera vitiose scripta. Duo enim priora signa, ut supra bis (lin. 3. 6) in unum *Mem* copulanda sunt (quod etiam in Libycis perspicuum): pro Beth una lineola omissa legendum *Lamed.* פעל (פֹּעַל) autem in malam partem accipiendum de *facinore*, ut Iob. 36, 9 et מַעֲלָה 1 Sam. 20, 19.

בנה בחסד בן לאבי (בָּנָהוּ בְחֶסֶד בֶּן לְאָבִי) *exstruxit illud in pietate filius patri meo* (pro suo) ex more horum titulorum idiotismo Melit. 3. 4. In his verbis diu haesi, et videtur in his, ut omnino in versu extremo, Templius minus diligenter descripsisse, certe male interpunxisse. Vide autem, quomodo tandem paucis mutatis aptam sententiam restituere contigerit. Ut ab extremo vocabulo initium faciamus, litteras בי in exemplo A facile suppleas אבי *pater meus.* Has praecedit vocabulum בן in Templiano adeo punctis segregatum: interiectum *duarum litterarum* spatium ita expletur בן לאבי. Tertium a fine vocabulum in exemplo A est בחס aut בחסר, addita sequente littera: in exemplo B בחי: ego prius illud praeferens lego בְּחֶסֶד *in pietate.* Ex בנן, quod in utroque exemplo est, uno addito apiculo (v. exemplum litt. C), effeci בנה = בָּנָהוּ.

Ceterum tres postremi tituli versus, qui defuncti elogium faciunt, sex hemistichia continent, quorum secundum, tertium et quintum, quartum et sextum in homoeoteleuta exeunt, quae etiam Iudaei in epitaphiis in deliciis habent. Hemistichia enim ita dispescenda sunt:

כבאה בת מלא
ויהי כעש לזכר סכל
גבר משמיך שסבל
כל מסן כאלמן אמי
גל סך שם בר מפעל
בנה בחסד בן לאבי

Digitized by Google

4. Restat ut etiam in altera inscriptionis parte ignotis characteribus scripta vires nostras periclitemur: quod ne a libri nostri consilio, quod in sola Phoenicia scriptura illustranda versatur, alienius videatur, lectores memores esse iubemus, huius inscriptionis Libycae adeo in Punica inscriptione recte legenda et interpretanda, ut vidimus, auctoritatem fuisse haud prorsus nullam. — Prior inscriptionis editor ne de nomine quidem et patria illius scripturae, cuius hoc unicum e terrae gremio emersit specimen, veram sententiam dixit. Namque quod Hamakerus (diatr. p. 36) litteras illas „*Celtibericas*“ et „*Celtibericis similes*“ appellat, id ne de unico quidem eius scripturae signo recte dici potest (v. tab. nostr. 2): rectiusque iam *Muenterus* (Religion der Karthager p. 99) et *Quatremerius* (Mémoire sur quelques inscriptions Puniques p. 1) *Libycas* s. africanas eas appellarunt. Multo magis omnes de huius litteraturae rationibus indagandis desperarunt *), quanquam hoc plerique recte intellexerunt, utriusque inscriptionis eandem esse sententiam et litteras ignotas Punicarum instar ad sinistram procedere. Recte enim Hamakerus l. c. „Utrumque ex quarti et quinti versus inspectione et cum Punicis verbis comparatione discimus. Nam versus quartus et in Punicis et in Celtibericis (?) a dextra progressus in medio subsistit, et pari fere litterarum numero absolvitur. Praeterea eiusdem versus et quinti ultima vox eadem plane ratione scribitur, cum in Punicis vocabula ab una eademque radice repetita eosdem quoque versus claudant.“ Sed longius etiam procedere licebit, idque eadem illa via, quam Hamakerus iam ingrediendam putabat, ut a nominibus propriis et locis bis repetitis initium faciamus. Ante vero quam ipsum hoc litterarum verborumque potestatem extricandi negotium ingredimur, de variis exemplis breviter dicendum est. Namque ad duo Borgiana et Templianum in hac inscriptionis parte accedit quartum exemplum nescio cuius Oxonii asservatum (de quo vide ad no. 55), mutilum quidem illud i. e. quarto versu carens, sed tamen non contemnendum, quum plures litteras habeat plene scriptas, ubi reliqua exempla vel lacunas vel meras litterarum reliquias offerunt. Ac duo Borgiana exempla non multum inter se differunt, nisi quod lin. 3 litt. 2 (a fine) Borg. Humb. habet pro (contra tria reliqua), lin. 4 male pro , lin. 7 litt. 3 (a fine) contra recte (cum Templ. et Oxon.) pro omisso puncto. Utroque in universum praestat Templianum, cum quo saepe congruit Oxoniense. Hoc igitur pro fundamento posuimus subinde ex reliquis emendandum. Quemadmodum autem Templius in Punicis nonnullas litteras constanter et ubicunque reperiuntur aliter pingit atque Borgia, ita etiam in Libycis: certe littera Borgiae apud Templium constanter est , Templii in Oxoniensi .

His praemunitis eandem viam ingressi, quae Akerbladium, Youngium et de Sacyum

*) Hamakerus l. c. *Quae si magis integrae ad nostram pervenissent aetatem, aut si ea pars saltem servata fuisset, in qua nomina propria Punicis respondentia occurrebant, imprimis, si certior nobis linguae, ad quam ista inscriptio pertinet, cognitio suppeteret, forte ad aliquam etiam harum litterarum, quarum hucusque ignoratur potestas, scientiam pervenire possemus. Nunc autem idoneo adhuc fundamento caremus, cui eiusmodi superstruatur disquisitio.*

Digitized by Google

ad inscriptionis Rosettensis interpretationem adduxit, initium faciamus a nomine proprio ימשעת, quod lin. 3 in omnibus exemplis Libycis plene quinque litteris Libycis pingitur et lin. 1 quattuor certe litteris extremis in exemplo Oxoniensi, unde discas litteras sibi hunc in modum respondere:

quam *quinque* litterarum *Jod*, *Phe*, *Schin*, *Ain*, *Tau* potestatem etiam alias confirmari videbimus. *Jod* autem a solo Templio recte pictum est, quum Borgia et Oxoniensis figuram dent, quae alibi *Mem* est. *Quattuor* novas alphabeti Libyci litteras nobis suppeditat vocabulum כרסכל lin. 4 extr., cuius litterae in Punicis et Libycis repetuntur lin. 5 extr. In utroque loco litterae sibi ita respondent



in quo hoc mirum videri possit, Caph duobus diversis modis pingi, quanquam huius litterae adeo plures figuras reperiemus, fortasse ita distinguendas, ut aliae tenues sint (= כ = κ), aliae aspiratae (= כ = χ). Tertium quoddam nomen proprium, quod nonnisi *unam* novam litteram *(Gimel)* sistit, tres vero iam aliunde cognitas *(Schin, Lamed, Jod)* egregie confirmat, est lin. 4 init.



Decem litteris ita nominum propriorum ope indagatis singulorum versuum ordinem secuti videamus, quid adiuvante textu Punico praeterea probabiliter extricari possit.

Ac *lin.* 1 post finem verbi ימשעת sequuntur duo signa 𐤁 ·, quae respondent vocabulo בן *filius* tum h. l. tum quattuor aliis locis lin. 2 litt. 6. 7 (a fine) ante עברמקר, lin. 3 bis post ימשעת et ante illud, lin. 4 inter שלגי et כרסכל. Certum est igitur, his signis *filii* notionem esse subiectam, sed utrum in lingua Libyca efferenda sint בן, an alio modo, non definio. Videtur quidem 𐤁 · etiam lin. 7 med. respondere litteris בנ in בנהז, sed quum 𐤁 alibi *Caph* sit et punctum lin. 4 litt. 5 (a fine) pro ו poni videatur, huic rei non multum tribuerim. Ceterum lin. 1 extr. in inscriptione Libyca desunt duo triave signa, quae respondeant punicis מך *rex*, et reperiuntur lin. 3 extr.

Lin. 2 nomini עברמקרת in Libycis respondent quinque signa, quorum tria extrema lego מקר. Nam *Resch* et *Mem* ex iis quae supra dixi nota sunt; unde mediam *Koph* esse facile colligas. מקר *(Mokar, Milcar)* autem non minus usitatum est quam מקרת, מלקרת. Quae vero praecedunt duo signa Libyca 𐤓 𐤁 et tribus Punicis עבד respondent, fortasse *servum* significant, sed עבד pronuntiari non possunt, nam 𐤁, ut vidimus, est *Caph*, et 𐤓, quod praeterea habes lin. 6, ignoratur. Videntur igitur Libyes n. pr. עברמקרת (servus Mocartae s. Herculis) ita extulisse, ut pro Punico עבד Libycum vocabulum ponerent *servum* significans. — Ante בן apud

Digitized by Google

Templium superest *Mem*, apud Borgiam praeterea ⊙, sed delendum videatur punctum in medio, ut *Resch* sit. רם autem sunt duae extremae litterae nominis proprii שטראם.

Lin. 3. Ut a dextra ordiamur, post duo signa incerta (Borg. non nisi unum habet), quae mittimus, sequuntur duo *filium* designantia, dein n. pr. יפשעת (v. supra), et post iteratam *filii* mentionem tria signa, quae respondent Punicis מך et *regem* designare debent. Quorum primum est *Phe*, tertium *Caph*, medium ignotum, duobus Lamed simile, etiam alibi (lin. 5. 6. 7) obvium, sed in verbis non minus obscuris. Fortasse illud *Vav* est, et legendum פוך *(Pûch, Bôch)* corruptum illud ex מלך, ut in *Mochus*, *Bocchus* (v. lib. IV c. 3 h. v.), siquidem lingua Libyca Punica verba, eaque contracta et decurtata, adoptasse videtur.

De lin. 4 etiam in Libycis legenda: כרסכל (בן) שלגי iam supra vidimus.

Lin. 5 a sinistra manca videri possit, quum litterae usque ad marginem non pertineant, sed nihil deest. Prima autem versus pars in textu Libyco in breve contracta videtur. Ut a sinistra ordiamur, quinque extrema versus signa valent כרסכל, ut lin. 4 (v. supra). Post punctum (Zain?), sequuntur litterae iam notae עשל, quae respondent Punicis כעשל (בְּעַשׂ לְ). Num igitur Libyes pro כעש dixerunt עש abiecto כ? Sane ita videtur: certe etiam lin. 7 pro מפעל in Libycis est מפע. — Trium, quae sequuntur, litterarum punctis inclusarum extrema est *Jod*, duae praecedentes *He* esse videntur (cf. He Phoenicum 𐤄 et Ε Graecorum), ita ut litteris וידי respondeat יהדי. Reliqua quinque signa: ת..כס, quae respondent verbis Punicis כבאה בת מלא, uno verbo eoque proprio et familiari exprimere videntur, quae in Punicis circumloquendo dicta erant: *quum mortuus esset*. *Caph* particula etiam in Libycis servata est, ipsum *moriendi* verbum huic linguae proprium ת..ס nos ignoramus.

Lin. 6. Ut iterum a sinistra ordiamur, verbo Punico אמי *mater mea* respondent duae litterae iam notae מי, ut א periisse videatur in Liby-phoeniciis. Dein pro כאלמן *sicut viduus* ponuntur tria signa ☾ | ⋜, quae ita explenda duxi: ⊙ | ⋜ et reddiderim *ut vir*. Nam prima littera est *Caph* particula, quam eodem significatu retinuerunt Libyes: duo autem signa ⊙ |, quomodocunque ea efferenda sunt (לם?), sunt initium (fortasse compendium) quattuor signorum quae lin. 6 init. et lin. 7 init. *virum* designant, ut mox videbimus. Num igitur scripsit Libys: *ut vir matris meae* pro *ut viduus matris meae?* — Verbo מסן *tentationes* respondent quattuor signa ..מסל, probabiliter idem significantia, quae excipit |═ i. e. כל, quod etiam in Punicis reponendum duxi. Videntur Libyphoenices cum Poenis minores orationis particulas communes habuisse: quod ipsum apparet 1) ex sequente שסבל *qui portavit*, cui in Libycis respondent quattuor litterae ..שם, ita ut *Schin* relativum in utroque sermone sedem suam tueatur: item 2) ex משמיר *prae adamante*, cui respondent quattuor litterae ...מ, ita quidem ut particulae forma integra sit. — *Vir* (גֶּבֶר) quattuor signis exprimitur |◦| ⊙ ⊙ | (.לממ?), quae etiam lin. 7 ineunte reperiuntur.

Digitized by Google

Lin. 7 extremo verbo אבי *(pater meus)* respondent tria signa: ⊙ ⊙, quae nescio an מטי *pater meus* legenda sint. De signo quidém ⊙ aliunde certe non constat: sed similis est *Theta* littera Phoenicum et Graecorum; מטי autem comparandum videtur cum tritissimo illo onomatopoëtico *Τίττα* (Il. 4, 412) et *Tata*, quo *pater* in multis linguis exprimitur. Varro ap. Non. 2, 97: Quum .... vocent matrem mammam, patrem *tatam*. Gruteri inscr. p. 662 no. 6: *Elpidius Pamphilus Platoni tatae suo bene merenti fecit*, Martial. epigr. 1, 101 et saepius. Certe in litteris, quarum figura Libyca nobis ignota est (א, ב, ד, ז, ח, צ), nulla est, quam aptius adhibeas. — Haec duo signa in Templiano et Borgianis praecedit 〓, in Oxoniensi plenius 〓·, quod *filium* significare vidimus, et h. l. respondet punico בן. Quae iam sequuntur: מפי .. מ 〓· respondent punicis בנה בחסר et amplius explicari non possunt. Dein pro מפעל in Libycis est מפע, quod ipsum vocabulum Punicum videtur, sed decurtatum. Pro reliquis גל סך שם בר in Libycis *primum* eadem quattuor signa fuisse videntur, quae lin. 6 init. *virum* notabant, *dein* trium litterarum vocabulum, quod fortasse *purum* notabat, incipiens a —, quod in aegyptiacis *Nun* est. Ut lin. 5 ineunte, ita et h. l., quae longiore oratione circumscripta erant in Punicis, paucis iisque vulgaribus verbis expressa videntur in Libycis.

His ita disputatis, paucis comprehendamus, quae inde ad Libycae linguae scripturaeque rationes cognoscendas colligi possint. Ut a *scriptura* ordiamur, praeter *siglam*, quae filium notat, quattuordecim eius litteras *Gimel*, *He*, *Tet*, *Jod*, *Caph*, *Lamed*, *Mem*, *Samech*, *Ain*, *Phe*, *Koph*, *Resch*, *Schin*, *Tau*, quarum nonnullae, ut *Caph*, plures figuras habere videntur (vide tab. 20), probabiliter assecuti sumus: supersunt fere octo, quarum potestas dubia est

— (n?), ÷ ≡ ⊓ || ⁄\ //\ |•| (Chet?)

unde *viginti* fere *duarum* litterarum alphabetum fuisse colligas. Litterarum forma simplicissima est, atque id egisse videntur huius scripturae auctores, ut paucissimis iisque rectis lineis varie inclinatis litterae exprimerentur. Observatu autem dignum, litteras nobis cognitas plerasque duriores esse, molliorum litterarum (ב, ד) certa vestigia deesse, ita ut hae, pariter atque in Etruscis et Umbricis, minus usitatae fuisse videantur. De origine huius scripturae quaerentes instituta cum variis litteraturis comparatione nonnullas Libycae scripturae litteras reperimus enchoriis Aegyptiorum litteris similes, velut *Gimel*, *Jod*, *Caph*, *Lamed*, *Resch*, fortasse *Nun* (vide nostram litterarum tabulam, et Kosegarten de prisca Aegyptiorum literatura pag. 8. 9. 10. 12), alias Graecis, velut *Samech* simile Sigma litterae Graecorum, alias denique Etruscis, veluti *Caph*, *Phe*, *Resch* (vide tab. 20, 2): malumus tamen nunc quidem in his, quae observavimus acquiescere et ab opinionum coniecturarumque temeritate abstinere, donec novis fortasse huius scripturae monumentis in lucem protractis certius de ea iudicari poterit. — *Linguam* in hac, de qua agitur, inscriptionis parte *Libyphoeniciam* appellaverim et iam in superioribus subinde appellavi, Libyphoenicum (*Λιβυφοινίκων* s. *Λιβοφοινίκων*), quos „mixtum Punicum Afris genus“ vocat Livius

Digitized by Google

(XXI, 22), dialectum *). Ipsa enim lingua Libyca a Punica plane diversa et alius stirpis indolisque fuisse videtur **), quum contra inscriptionis nostrae sermo pleraque quidem habere videatur a Punicis plane aliena v. c. *patris*, *filii*, *viri*, *servi*, *adamantis* nomina, contra praeter nomina propria (quae Punicae originis sunt omnia) alia verba Punicis similia et ex iis decurtata et contracta (lin. 3 ס.ך pro מלך *rex*, lin. 5 עש pro כעש, ההי pro וידי, lin. 6 מי pro אמי *mater mea*, lin. 7 מפע pro מפעל), prae ceteris autem verborum declinationes atque particulas Punicis plane congruas, v. c. lin. 6 extr. מי = pun. אמי *mater mea*, lin. 7 extr. מטי = pun. אבי *pater meus*, lin 5 ב in כבאה, ל ante זכרסכל, lin. 6. מ ante שמיר, ש ante סבל; כל *omnes* eodem loco, ubi hoc desideratur in Punicis, lin. 7 מ ante מפעל. Atque eadem ratio in nobilissima scena Plautina (Poenul. V, 1) intercedit inter versus decem priores, qui Punici sunt, et sex sequentes, quos Bochartus Libycos appellat, ego Libyphoenicios appellare malim, quum etiam in his, ut in nostra inscriptione, plura Punicis similia sint, qua de re copiosius dicetur infra lib. IV c. 3. Erat igitur Liby-phoenicia lingua, quae grammaticam habuisse videtur Punicam, radices et vocabula Libyca, linguae Anglicae comparanda, quae permulta vocabula Gallica variis modis contracta recepit, grammaticam Saxonicam retinuit: hodiernae Persicae, in qua dimidia fere vocabulorum pars arabicae originis est; denique germanicae Judaeorum (Juden-Deutsch), quae radices hebraicas germanico more declinare solet. Sed de hac inscriptione haec hactenus.

LVII.

NUMIDICA PRIMA.

Quae sequuntur iam quattuor inscriptiones intima necessitudine inter se iunctae, partim ad Tuccam Terebinthinam partim inter Siccam Veneream et Vaccam repertae, ad Hiempsalis Numidiae regis familiam pertinentes, a nobis maximam partem iam in *Exercitat. palaeographicis* tractatae sunt, nunc lapidibus ipsis no. 57. 59. 60 accuratius examinatis diligentius pleniusque retractandae.

---

*) *Libyphoenices* Livius praeter l. c. memorat XXV, 40. Vide praeterea Plinium 5, 4 (qui Byzacii incolas ita appellari tradit). Polyb. 3, 33 §. 15, et Diod. 20, 55: *Λιβοφοίνικες, πολλὰς ἔχοντες πόλεις ἐπιθαλαττίους, καὶ κοινωνοῦντες τοῖς Καρχηδονίοις ἐπιγαμίας, οἷς ἀπὸ τῆς συμπεπλεγμένης συγγενείας συνέβη τυχεῖν ταύτης τῆς προσηγορίας*, cf. 17, 113. Apud Ptolemaeum iidem *Λιβυκοὶ Φοίνικες* appellantur (IV, 3). Libyphoenicum coloniae memorantur ap. Scymnum Chium v. 196. et in Hannonis Peripl. init.

**) Vocabula linguae Libycae propria memorant Herodotus et Stephanus Byzantinus. Herodotus (2, 50) de Neptuni nomine graeco: *οὐδαμοὶ γὰρ ἀπ' ἀρχῆς Ποσειδέωνος οὔνομα ἔκτηνται, εἰ μὴ Λίβυες.* Stephanus Byz. *Ἰστός, νῆσος Λιβύης, Οὐδενόη λεγομένη ὑπὸ Λιβύων, ὑπὸ δὲ Φοινίκων κελλαραρσάθ.* Idem alibi: *Αἴγουσα, νῆσος Λιβύης, κατὰ Λίβυας λεγομένη Κατρία*, et: *Μάγνα, νῆσος Λιβυκή .... ἣ κατὰ τὴν Λιβύων φωνὴν Σαμαθὼ ὅ ἐστι μεγάλη.* Quod vero hanc linguam hodiernae Berberorum linguae (de qua vide Höst Beschreibung v. Fes und Marokos pag. 136) vicinam fuisse opinati sunt *Muenterus* (Religion der Karthager p. 99) et Hamakerus (Miscell. p. 117), id sine caussa factum.

Digitized by Google

1. Ac prima quidem nunc cummaxime explicanda a Sir Grenville Temple anno 1833 in pago Maghrawa (مغراوة) haud procul ab eo loco, ubi Tucca Terebinthina veterum erat, in parva quadam casa („in a small hovel") reperta, coemta et Societati Asiaticae Londinensi missa est, in cuius Museo lapis etiamnunc asservatur. Delineatio totius monumenti satis accurata et elegans, sed in minus contracta, exstat in *Transactions of the Royal Asiatic Society* T. III. P. III. pl. 23, unde solam inscriptionem nos repetendam curavimus in Ephemerid. Hal. 1835, Intell. Blatt no. 14, et in *Palaeogr. Studien* tab. 6. litt. D. Aliud sed negligentius apographum Templius dedit in *Excursions in the Mediterranean* II, ad p. 353. Quod nos dedimus exemplum, id iustam litterarum magnitudinem refert, et ad ectypum Londini factum accuratissime expressum est. A Londinensi delineatione ipsae lapidis figurae in paucis tantum differunt, velut lin. 1, ubi litterae חמן pressius sibi invicem iunctae sunt, ibid. litt. 13, lin. 3 litt. 1, lin. 4 litt. 8. 12. — Interpretatio eius nulla mihi innotuit praeter eam, quam uberius explicui et vindicavi l. c. p. 76 sqq. et in qua etiamnum ipso lapide inspecto pauca tantum retractanda inveni.

2. Integra inscriptio ita legenda est:

לאדן בעל חמן כ׳ ע׳ שמע
קלת חכמבעל אדן למכת עלם
עת מ(ע)שלים בן משיבעל בן חנמעל בן י
בעל
שן
מעשנתן בן מציתבעל

Domino Baali Solari, Regi aeterno, qui exaudivit preces Hicembalis (Hiempsalis), *domini regni aeterni populi Massylorum, filii Magsibalis* (Micipsae), *filii Masinissae, filii Mezetbalis* (Mezetuli) Channimal, filius Ibalis anno .....

Lapis est votivus ab Hiempsale I, filio Micipsae, Massylorum s. Numidarum rege, Baali Solari positus propter preces eius exauditas, i. e. propter agrorum arborumque fertilitatem regioni concessam (v. infra de figuris). Huic simillimus est lapis sequens ab Hiempsale II positus, qui eandem formulam votivam continet, at voventis nomine paucioribus defungitur. Sed videamus de singulis. Formula initialis tribus inscriptionibus no. 57. 58. 60 communis haec est:

קלת שמע כ׳ ע׳ חמן בעל לאדן) De *Baal Hammâno* s. *Hammone* v. quae uberius disputavimus ad Humbert. 3, p. 170 sqq. Ex his lapidibus intelligis, eum a Numidis quoque cultum esse, lapidesque votivos ei etiam sine Tanaïtidis s. Deae coelestis mentione positos esse. Quod in Exercitt. palaeogr. p. 81 dubius haesi, utrum legendum esset בעל חמן כ׳, an בעל ח מלך, id non fecissem, si lapidem ipsum iam vidissem, in quo tres litterae vocabulum חמן constituentes tam arcte iunctae sunt, ut non possint non ad unum idemque vocabulum pertinere: quo posito litterae כע manifesto idem

Digitized by Google

valent, quod מלך ע׳ no. 58. 60 i. e. מלך עלם, et כ non potest non scribendi compendium esse pro מלך; ex eo quidem compendiorum genere, in quo littera non prima, sed extrema integrum vocabulum repraesentat (v. pag. 53).

שמע קלת) = שִׁמְעַ קָלַת. Verba in tribus exemplis (no. 57. 58. 60) satis perspicua transitum faciunt a nomine numinis ad voventis nomen, cui haec formula semper praemissa est, ut alibi voventis nomini praemissam vidimus formulam אֵשׁ נֵדֶר Melit. 1. Carth. 1—3 et similes in fine: כשמע קלם יברכם Melit. 1, כשמע כל דברי Melit. 3. — Sequitur nomen voventis cum titulo

חכמבעל אדן למכת עלם עת..שלים) *Hiempsalis, domini regni aeterni populi (Mas)sylorum.* Ipsum n. pr. satis certum et indubium pronuntio חִכַּמְבַּעַל vel חֻכַּמְבַּעַל (quem Deus sapientem fecit) et, pariter atque חכמשבעל no. 58 et חכמחעל (pro חכמחבעל) no. 60, idem esse censeo, quod latine *Hiempsal*, graece Ἰάμψας effertur, et duobus Massylorum s. Numidarum regibus commune est. Etenim pleniores illas formas efferebant *Hicemsbal*, transposita sibilante (ut אַשְׁדּוֹד Ἄζωτος) *Hicempsal*, et c emollito et eiecto (cf. *locus* gall. *lieu*) *Hiempsal.*

Duos Hiempsales Numidiae reges fuisse modo diximus. Et prior quidem, filius Micipsae, Masinissae nepos, una cum fratre Adherbale et cum Iugurtha patre Micipsa mortuo per aliquot annos (118—116 a. Chr.) regnavit, a Iugurtha mox trucidatus (Sallust. Iug. 5. 12); posterior, Hiempsal II, Iubae I pater (Dio Cass. 45, 41), Sullae atque Pompeji amicus atque socius, Iugurtha occiso, primo aliquam imperii Iugurthini partem, postea Iarba profligato a Pompejo etiam reliquam obtinuit (Plut. Pomp. 12), atque Numidiae imperavit usque ad annum 81 a. Chr. (Plut. Mar. 12), v. Suet. Caes. 71 et Sallust. Iug. 17, qui librum eius sermone punico de originibus populorum africanorum conscriptum memorat *). Priorem h. l. memorari, ex patris nomine intelligimus: posteriorem lapidem votivum sequentem no. 58 posuisse videbimus.

---

*) Universum stemma domus regiae apud Numidas, quatenus hoc nostrae inscriptioni numisque Numidicis (lib. III, no. XX. XXI) inservit, hoc est:



Digitized by Google

Vocabulum אדן similiter scriptum (Daleth perparvo, quod cum Nun paene in unam figuram coaluit) exstat Numid. 2, 1. 2. 3, 1. 4, 2. 3. 5, 1 bis. Tripol. 2, 4 (cf. p. 51), modo de Baale, modo de regibus et regulis usurpatur, qui non מלך, sed אדן למכות *dominus regni* appellantur, cf. Numid. 4, 2, et (quod attinet ad usum ל particulae) מלך לְ Cit. 1, 1. 2, רשת למלכת principatus imperii Tripol. 1. Solent enim Phoenices, pariter atque Hebraei, post nomina, quae *dominum*, *regem*, *deum* et contra *servum* significant, pro genitivo etiam dativo uti, cf. Gen. 45, 8: אָדוֹן לְכָל בֵּיתוֹ. Comm. 18: אָדוֹן לְכָל מִצְרַיִם. Ps. 12, 5: מִי אָדוֹן לָנוּ. Jes. 36, 18: מֶלֶךְ לָעִיר סְפַרְוַיִם (cf. gr. ἄναξ ἄνδρεσσιν Il. 5, 546 pro vulgari ἄναξ ἀνδρῶν, cf. Eur. Phoen. 17). Ibid. Comm. 16: אֱלֹהִים לְכָל־מַמְלְכוֹת הָאָרֶץ. Gen. 9, 3: וּכְנַעַן עֶבֶד לָמוֹ. 40, 12: עֶבֶד לְשַׂר הַטַּבָּחִים. Eodem modo, ut hoc praetereundo observemus, post nomina, quae *amicum* (propinquum) et contra *inimicum*, *hostem* significant, unde אֹהֵב לְ 1 Reg. 5, 15, רֵעַ לְ Iob. 30, 29. Prov. 9, 19, חָתָן לַמֶּלֶךְ 1 Sam. 18, 18. Neh. 13, 28, שֹׂנֵא לְ Deut. 4, 42. 19, 4. 6. 11. Jos. 20, 5. אוֹיֵב ל Num. 35, 23, ut Graeci dicunt ἑταῖρος, φίλος, ἐχθρός τινί et τινός.

מכת (מכות mochût) ex peculiari Poenorum idiomate (de quo uberius disputatur lib. IV, c. 4) dictum est pro מַלְכֻת, מַלְכוּת, syllaba *al* soluta in *o*, ut in Thugg. מך (môch) pro מלך. *Imperium* autem *aeternum* appellatio est solennis et magnifica imperii Numidici, cui similes sunt tituli *Romae aeternae*, Patris Patriae *perpetui* (v. Orelli inscriptt. no. 1055. 1117. 3734), αἰωνίου βασιλέως de imperatoribus Romanis (Villoison, in Mag. Encyclop. anni 9. T. II. p. 184 sqq.), *regni coelestis* de imperio Sinico al.

Litteras ex parte fractas et deletas lin. 3 usque ad vocabulum בן in exercitt. palaeogr. p. 87 supplendas censui: עמת מעשלים *populus Massylorum* s. Numidarum, cui lectioni nunc eximium praesidium accedit ex no. 59 lin. 2, ubi eodem contextu hae litterae leguntur: עמת משעלן, eaeque, quae h. l. evanidae, certae lectionis sunt. Sed lapide ipso inspecto non possum non legere: עת.. שלים, quae suppleo: עת(מע) שלים, et eodem modo interpretor: *populus Massylorum*. Nam litterae עת satis manifestae sunt in lapide, nec ulla parte laesae: auriculae litterae Ain vix animadvertendae et nolente statuario in littera rotunda incidenda ortae (v. p. 40). עת autem, quod etiam Numid. 6 lin. 2. 3. 4 *populum* significat, et eodem modo accipi potest in n. pr. יפשעת Tugg. 1. 3, contracte dictum putaverim pro עמת (עֶמֶת), simili modo atque בֶּנֶת contr. בַּת filia, לֶדֶת contr. לַת *parere*, quanquam certa et indubitata litterae *Mem* hoc modo elisae exempla in Hebraismo sacro desiderantur *). Lineae tertia tertia littera manifesto erasa est, et haud scio an ab ipso statuario id propter vitium quoddam in ea incidenda factum sit: nam spatium eius reliqua superficie multo depressius et ferme excavatum est. Suppleo מ, addito ע, cuius vestigia quaedam supersunt. Quinta littera est *Schin*, sexta *Lamed*, septima figura coaluit ex *Jod* et *Mem*, unde oritur מעשלים, in quo *Massylos*, Μασσυλεῖς s. Μασσυλιαίους id est Numidiae populorum nomen domesticum

*) Similia sunt σαμβύκη chald. סַבְּכָא; συμβολή aram. סִבֹּלֶת, ܣܘܒܠܐ: in Hebraismo huc referebat Ewaldus (gr. hebr. maj. p. 608) אֵת cum dictum pro עֵמֶת (ab עִם), אֵמֶת.

Digitized by Google

nemo non agnoscat (v. Liv. 24, 48: Carthaginenses extemplo ad Galam in parte altera Numidiae — *Massyli ea gens vocatur* — regnantem, legatos mittunt. Polyb. 3, 33 §. 15. 7, 19 §. 1. Strabo XVII p. 570, et poëtarum locos ap. Forcell. v. *Massyli*). Quod in lapide comparet מעשלים, more hebraeo scribendum esset מַעֲשִׂילִים et accuratius respondet formae *Μασσυλιαῖοι* ap. Strabonem l. c., videtur autem patronymicum et gentilicium esse ductum a מַעֲשִׂיאֵל (*opus s. creatura dei* i. e. *Κρόνου*), qui fortasse gentis auctor ferebatur, ut יִשְׂרָאֵלִים a יִשְׂרָאֵל, יִשְׁמָעֵאלִים a יִשְׁמָעֵאל. Multa nomina propria a מעשי *Masi* ordientia vide in indd. lib. IV, c. 2 et c. 3.

בן משיבעל) Vocabulum בן eodem modo rudius scriptum habes etiam lin. 4 med. et Numid. 2 lin. 2 extr. et lin. 3 med. Nomen proprium sine dubio legendum משיבעל, quod idem esse censeo quod מעשיבעל, quomodo Hiempsalis pater appellatur Numid. 2, 3; eiecto Ain. In posteriore autem habes verum etymon veramque orthographiam nominis *Micipsa* (*Μικίψας*). Nimirum מעשיבעל (opus s. creatura Baalis), ע paulo durius pronuntiato, ut in Gomorrha, Gaza, est *Migsibal*, unde traiecto sibilo (cf. Hiempsal) *Migibsal*, *Micipsal*, *Μικίψας*, lat. *Micipsa*.

בן מעשנתן) Figura litterae Zade similis lin. 3 extr. haud dubie coaluit ex בן, cf. eandem in appendice tituli, et similem Numid. 2 lin. 2. Ipsum nomen proprium, satis illud ambiguum, legendum videtur יעשנתן. Prima littera similis est *Jod* litterae in משיבעל; altera est *Ain*; tertia *Schin*, a qua paullulum differt quinta melius pro *Tau* habenda; quarta et sexta possint *Caph* videri (pag. 33), sed scapus eorum rectus est, non inflexus, ut in hac ipsa inscriptione lin. 1. 2: propterea potius *Nun* esse videntur, cuius haec figura orta est ex illa, quae est Carthag. 5, 2, cf. §. 25 no. 10—12. Quid vero sibi vult יעשנתן, ubi non potes non Hiempsalis avum, Micipsae patrem, itaque *Masinissam* exspectare? Iam in exercitatt. p. 91 conieci, pro ~ *Jod* reponendum esse ✗ *Mem:* idque etiam nunc probabile videtur, quanquam in lapide illa linea non comparet. Quidni enim statuas, hanc lineam a statuario profecto haud nimis diligente, quem iam lin. 3 in errore quodam suo corrigendo occupatum in medio substitisse vidimus (erasit enim falsam litteram, veram non substituit), omissam esse, quum eius rei in monumentis antiquis haud pauca exempla exstent? Admissa hac coniectura habes מעשנתן i. e. מַעֲשִׂינְתָן, quod latine poterat et *Masinissa* efferri ת per sibilum pronuntiato (ut vulgo fit) et *Masintha* (Suet. Caes. 71), quod idem nomen esse videtur. De etymo eius coniecturam nostram iam paucis aperuimus pag. 117, ex qua מַעֲשִׂינְתָן fuerit *opus s. creatura Nithae nostrae* (cf. מעשיבעלן Numid. 2, 3): sed hac facile careas, si modo lectio certa esset.

Pater Masinissae in lapide nostro מציתבעל scribitur, quod transferas *robur Baalis*, ab aram. מְצָא, ܡܨܐ valuit, potens fuit, ܡܨܝܐ potens, validus, unde ܟܠ ܡܨܝܐ omnipotens. Quod nuper observavi, etiam מצנתבעל legi posse, id lapidis ipsius ductus vix ferunt, quam ipsam ob causam dubito etiam, num comparari possit lat. *Mastanabal*, credo potius מציתבעל latine pronuntiatum esse *Mezetulus*, pro *Mezetbal*, *Mezetual*. — Iam vero Masinissae pater apud Livium bis *Galae* nomine memoratur (Liv. 29, 29:

Digitized by Google

militanti pro Carthaginensibus [Masinissae] in Hispania pater ei moritur: Galae nomen erat 24, 48) et erunt fortasse, qui ita turbentur hoc dissensu, ut de inscriptione nostra ad Hiempsalis et Masinissae familiam referenda subdubitare incipiant. Sed, si modo coniectura supra in *Masinissae* nomine prolata probabilis visa est, in hac difficultate non multum haerebit, qui reputaverit, persaepe eundem regem hominemve illustrem alio nomine in ipso suo populo, alio apud exteros, alio in vita communi et apud rerum scriptores, alio in monumentis publicis insigniri, ita quidem ut in monumentis publicis verum et sincerum nomen compareat, in vita communi autem saepe cognominibus sive honorificis sive ludicris et ignominiosis (*Spitznamen*, sobriquets) utantur. Sic, ut pauca e multis memorem, qui in numis et inscriptionibus nunquam non *Cajus Caesar* appellatur, in vita communi *Caligula* nuncupatus est; *Antoninus*, qui vulgo *Caracalla*; Ptolemaeus IV, vulgo *Tryphon*, in numis et inscriptionibus *Philopator*; Ptolemaeus VII vulgo *Physcon*, in numis et inscriptionibus *Euergeta*; Ioannes *Chrysostomus* in libris a se editis *Ioannes*: eundem autem homines illustres epithetis et cognominibus insigniendi morem apud Poenos valde usitatum fuisse satis constat, v. c. Ἄννων ὁ μέγας et Ἀσδρούβας ὁ ἔριφος Appian. Pun. 34. 49, Ἀννίβας ὁ ψάρ et Ἀμίλχαρ ᾧ Σαννίτης ἐπώνυμον ἦν ibid. 68. Ἄννων ὁ Λεῦκος ibid. cap. 108. Simili igitur modo *Gala* (גְּאָלָא = גֹּאֵל ὁ σωτὴρ *vindex*) epitheton honorificum primi Massylorum regis, proprie מצתבעל appellati, fuisse potest, idque vulgari usu ita tritum, ut hoc solum Romanis innotesceret.

Supersunt litterae minores in angulo sinistro inferiore lapidis nostri conspicuae, quas statuarii nomen cum anni, quo lapis positus est, indicio continere censeo. Atque nomen quidem ita legendum est: חנמעל בן עבעל *Hannimal*, *filius Ibalis*. חנמעל *Hannimal* est i. q. חַזְבַּעַל *Hannibal*, ex nota permutationis litterarum *b* et *m*, cuius etiam in Punicis multa exempla exstant (Bocchus i. q. Mochus; Bocchar i. q. מעקר, Milcar). Vocabulum בן eodem modo scriptum habebas lin. 3 extr. Denique עבעל idem nomen esse videtur quod עיבעל (tumulus Baalis), quod in numis Ciliciis urbis locive nomen est, nisi per compendium scriptum est pro עבדבעל. De anni notatione ambigo. idem esse videtur quod



Cit. 13 et שנ (annum) designare; reliqua signa cifras putaverim, in his figuram semilunarem numeri denarii signum: reliqua non definio, neque computandi rationem indicare possum.

De figuris lapidum Baali Hammano consecratorum pauca iam diximus pag. 171. In nostro habes ipsius numinis in sacello quodam constituti duasque arbusculas tenentis effigiem, in cacumine aliam Solis imaginem: quae quidem attributa cum inscriptionis argumento optime congruunt.

Digitized by Google

LVIII.

NUMIDICA SECUNDA.

1. Lapis satis magni ponderis molisque, cui hic titulus inscriptus est, nuper admodum in imperio Tunetano inter Bedjam (بجة), *Vaccam* veterum et Kef (الكاف), *Siccam* Veneream veterum (v. Shaw Voyages T. I, p. 228. Temple's Excursions II, 273) inventus et ab ill. DE SCHEEL, Danorum apud Tunetanos proxeno ab epistolis, Hauniam missus est ibique in Museo asservatur. Delineationem eius primus dedit FALBIUS, *sur l'emplacement de Carthage* tab. 5, no. 4, unde solam inscriptionem repetivi *Palaeogr. Studien* tab. 6 eamque, postquam eam legendam desperaverat Lindbergius (apud Falbium l. c. pag. 106), primus explicavi l. c. p. 96 sqq. Quae quidem explicatio in plerisque confirmata est, in aliis retractanda fuit, postquam novum idque accuratius exemplum super ipso lapide factum (vide tab. 22) in huius operis usum mihi miserat HOHLENBERGIUS. Exoptatissimum autem erat hoc novum exemplum, ex quo appareret, insigne quoddam bonae explicationis obstaculum, quod nonnisi audaciore coniectura removere potueram, in lapide ipso non reperiri. Etenim lin. 1 litt. 7 minime cruciformis est, sed nil nisi *Lamed*, in quo incidendo aliae quaedam lapidis particulae ab utraque litterae parte solutae sunt. „*Die nach der Seite ausgehenden Theile des bey F. kreuzförmig gezeichneten Buchstaben sind nur durch Irrthum entstanden und finden sich auf dem Steine gar nicht. Beym Einhauen des Lamed ist der Stein an beyden Seiten dieses Buchstaben lädirt worden, und diese Läsion ist mit einem kleinen Riss in einen bestimmten Zug verbunden worden, der bey genauerer Betrachtung in nichts verschwindet (Hohlenb.).*" Praeterea lin. 1 littera 13 *(Caph)* nonnisi uno brachio eoque sinistro munita est, vulgarem igitur normam sequitur; lin. 2 litt. 4 *(Cheth)* simpliciter duabus lineis continetur, non unciformibus illis, ut apud Falbium.

2. Titulus praecedenti simillimus, sed brevior, ita legendus est:

לאדן בעל כמן מלך ע' שמע
קלת חכמשבעל אדן בן
הכבעל בן מעשיבעלן

Domino Baali Solari, regi aeterno, qui exaudivit voces Hacamsbalis (Hiempsalis) *Domini, filii Hicebalis, filii Magsibalenu.*

Formula לאדן בעל כמן מלך ע' שמע קלת eadem est, quae in praecedente lapide, nisi quod vocabulum מלך h. l. plene scriptum est, et pro חמן (חַמָּן) in hac inscriptione habetur כמן (כַּמָּן), ut Numid. 3, 1 et 4, 3, כ et ח inter se permutatis (v. Thes. ling. hebr. T. I. p. 436). In singulis litteris ex nostro apographo nihil fere offensionis superest. In vocabulo כמן, quod eodem modo pictum habes Numid. 3 et 4, *Mem* imperfectius est, duobus tantum apicibus munitum, ut Cit. 7 (in נחם).

Digitized by Google

חכמשבעל אדן) Voventis nomen est חכמשבעל, non חכמחבעל, ut nuper legeram: quarta enim littera non potest non *Schin* esse. Pronuntiandum illud חַכַמְשַׁבַּעַל *sapiens Baalis*, et variarum formarum una est, quae a Romanis promiscue pronuntiabantur *Hiempsal* (חכמבעל Numid. 1, 2, חכמבל Numid. 3, 3, חכבעל nostr. lin. 3, חכמחבל Numid. 3, 2. 3, חכמחעל Numid. 4 lin. 2): quanquam apud ipsos Numidas alii reguli hac, alii illa nominis forma insigniti fuisse videntur, quemadmodum apud nos eorum, qui Ioannis praenomen gerunt, alii hoc constanter plene *Johannes*, alii brevius *Johann*, alii contracte *Hans;* apud Arabes alii يوحنس, alii يوحنا, alii حنس, demin. حُنَيْن, alii denique يحيى appellantur. — Tres litteras, quae nomen proprium excipiunt, in exercitatt. p. 96 legeram מ בן. Iam nihil dubito eas legendas esse אדן (אָדֹן) et Hiempsalis titulum esse, qui Numid 1 plenius expositus hic erat: ... אדן מעשלם.

בן חכבעל) duo signa paene evanida, quae extrema linea comparent, Hohlenbergius veras litteras esse vix putat: mihi ea בן legenda esse videntur (cf. lin. 2. 3) quum probabile non sit, hoc versus spatium vacuum relictum esse. De Hohlenbergii sententia praecedens vocabulum legendum esset א בן i. e. אדן בן: sed vix credibile, statuarium אדן per compendium scripsisse et paullo post spatium vacuum reliquisse. — Nomen patris חכבעל pronuntio חַכַבַּעַל et ex חַכַמְבַּעַל contractum esse censeo. Hunc eundem esse atque חכמבעל Numid. 1, 2 ex eo apparet, quod uterque patrem habet משיבעל s. מעשיבעל i. e. Micipsam. Quod vero חכמשבעל אדן *Hiempsal* (Numidiae) *Dominus* nostrae inscriptionis appellatur „*filius Hiempsalis*, *filii Micipsae*“ ex eo dirimi potest quaedam virorum doctorum in stemmate Numidiae regum constituendo controversia. Etenim dubitatum est, utrum Hiempsal II, Iubae pater (Dio Cass. 45, 41), Hiempsalis I filius fuerit, an alius quispiam ex regia Masinissae gente oriundus. Posteriori sententiae subscripserunt Rein. Reineccius in hist. Julia T. III. p. 340 sqq. Sponius in Miscell. erud. antiqu. p. 147, auctores „hist. universalis“ T. XVI p. 170 al. provocantes ad inscriptionem latinam in agro Carthaginensi, ut perhibent, inventam: REGI IUBAE, REGIS IUBAE FILIO, REGIS HIEMPSALIS N. (nepoti), REG. GAU. (?) PRONEPOTI, MASINI SAE ABNEPOTI cet. Sed non solum authentia illius inscriptionis, in qua Micipsae desideratur mentio, merito suspecta est (v. Scip. Maffei Ant. Gall., p. 407. Hamak. Miscell 243 sqq.), sed universum stemma a viris doctis quos modo laudavi compositum plura continet minus probanda (v. Hamak. l. c.), atque nunc inscriptionis nostrae auctoritas id evincit, quod alii dudum suspicati erant, Hiempsalem II, cui post Iugurthae mortem Numidiae imperium a Romanis traditum est, Hiempsalis I a Iugurtha occisi filium fuisse.

בן מעשיבעלן) in nomine proprio plures sunt litterae, in quibus aliquis haerere possit. In his est *tertia*, quam tamen *Schin* esse facile consentient, qui cogitaverint, hanc figuram easdem continere lineas atque Schin lin. 1 et 2, sed nunc quidem ita pictam esse, ut cornu ex dorso dextrorsum excrescens cum superiore litterae parte in unum ductum coiverit (cf. §. 32, no. 16). Quartum signum primo obtutu *Gimel* esse videtur, quo

Digitized by Google

posito מעשגעל legendum esset: quas vero litteras quum ad aptum etymon revocare non possim, illud signum ex duabus litteris 𐤉 = יב coaluisse suspicor, ut Numid. 3 lin. 2 litt. 14 similis figura orta est ex נל. Denique signum extremum, quod veram litteram, non ornamentum, esse affirmat Hohlenbergius, non alia littera esse potest quam *Nun*, unde prodit integrum nomen מעשיבעלן i. e. מַעֲשִׂיבַעֲלֵנ *opus* s. *creatura Baalis nostri*, quod non differt a מַעֲשִׂיבַעַל, quemadmodum nos de aede Mariae sacra locuti dicimus *Zu Unserer Lieben Frauen* (*Nôtre*-Dame) et brevius *Zu Lieben Frauen*. Simile suffixum fortasse statuendum erat in מעשנתן (Masinissa), vide p. 200.

Continet igitur etiam hic lapis titulum votivum Baali Solari propter naturae fertilitatem (v. varia eius ornamenta) consecratum ab Hiempsale II, Hiempsalis I filio. Si vero quis forte miretur, Masinissae nepotes Solem, fertilitatis auctorem, tanta cum religione coluisse, is sciat, ipsum Masinissam, huius gentis auctorem, teste Polybio (XXXVII, 3 cf. Strabon. XVII, p. 833 Casaub.) nulla re magis de civibus suis meruisse, quam agrorum cultura promovenda.

LIX.

NUMIDICA TERTIA.

1. Etiam hic lapis, praecedentibus simillimus sed fabricae paullo rudioris, anno 1823 ad finem vergente in vicinia vel Bedjae (i. e. Vaccae) vel Kef *) oppidi (Siccae) repertus, ab Humberto apud Tunetanos agente coëmtus, et in Museum Lugdunense delatus est, ubi etiamnum asservatur. Delineationem eius, quae verae magnitudinis dimidiam partem refert, Hamakerus dedit, Miscell. tab. 2 no. 1; quam cum ipso lapide comparans, satis accuratam esse intellexi, haec tria tantum desiderans: a) lin. 2 fig. 8 non est 𐤓, sed 𐤄; b) a dextra parte lineae quartae plures litterae ope stili vi erasae sunt, ut apparet ex foraminibus, quae etiam (quamquam minora) in litteris adhuc superstitibus conspiciuntur, ut nequaquam consentire possis cum Hamakero in hac inscriptionis parte unquam litteras fuisse negante; c) figura, quae in ornamentis lapidis ante vaccae os conspicitur, quamque in illa delineatione vix agnoscas, mulctram repraesentat. Nos inscriptionem ad veram eius magnitudinem dedimus, integri monumenti delineationem in minus contractam.

Interpretationem eius dedit Hamak. l. c. pag. 11 sqq. sed Fourmontii fere ingenio dignam, in qua vix duarum triumve litterarum (ע, כ, ל) potestas recte definita est, cuiusque orationem vel Oedipus Poenus non intelligat. Haec enim talis est:

לְתוֹצוּעַ פָּר וְתֶזֶךְ עֵ
נֹת עָק תּוֹבָה תִּתְ
הַצְעַף פָּרֹת־דְּחֹק (דְּחַם?) תֻ
בְּשׁוּ שָׁפַע

i. e. *propter partum* (vel *fecunditatem*) *armentorum et purgationem fontium obstructorum votum* (vel *sacrificium*) *duplicabitur*. *Vaccae debitae* (vel *sorte lectae*) *macta-*

*) Quod Hamakerus Miscell. p. 11 scribit *Kessi* pro *Keff* (الكاف), mero errore nititur.

Digitized by Google

buntur largiter. Quid mirum, Hamakerum ipsum (pag. 11) nomen dei, cui lapis consecratus sit,[1] desiderare et aliam quandam inscriptionem, quae hunc defectum suppleat, in eiusdem lapidis cacumine forte exaratam sibi fingere.

2. Nos initium tituli iam copiosius tractavimus, *Palaeogr. Studien* p. 77. Integer, praeter lineam quartam, quae ab initio manca est, ita legendus est:

לאדן בעל כמן מלך ע׳
שמע קלת חכמת־
ה וע׳ חכמבל ב׳ טם
...כמ.טיע

Domino Baali Solari, regi aeterno,
qui exaudivit voces Hicmath-
onis et servi tui Hicembalis praetoris ...

Prima formula inscriptioni nostrae קלת .... לאדן cum praecedenti communis est, quanquam litterarum formae in hac rudius et negligentius etiam incisae sunt, ita ut hae sine aliorum monumentorum comparatione vix certa ratione legi potuissent. Habuisset igitur, quo se excusaret Hamakerus, cui incogniti erant lapides duo praecedentes: nisi ei ad manus fuisset titulus sequens (no. 60), cuius linea tertia, ut videbimus, paucis mutatis eandem formulam continet.

Qui hunc lapidem consecrarent, duo fuerunt (cf. Melit. 1. Cit. 3). In priore nomine quattuor litterae extremae lineae secundae sunt הכמת (duo enim signa, quorum posterius in exemplo Hamakeri male pictum erat, sunt *Chet*): lin. 3 fig. 1 *He* litterae simillima est, unde prodit חבמחה i. e. חָכְמָתָה *sapientia* vel חָכְמָתֵהּ, חָכְמָתֵהּ (cf. כבאה Tugg. lin. 5) *sapientia eius* (sc. Baalis), coll. אֲבִידוּא, אֶלְיהוּא et יָכִין *quem stabilivit ille* (sc. Deus): forma decurtata et elliptica idem significans quod חכמחבעל, et eodem modo fortasse explicanda sunt plura nomina propria in *o* exeuntia, ut *Dido*, *Chinisdo* (v. lib. IV c. 3).

Sequitur ועחכמבל, quod plenius legendum ועבדך חכמבל *et servus tuus Hiempsal* i. e. *et ego Hiempsal*, qua formula hic se tituli auctorem profitetur (v. ad Melit. 1, p. 98). In nomine ipso quaedam litterae incertae sunt. Si accurate scriptus esset titulus litteraeque similes diligenter distinctae, legendum esset: חרמדל, vel חכמדל; nam secunda figura in ipso lapide paullulum dubia est possitque vel *Caph* videri vel *Resch*, quarta autem Daleth litterae similior quam Beth: quanquam et Daleth et Beth supra lin. 1 aliter et negligentius pictae exstant. Sed in tanta statuariorum indiligentia et socordia etymon et nominum propriorum formam aliunde notam consulere, quam in litterarum figura examinanda anxie haerere satius duxi, eamque ob causam חכמבל potius quam חכמדל legere suasi. Posteriori Hiempsali additur בטם, quod per compendium scriptum censeo pro בעל טעם *dominus mandati* i. e. praefectus provinciae, quo titulo Samariae praefectus ornatur Esr. 4, 8. 9. 17.

Digitized by Google

Quae ab initio lineae quartae deleta sunt, de mea sententia provinciae nomen continebant, cui Hiempsal praefectus erat. Erasa autem videntur iam antiquis temporibus ab hominibus, qui hunc praetorem s. proregem odio habebant eiusque iugum moleste ferebant: cuius rei sexcenta exempla exstant v. c. in nominibus titulisque imperatorum Romanorum, quae saepissime (ut videtur, a Christianis) ex inscriptionibus erasae sunt (v. Burkhardt itin. Syriae p. 202. 499 ed. germ.). Quae supersunt litterae: כמימיע (vel בן) ad Hiempsalis maiores pertinuisse videntur: sed de his nil definio.

Posuerunt igitur hunc titulum communi, ut videtur, sumtu duo Hiempsales, quorum alter provinciae cuidam Numidicae praefectus erat, quosque ex regia Masinissae et Hiempsalum stirpe ortos putaverim iccirco quod Hiempsalis nomen illi genti tantum non privum erat et peculiare, tantaque huius monumenti cum praecedentibus est necessitudo. Quod autem hoc monumentum ad priorum illorum elegantiam et accurationem non accedit, orthographiam etiam sequitur ad linguae sonos magis quam etymi leges conformatam (כמן pro חמן, חכמחבל pro חכמחבעל), id partim tenuiori fortunae partim recentiori aetati voventium, qui Iubae forte aequales erant, tribuerim.

3. De ornamentis pauca dicenda supersunt. In cacumine lapidis, quod fractum est, fuisse figuram hominis, pedes ostendunt et inferior pars vestimenti. At non feminam repraesentasse hanc figuram, ut volebat Ham. p. 11, sed virum voventem (Hiempsalem), testis est inscriptio recte explicata. Cf. ad no. 60.

Vaccae imago, pariter atque equi agnive imagines in similibus monumentis, ostendit, hunc lapidem votivum ad armentorum fertilitatem pertinuisse (cf. simile monumentum illiteratum infra laudandum, ad no. LX, 3 no. 10). Quid sibi velit triquetra, alias in Siciliae monumentis frequentissima (v. Eckhel doctr. numor. I, p. 184. Rasche v. *triquetra*), Archaeologis disquirendum relinquimus, qui videant, possitne hoc symbolum propter fertilitatem a Sicilia ad Numidiam translatum videri.

LX.

NUMIDICA QUARTA.

1. Inscriptio tribus praecedentibus similis et procul dubio in eodem loco effossa, ubi magna similium monumentorum vis in terra latuisse videtur (v. infra no. 3), olim in collectione Tulinii, Anglorum apud Tunetanos Consulis, anno 1828 a Bataviae Rege emta et in Museum Lugdunense delata est. Apographum eius Humbertianum lapide nondum viso edidit Hamakerus, Miscell. tab. 2 no. 2, cf. p. 21, et etiam postea ipso lapide inspecto laudibus cumulat tanquam integerrimum (Miscell. p. 309): quae quidem laudes novo testimonio sunt, eos qui litterarum potestatem et naturam perspectam non habeant perraro ductus earum, maxime paullulum evanidos, recte dignoscere, nedum delineando imitari. Etenim, quanquam linea secunda et tertia satis bene delineata est, prima, maxime ab initio, in apographo edito plane depravata est, deque legenda ea iam desperaveram, quum ipso lapide inspecto de plerarumque litte-

Digitized by Google

rarum potestate atque de universa sententia mihi mox constaret. Duo eius dedimus exempla, alterum iustae magnitudinis, alterum in minus contractum, quod totius monumenti figuram referret.

Explicationem eius dedit Hamakerus p. 22—37, non meliorem, quam praecedentis tituli, quod aliter fieri non poterat a viro Numidicae scripturae rationem prorsus ignorante. Re vera is nonnisi tres quattuorve litteras (ב, ע, ל, passim מ et ת) et duo vocabula (lin. 2 בעל, lin. 3 לבעל .. עמת) recte legit in interpretatione sua, quae haec est:

תּוֹהַב מֹץ עֵנָב לַעֲרָכַן בְּתַסְבִּיו עַ־
בַּעַל צֹעִי בְּתאוּבַת בָּגַן נְצָבוֹת נָתַן עַזּוֹ
לְבַעַל פְּרִיּוֹת לְהִתְעַדְּלֶת עָמַּת

Donum musti uvarum pro vineis (vel *secundum ordines*, nempe vinearum) *propter incrementum earum* (vel *eius*)
Enbaal Zoensis (vel *Zeugitanus*) *ad expiandos Bagenses monumentum posuit laudando* (vel *celebrando*)
dominum fructuum, ad compensationem publicam

quamque si silentio transire potuissem, bonae de auctoris iudicio existimationi melius consuluissem.

2. Nobis viam ad legendum hunc titulum munivit linea tertia, de qua disputavimus *palaeogr. Studien* p. 77 sqq. Etiam lineae 2 sententiam ex apographo Humbertiano perceperamus, primam lineam, ut diximus, ipso demum lapide inspecto legere coepimus. Nostra autem lectio haec est:

משל לשעתבל ע׳ הכשר משגח בענ
בעל בן ע׳ חכמתעל אדן למכת עמת משעלן
לבעל כמן אדן שמע קלת עמת

Imago Scheôtbalis servi tui iusti, spectati in oculis
Baalis, filii servi tui Hiempsalis, Domini regni populi Massylorum,
(consecrata) *Baali Solari Domino, qui exaudivit voces populi.*

Est igitur, aeque atque tres praecedentes, lapis votivus Baali Solari consecratus, sed voventis imagine ornatus, quo factum est, ut sententia tituli inverso ordine procedat et voventis nomen atque prosapia numinis mentioni praemissa sit. De litterarum figuris, quae mira negligentia et arte perquam rudi exaratae sunt, unum praemuniendum est, tertiam lineam, quae formulam votivam contineat, passim alios eosque maiores characteres habere atque duas priores (cf. *Caph*, *Lamed*, *Mem*), cuius rei causam hanc fuisse censeo, quod sculptor in hac formula scribenda alia exempla accurata imitatus est, in reliqua tituli parte et in nominibus propriis scribendis ex sua tantum dexteritate dicam an imperitia et rusticitate pendebat. Quid de singularum litterarum potestate statuamus, in alphabeto tabulae adiecto indicavimus, quare ad singula expedienda iam transeundum est.

Digitized by Google

משל לשעחבעל) Quattuor primae litterae in apogr. Humb. prorsus depravatae in ipso lapide satis manifestae sunt. משל *similitudo*, quod in V. T. nonnisi figurate *parabolam sententiam*que significat, in qua similitudo inest, h. l. proprie est *imago, simulacrum* (angl. *likeness*), ut arab. مثال 2 Reg. 23, 17 (ubi dicitur de cippo sepulcrali, in quibus saepe imagines sepultorum esse solent), et تِمْثَالٌ, pl. تماثيل *icon, effigies* Iud. 8, 27. 2 Sam. 18, 18. שעחבעל (שְׁעִחְבַּעַל, vel שְׁעַחְבַּעַל), quod Poeni fortasse pronuntiabant *Sutubal*, est *visio Baalis* et vicinum nominibus *Sobal* et *Subas* (v. ind. nom. pr. lib. IV, c. 3) = שׁוּבַעַל.

In his, quae nomen proprium voventis excipiunt, usque ad figuram lin. 2 litt. 4, quam בן significare constat ex Numid. 1, septem posteriores lineae primae litteras prius משגחבעל legendas et nomen proprium esse putabam, pronuntiandum illud מַשְׁגַּחְבַּעַל (cui *providet Baal*): de reliquis autem legendis atque de nominis structura dubius haerebam (nam quae posui *Allg. Litt. Zeit.* 1836 no. 98, nonnisi ex coniectura et exempli causa dicta sunt), probe intelligens, *Masgabalem* illum neque voventis patrem esse posse (nam in quinque litteris praecedentibus duas vix invenies, quas, nisi vim iis afferre velis, בן legere possis), neque alium quendam virum, qui in lapidis consecrandi societatem venerit, ut Melit. 1. Numid. 3 (huic enim obstat unius voventis *imago* in lapide repraesentata et formula: משל לשעחבל). Integram igitur causam recolui in consilium adhibitis Brandtio et Veesenmeyero, felicissimi ingenii iuvenibus in his litteris egregie exercitatis, et rationibus rite subductis integra illa oratio ad laudes voventis pertinere et ita legenda esse videtur: (בְּעֵינֵי) הכשר מַשְׁגַּח בעז (עבדך) ע׳ בעל i. e. (Imago Scheotbalis) *servi tui probi spectati in oculis Baalis*, qua ratione et litterarum potestati satisfit et apta sententia prodit. In litteris כשר nil fere dubii est, ea una littera, quae has praecedit, dubia esse possit, quum etiam *Resch* litterae similis sit: at He littera non solum contextu eximie commendatur, sed habebit etiam apud Palaeographos excusationem, quum negligentior huiusmodi figura orta esse possit ex ea, quam He habet in inscr. Tuggensi (vide lib. 1 §. 16 no. 12). Praeterea nemo non videt, extremam versus primi litteram differre a lin. 2 litt. 3, et illam rectius pro *Nun* haberi, quum haec manifesto sit *Lamed:* בעז autem legitimam esse scripturam pro בעיני *in oculis* (cf. adeo עֵנֵי Jes. 3, 8), nemo negabit collato שן בן pro שְׁנֵי בָנֵי Melit. 1, 3 et pag. 58. Ad sententiam quod attinet, מַשְׁגַּח בעיני בעל *spectatus in oculis Baalis* i. e. honoratus coram Baale (angesehn vor Baal), vulgaribus verbis hebraeis declarare possis נִכְבָּד בְּעֵינֵי בַעַל (Jes. 49, 5 cf. Levit. 10, 3), גָּדוֹל לִפְנֵי בַעַל (cf. 2 Reg. 5, 1).

בן ע׳ חכמחעל) Primam figuram esse בן, ex Numid. 1 lin. 3. 4 manifestum est. ע׳ = עבדך *servus tuus*, epitheton honorificum, quod h. l. voventis patri apponitur, ut Cit. 7 viro defuncto, ubi vide. In patris nomine sola secunda littera dubia esse possit, sed eam Caph esse, non Beth, ex contextu manifestum. Est autem חכמחעל forma contractior pro חכמחבעל eiecto B, ut צברחעל pro צברחבעל (v. lib. III, no. 24) *Iugurthal* pro Iugurth-bal (lib. IV c. 3).

Digitized by Google

Brandtius meus secundam litteram *Jod* esse statuit, ut legatur חימתעל, כ sensim in litteram debilem soluto, ut in lat. *Hiempsal*, cf. *locus* gall. *lieu*, neque negandum est, rude illud signum posse etiam ex *Jod* ( ) decurtatum videri: malui tamen nominis formam receptam retinere. Nostrum autem חכמתעל eundem esse *Hiempsalem*, qui no. 58 plenius חכמתבעל appellatur, id arguit titulus regius eius nomini additus:

אדן למכת עמת משעלן) *domini imperii populi Massylorum*, quem, fateor, vix et ne vix quidem unquam legissem, nisi ad manus fuisset Numid. 1, in qua eadem formula comparet, ex parte quidem laesa, ex parte tamen accuratius scripta. In vocabulo אדן (cf. pag. 51) h. l. *Nun* ita coaluit cum sequente *Lamed*, ut utrumque Gimel esse videatur. Quae sequuntur, tria signa paene parallela rudissima arte picta sunt: nihilominus ea verbum מכת (מֶכֶת = מלכות regnum) repraesentare, collato titulo 57, qui eodem loco plenam formam habet מכת עלם, certum est. Duae ultimae huius vocis litterae similiter pictae sunt Numid. 5, 1 cf. pag. 52. — Quod populi nomen h. l. משעלן scribitur pro מעשלן, invito etymo veraque orthographia, id eius, qui titulum litteris consignavit, aut quadratarii socordia factum est, cuius ipsius in littera ע transponenda negligentiae plura exempla in his monumentis exstant, ut in numo Simeonis (v. Mionnet, Recueil des Planches pl. 23 no. 25) שעמן pro שמען, et in inscr. Carpentor. lin. 4 נמעתי pro נעמתי, quorum communis causa in debili ע litterae, quae indoctis hominibus videri poterat paene abundare, sono et pronunciatione quaerenda esse videtur.

In postrema linea: לבעל כמן אדן שמע קלת עמת — אדן absolute additur, pro eo quod alibi est מלך עלם (no. 57. 58. 59), sed cf. Carth. 2, 2. 3, 2. עמת (עַמַּת) singulare est et absolutum, ut רַבַּת *domina* Carth. 3, 1, ubi vide. Positus igitur hic lapis a Sutubale, Hiempsalis regis filio, quem ipsum repraesentat imago virilis sub Baalis imagine in monumento conspicua. Si quaeris, utrum Hiempsal intelligendus sit eius nominis primus an secundus, equidem hunc secundum esse crediderim, quandoquidem hic scribitur חכמשבעל (quod prope accedit ad nostrum חכמתעל), ille חכמבעל et חכבעל. Est igitur hic titulus quattuor sibi similium (no. 57—60) recentissimus et Iubae I fere aequalis.

3. De ornamentis lapidis, quae admodum rudi arte facta sunt (adeo ut Baalis figura ne erecta quidem stet et ad sinistram vergat), non est quod multis disputemus. Repraesentat monumentum praeter Sutubalis imaginem Baalis figuram, cuius brachia in uvas et malogranata exeunt Solemque horum fructuum datorem esse significant. Accedunt flores et folia (cuius plantae, non definio), quibus haud dubie indicatur, hunc titulum Soli propter anni fertilitatem positum esse.

Ut autem videant lectores, cuius generis ornamenta in cippis punico-numidicis, qui in illis regionibus eruti sunt, compareant, adiungere placet brevem descriptionem undecim monumentorum Punicorum atque Numidicorum, quae in imperio Tunetano nuper effossa in Museo Lugdunensi asservantur, quattuor cippis a nobis exhibitis

Digitized by Google

similia, sed inscriptionibus vel latinis vel nullis instructa. Amice eam nobiscum communicavit *Conr. Leemans* V. Cel. illius Musei subpraefectus, qui in „Musei Lugdunensis Monumentis" iustam horum monumentorum editionem et illustrationem olim daturus est. Sequitur autem hic catalogus indicem Musei monumentorum manuscriptum:

1) Anaglyphum exhibens figuram, quae manu dextera uvam tenet, in exedria, super quam lunula et flores: repertum vel ad Bedjam vel ad Keffam.

2) Cippus, prope Tunetem (?) repertus, in cuius superiore parte comparet lunula, sub qua in cellula figura viri, manu sinistra codicillos s. tabulam scriptoriam tenens. Infra hae litterae:

LICISIPPVS PIVS
(V)IXIT ANIS XV
..... E

3) Anaglyphum, in cuius superiore parte conspiciuntur tres figurae humanae manibus sublatis palmas tenentes. Sub iis in cellula caput humanum: inferior pars fracta. Ubi repertum sit, non constat.

4) Cippus, in quo superne coronae longiores, sub quibus duae figurae, viri et feminae, in quarum medio ara accensa et litterae D. M. S. Reliqua fracta sunt.

5) Cippus minor, exhibens virum stantem, manu dextra ad coelum sublata, repertus Susae.

6) Cippus rudioris operis Carthagine repertus his litteris inscriptus: SABINVS SVGAN. MATRI, sub quibus figura mulieris inter duas columnas, quae dextra extensa urceum inversum, sinistra corbem tenet.

7) Fragmentum cippi sertis et papaveribus ornati, Carthagine reperti.

8) Cippus exhibens figuram mulieris in cellula, sub qua haec verba:

SALITTHV
LILLECIS FILIA
PIA. VIX. AN. XXI
H. E. S.

Repertus vel Bedjae vel Keffae. Ibidem reperta anaglypha 9—11.

9) Anaglyphum superne fractum, in cuius superiore parte supersunt vestigia figurae muliebris sedentis: sub ea tres parvae figurae muliebres nudae, Iunonem, Minervam et Venerem repraesentantes (?), denique in cellula vir volumen manu tenens.

10) Anaglyphum exhibens superne figuram muliebrem stantem, sub ea puerorum symplegma, in inferiore parte *taurus*.

11) Mulier stans in conclavi ornato statuis, quarum duae palmas manibus gestant.

LXI.

NUMIDICA, QUINTA.

1. Eximium hoc monumentum hucusque ineditum diu latuisse videtur in Musei Britannici subterraneis, ubi etiamnum exstat inter alias Sloanianae collectionis

Digitized by Google

inscriptiones. Ibi visum et festinantius a se descriptum mihi miserat *Odofr. Muellerus* V. Ill., nuper id ipse diligentius examinavi, et duplex eius exhibeo exemplum, alterum minus totius monumenti, quod ex marmore albido subcano eoque durissimo affabre factum et perbene levigatum est, alterum nonnisi litteras, easque tamen iusta magnitudine, repraesentans. De loco, ubi lapis inventus sit, nihil compertum est apud Musei praefectos: Numidicis tamen monumentis eum annumerare iubent tum litterarum figurae Numidicis similes, tum inscriptionis argumentum. Ornamenta admodum simplicia: infra Baalis imago rudior, superne, ut videtur, lunula.

2. Inscriptionem, quam nemo litterarum Phoeniciarum peritus vidisse nedum legisse videtur, ita lego et interpretor:

לבעל אדן לעדר חן אדן מכת בעל
הלבי פגע אגדת רמי

Baali Domino ab Adricheno, domino regni Baalis Libyci, qui percussit turmas Romanorum.

Posterioris lineae verba spatiis distincta sunt omnia: in priore, ubi cumulatiores sunt litterae, ante tertium certe vocabulum, quod voventis nomen continet, spatium est, quo secernatur ab לבעל אדן: aliud enim spatium inter לעדר et חן fortuitum potius, quam consulto factum videtur.

לבעל אדן) לַבַּעַל אָדֹן *Baali Domino.* In voce בעל singulare est *Lamed* iusto brevius pictum: et similiter *Nun* finale in אדן (quod quidem vocabulum eodem modo pictum habes Tripol. 2 lin. 4). Utrumque autem novo testimonio est, in Numidicis eo negligentius scribi vocabula, quo frequentiora sunt magisque in vulgus nota. Accuratius exaratum est nomen voventis

לעדרחן) quod vix aliter legi poterit, atque nos fecimus. Tres enim figurae, quae Resch litteram excipiunt, nihil aliud esse possunt quam *Chet:* est autem עדרחן (עֶדְרִיחֵן) pr. *grex pulchritudinis* (Schönheerde) nomen Numidarum, rei pecuariae prae ceteris deditorum, ingenio plane accommodatum, cf. עַדְרִיאֵל *grex Dei*, quod nomen gessit gener Sauli 1 Sam. 18, 29. 2 Sam. 21, 8. Quum inter לעדר et חן aliqua intersit intercapedo, ita ut in unum vocabulum ea connectere dubites, in mentem venire possit, sententiam ita struendam esse: לבעל אדן לעדר חן אדן ונו׳ *Baali, Domino gregis* (gregum) *sit gratia Domini regni Baalis Libyci:* sed partim hoc modo deesset nomen proprium voventis, quod deesse non potest: partim ineptum esset attributum „dominus gregis", quum cippi positi caussa, ut docent tria extrema verba, plane diversa sit. Videtur igitur, ut diximus, illa intercapedo nonnisi fortuita esse. Voventis titulus est:

אדן מכת בעל הלבי) i. e. אֲדֹן מַכַּת בַּעַל הַלֻּבִּי. In his satis manifesta et obvia sunt אדן et בעל: vocabulum מכת simili negligentia pictum est, atque Numid. 4, 2 (cf. pag. 52 et ad Numid. 1, 2): in הלבי He articuli a Jod sola fere magnitudine differt. — בַּעַל הַלֻּבִּי vel בַּעַל הַלֻּבִּי (nam in V. T. scribunt לוּבִים Libyes 2 Par. 12, 3. 16, 8.

Digitized by Google

Nah. 3, 9 coll. arab. لوبى, et לוּבִים Dan. 11, 43, ad articulum soli Adiectivo praefixum cf. Gen. 1, 31. Ps. 104, 18. Joel 2, 25) *Baal Libys* haud dubie idem est qui Romanis appellatur *Hercules Libys* s. Phoenicius (Sallust. Iug. 89 §. 4: Capsa, cuius conditor Hercules Libys ferebatur; cf. Oros. 5, 15, qui eidem urbi Herculem Phoenicium auctorem tribuit), *Hercules Libicus* (Murat. thes. inscript. I p. LXIII), *Hercules Libycus* (Eckhel doctr. num. VIII p. 442), alio domestico nomen *Μάκηρις* i. e. מעקר (vide ad Tripol. 2), et multarum urbium Numidicarum conditor ferebatur. — Sed quid est *imperium Baalis Libyci*, cui praeerat *Adrichen?* Neque Massylorum regnum, cui Masinissae familia imperabat, neque Masaesylorum et Syphacis imperium intelligendum censeo, quanquam in utroque Hercules impensius colebatur et magis etiam a Masaesylis, quorum reges genus ab Hercule ducebant (Plut. Sertor. 9): utriusque enim reges ex scriptoribus graecis latinisque noti sunt, neque memoratur in iis, qui nomen gerat nostro עדרחן simile. At enim, ut observat Appianus Pun. c. 10, *Νομάδων τῶν ἐν Λιβύῃ δυνάσται μὲν ἦσαν κατὰ μέρη πόλλοι* (cf. Mannert Geogr. X, 2 pag. 194), idque confirmat historia bellorum a Romanis in illis regionibus gestorum, in quibus passim memorantur Numidarum principes et reguli (v. c. Manasses Appian. civ. 4, 54, Arabion ibid., al.), modo cum Romanis, modo cum Poenis Massylisve foedere iuncti. Talis igitur intelligenda erit civitas, quae Herculem Libycum conditorem colebat, veluti *Capsa* (v. Sallust. l. c.), item Vacca, in numis בקי מלקר *urbs Herculis* appellata (lib. III, no. 23) et probabiliter Siga, quae בילת מעקר *civitas Herculis* nominatur (lib. III, no. 25): qua de re certior sententia dici posset, si modo de loco, quo lapis inventus est, constaret. *Adrichenum*, civitatis regulum, hominem novum et fortasse humili loco natum fuisse, ex eo colligi potest, quod patrum eius nulla mentio est: eum in bellis gerendis ab Afrorum partibus stetisse contra Romanos, ex his apparet, quae statim sequuntur:

(פגע אגדת רמי i. e. פֹּגֵעַ אֲגַדַּת רֹמֵי *qui percussit* (Baal Libys) *turmas Romanorum.* In litteris non multum dubii est. In פגע prima littera et *Beth* esse possit et *Phe* (v. p. 41), sed בגע apta sententia caret. Eodem modo in אגדת tertia littera *Resch* videri possit, quum cauda paullo longior sit, et pro רמי per litteras etiam ראי legi possit: sed in Numidicis magis etiam, quam in Phoeniciis legitime scriptis non sola litterarum figura, sed verborum quoque et sententiae ratio habenda est, quae ex illa lectione profecto prodit aptissima. Positus igitur videtur iste lapis ab Adricheno, Numidiae regulo, in honorem Baalis, qui populo suo victoriam de Romanis concesserat. Quemadmodum enim in V. T. victoria de hostibus reportata gentiumque clades sexcenties Jehovae tribuuntur, ita *percussio* Romanorum h. l. Baali, civitatis numini *ἐπιχωρίῳ*. פֹּגֵעַ (in participio legendum, ut שֹׁמֵעַ Numid. 1—4) *percussit*, dein *occidit*, *trucidavit* (Iud. 15, 12. 2 Sam. 1, 15), in Sacris vulgo iungitur sq. בְּ, h. l. sq. acc. ut Ex. 5, 3. אֲגַדַּת *manipuli*, *turmae* (2 Sam. 2, 25) in malam fere partem acceptum videtur, ut nostr. *Rotte*. רֹמֵי collective ponitur, ut in V. T. הַכְּנַעֲנִי Gen. 10, 16 sqq. 13, 7. 15, 19 et saepe: omisso tamen articulo, in quo ponendo parci sunt Phoenices, certe in horum monumentorum titulis. De

Digitized by Google

LXII. LXIII.

NUMIDICA SEXTA ET SEPTIMA,

v. in appendice.

LXIV.

TRIPOLITANA PRIMA BILINGUIS.

1. Insigne hoc Punicae antiquitatis monumentum, in suo genere unicum, primus in lucem protraxit Badia, Hispanus eruditus, qui in itinere per orientem instituto personam *Ali Bey* Abbasidae gessit, atque in opere: *Voyage d' Ali el Abassi en Afrique et en Asie pendant les années* 1803, 1804, 1805, 1806 et 1807. 3 Voll. Paris 1814 (anglice prodiit Londini 1816. 2 Voll. 4.), tab. 15, eius delineationem dedit, hac addita descriptione (T. I. p. 342): „Près la maison du consul de France (à Tripoli) il y a un beau monument: c'est un arc de triomphe bâti par les Romains et composé d'une coupole octogone, supportée par quatre arcs reposant sur un même nombre de piliers: le tout construit sans ciment avec d'enormes pierres de tailles soutenus par leur propre gravité. — Ce monument étoit orné de sculptures, de figures, de festons et de trophées d'armes en dedans et en dehors; mais la plus grande partie de ces reliefs est déjà détruite: il n'en existe que des parties isolées, incoherentes, qui contestent encore l'antique beauté de l'ouvrage. — Sur les faces du nord et de l'occident on voit les restes d'une inscription, qui paroit avoir été la même sur les deux cotés. Cette singularité a fourni à Mr. *Nissen*, consul de Dannemark, la facilité de les comparer: en reunissant et mettant en ordre les fragmens des deux inscriptions il l'a restitué en entier, comme on peut la voir à la planche no. XV." Postea, circa annum 1825, hic lapis cum aliis antiquitatis monumentis ex oris Tripolitanis in Angliam advectus et Georgio IV dono datus est, quo regnante haec monumenta in Musei Britannici vestibulo exposita erant. Jussu Guilielmi IV haec marmora in hortum regium castello Windsoriano vicinum *(Virginia-Water)* transvecta sunt, ubi lapidem nostrum, cuius insignis praestantia fugisse videtur architectum, Cal. Octob. 1835, inverso ordine, statuae muliebri Floram Cereremve repraesentante basis instar suppositum et sordibus inquinatum inveni: mox, spero, in digniore loco reponendum.

Primam eius delineationem, ut diximus, dedit *Pseudo-Ali-Bey*, eamque, ut vidi, satis accuratam (nisi quod male SVFF dedit pro SVFE et primam litteram punicam male pinxit): duas alias Hamakerus, Miscell. tab. 3, no. 4, a. b. alteram a Stirum-Limburgio comite factam satis eam laudandam, alteram pravam b. Reuvensii. Quod ego dedi apographum super ipso lapide expressum est, et cum Stirumiano paene in omnibus convenit. Ceterum haec inscriptio maximi moduli est, utpote olim in loco alto exposita, ut procul cerni legique posset. Lapis, ut nunc est, XXI digitos latus, XIV altus est: litterae latinae quattuor digitorum, punicae, quae minores sunt, duorum et dimidii. Ceterum ab utraque eius parte aliquid deest: non

Digitized by Google

quod fractus sit lapis, sed quia fabri murarii inscriptionem minus curantes, et minore lapide opus habentes partem eius deciderunt. Quod ab anteriore parte decisum est, perexiguum et ipsa inscriptio ibi integra est: a posteriore tantum deest quantum ad unius litterae spatium requiritur. Lapidis genus porosum, ut in alio Tripolitano (no. 65).

Interpretationem eius HAMAKERUS, Miscell. p. 77 hanc dedit:

כְּצַלּוֹת לַבַּצֹּרֶת דְּחָעֲלוֹת

Ut precatio (vel precandi caussa) *propter defectum* (vel exsiccationem) *canalium*, quae quid valeant palaeographice, quid philologice, et quam apta sit talis sententia in arcu triumphali Augusto posito id lectoribus exponere, esset iudicio eorum diffidere. Verba latina is ita supplere volebat: Augustales Suffetes. Magis laudandus LINDBERGIUS (de inscr. Melit. p. 49), qui plurimarum certe litterarum potestatem recte intellexit, quanquam miram exsculpsit sententiam:

גת למלכת במקם עלם *torcular reginae in loco perenni.*

Quae nos nuper dedimus (palaeogr. Studien p. 71) ex apographo Ali-Beyano, in una littera nunc lapide examinato retractanda sunt: magis autem emendanda, quae ibi de inscriptione latina diximus, quam eodem pravo apographo decepti *Augustalis suffectus* legimus.

2. Verba enim latina

AVG. SVFE..

(ita enim, non SVFF., in lapide ipso est) arcui triumphali Tripolitano inscriptae haud dubie supplendae sunt:

AVGVSTO SVFE(S) vel SVFE(T).

AVG. pro AVGVSTO pertritum, v. Rasche Lex. nummariae 1, p. 1281 v. c. AVG. EP. E i. e. Augusto Ephesii in numo argenteo Vespasiani (Eckhel Catal. II, p. 121. 130), AVG. i. e. Augusto, in numo aureo Vespasiani (v. Rasche l. c.), ROM. ET AVG. i. e. Romae et Augusto, in numis obviis. Alterum vocabulum supplere potes vel SVFES singulari numero, vel pluraliter SVFET., atque hoc posterius magis probabile, quandoquidem tempore Romanorum singulis municipiis et coloniis plures magistratus, quibus Sufetum titulus concessus erat, praefuisse testes habemus inscriptiones ap. Gruterum p. 470 no. 1 (cf. lib. IV, cap. 3) et numum Carthaginensem, quem dedimus tab. 16, hac epigraphe: *Aristo Mutumbal. Ricoce Suf* i. e. Sufetes, in quibus duorum sufetum nomina occurrunt. Pro uno sufete provocare possis ad eam inscriptionem, quae ap. Gruterum l. c. numero secunda est, „*agente Celere Milchonis Gulalsae filio Sufete*," sed poterat illud de hospitio foedus agente uno Sufete iunctum esse, licet plures municipio praeessent. Contra in publicae inscriptionis honoribus imperatori Romano decretis totius senatus mentio necessaria erat.

Cave vero credas, *Augustum* inscriptionis nostrae eum esse, qui κατ' ἐξοχήν ita appellatur, Octavianum Augustum, quem de Africae provinciis meruisse ibique

Digitized by Google

monumentis titulisque celebratum esse nusquam legimus. Etiam alios imperatores in inscriptionibus numisque omisso nomine proprio *Augustos* appellatos esse, satis constat (v. Rasche l. c.): a Tripolitanis autem monumento triumphali vix alius imperator celebratus est quam Septimius Severus, qui Lepti magna oriundus, Tripolim, patriam suam, et universam Africam tam multis magnisque beneficiis ornaverat, ut ab Afris propterea non annuis tantum muneribus (Aurel. Vict. Caes. c. 41), sed divinis adeó honoribus ornaretur (Spartian. Sever. 18: Tripolin, unde oriundus erat, contusis bellicosissimis gentibus, securissimam reddidit, ac pacem diuturnam, oleum gratuitum, et foecundissimum agrum donavit. Ibid. c. 13: Horum igitur tantorum ac tam illustrium virorum ..... interfector ab Afris ut deus habetur. Ulpianus, digest. lib. 50 tit. 15 de censibus §. 8: In Africa Carthago, Utica, *Leptis magna*, a divis *Severo* et Antonino [i. e. Caracalla, Severi filio] *iuris italici* facta sunt) *) cuiusque singularis in Africam Afrosque benevolentia numis quoque celebratur. Ex his tres commemorare placet anno V. C. 956 (post Chr. 203), quo anno Augusto iubente saecularia magna pompa ubique celebrata sunt, cusos, ab Eckhelio (Doctr. Numm. VII p. 183. 185) ita descriptos:

„SEVERUS. PIVS. AVG.
Caput laureatum.

INDVLGENTIA. AVGG. (int. Severum et Caracallam) IN. CARTH. *Dea dextra fulmen, sinistra hastam tenens leoni currenti insidens* (int. Deam Caelestem p. 169), *iuxta rupes, ex qua aqua promanat.*“

„LIBERALITAS. AVGG. *Liberalitas stans. Arg.* (Mus. Caesar.)“

„ARCVS. AVGG. S. C. *Arcus triumphalis trium portarum statuis superne ornatus.*“

Quid? quod verosimilia nobis coniectare videmur, si hoc ipso, quem diximus, anno inter ludorum saecularium solennia novaque beneficia in Afros collata Tripolitanos hunc arcum triumphalem (etiam in numo memoratum) in honorem Augusti posuisse, et inscriptione punica, quae Augusti lingua patria erat (Spartian. Sev. c. 1. Severo civitas Leptis. c. 15: quum soror sua Leptitana ad eum venisset *vix latine loquens* ..... c. 19: ipse decorus ..... canorus voce, sed *Afrum quiddam usque ad senectutem sonans*) ornasse statuimus.

3. Verba Punica nuper legeramus:

בת למלכת רם קם עלם

Domus imperii Romani stat in perpetuum.

Sed prima littera, quam nemo recte delineavit, quanquam Stirumius reliquis melius, Beth esse non potest: abiiciendum igitur בת (בית) per se haud sane ineptum. Quae supersunt primae litterae reliquiae

*) Idem Severus Aesculapium, Poenorum et speciatim Oeensium numen tutelare, impensius colebat (Dio 77, 15 et Hannibali, cuius ingens admirator erat, mausoleum ex marmore albo erigi curavit (Tzetzes chiliad. 1 hist. 27). Eidem statuas dedicavit Caracalla, Severi filius (Herodian. 4, 81),

Digitized by Google

non , ut Stirum, multoque minus

aut

ut *Ali Bey* et *Reuvensius*, non alius litterae esse possunt quam *Schin*, ut nemo non percensitis alphabeti Numidici figuris concedet, ita supplenda:

Quomodo autem instaurandum illud שת..? Mihi tantum non certum videtur, litteram abscissam esse *Resch*, et plene legendum רשת pro ראשת, idque formam femininam et abstractam esse a ראשׁ, ut Phoenices et Poeni scribunt רשׁ (v. Sard. lin. 1), quae significet: *principatus*, *dominium*, i. q. arab. رِيَاسَةٌ principatus, dominium, sive illud pronunciabis רֵשֵׁת (coll. רֵשִׁית pro רֵאשִׁית Deut. 11, 12), sive רֵשַׁת pro רֹאשַׁת, coll הָאֶבֶן רֹאשָׁה Zach. 4, 7. *Dominio* autem *imperii Romani* haud scio an in concreto duo imperatores (Severus et Caracalla, „AVGG." in numis modo citatis), vel Severus cum Domna, par coniugum „aeterna concordia" iunctum (v. Eckhel VII, p. 181) intelligantur: licet etiam in universum imperii Romani principatus intelligi possit. Duae aliae, in quas incideram, coniecturae: יְרֵשַׁת s. יְרֻשַּׁת *possessio* (imperii Romani), יחשת *genus*, *gens*, *familia* illi facile cedent; neque ullam in linguae hebraea radicem in Schin exeuntem repertum iri spoponderim, quae illa praestet.

Integrum igitur titulum ita lege:

רשת למלכת רם קם עלם

Dominium imperii Romani perstat in aeternum.

Reliquis explicandis haec sufficiant: למלכת רם i. e. לְמַלְכוּת רֹם *imperii Romani*. Nota spatia inter רשת et למלכת, item ל, notam genitivi, in his inscriptionibus perfrequentem. De *Romae* nomine v. inscr. praec. De singulari autem Lindbergii errore, qui בם legit pro רם, verbo iam monuimus pag. 45.

קם עלם) i. e. קָם עוֹלָם *perstat in aeternum*. Exspectaveris forte קמה pro קם, quoniam refertur ad רשת: sed Phoenices in sexu femineo in praedicatis ponendo admodum parcos fuisse vidimus ad Cit. 2 lin. 2. 23, lin. 3. — עלם adv. pro vulgari לְעוֹלָם, ut in עוֹלָם וָעֶד Ps. 10, 16. 21, 5. 45, 7. Ad formulam cf. Jes. 40, 8: דְּבַר אֱלֹהֵינוּ יָקוּם לְעוֹלָם. Praeteritum autem קם (קָם) h. l. asseverantis et sancte promittentis est, quale Hebraei frequentant in vaticiniis (Jes. 5, 15. 9, 1. 11, 1. 2) et Arabes addito قد. — Ceterum argenteae aetatis Romani nihil magis in deliciis habent, quam Urbis, imperii singulorumque principum „Perpetuitatem" titulis numisque celebratam. Sic in inscr. lat. in regno Tunetano reperta habes, „*Urbi Romae aeternae* (Shaw Voyages I, p. 220): „*Aeterni* Imperatores (Diocletianus et Maximianus) Augusti et *perpetui* Caesares Constantius et Maximianus," Grut. 161, 3. Orelli no. 1055. „*Aeterno* Principi D. N. Flavio Claudio Juliano cet. Orell. no. 3734. P. P. P. i. e. Pater Patriae Perpetuus,

Digitized by Google

de Valente Orell. no. 1117; Perpetui Principes, de Maximo et Flavio Victore ibid. no. 1122. cet. — De Severo nostro cum Domna *Aeternitatem* adfectantibus et propterea in numis Solis et Lunae, aeternorum siderum, specie repraesentatis iam supra verbo diximus pag. 169, cf. Eckhel VII p. 181.

LXV.

TRIPOLITANA ALTERA.

1. Circa annum 1824 hic etiam lapis ex regione Tripolitana in Angliam advectus et in Museo Britannico repositus est. Paulo post tria eius apographa, sed non satis distincta, misit *Noehdenius*, de quibus legendis tunc desperabam. Duo alia, alterum Stirumii comitis satis accuratum, alterum negligentius a Reuvensio factum, edidit Hamakerus, Miscell. tab. 3, no. 5, a. b. Novum idque perelegans et accuratum a se Londini factum misit *Hohlenbergius*, quod nuper ad lapidem ipsum exegimus et etiam in minutissimis correximus. Perpauca viri oculatissimi aciem effugerant: in his tamen unum haud spernendum, videlicet puncta, quibus singula vocabula et lin. 4 singulae primi verbi litterae discernuntur. Quod nos exhibemus exemplum semel iterumque cum ectypo ex Anglia nobiscum advecto comparavimus et longe accuratissimum esse spondemus.

Lapis paene cubicus, octodecim digitos altus, totidemque latus et crassus est: ex eodem genere poroso atque monumentum praecedens, unde factum est, ut in inscriptione puncta arte facta aegre discernantur a poris lapidis. Sed discernuntur tamen. Ipsa inscriptio in faciem eius incisa est litteris maioribus, tres fere digitos altis.

Explicationem eius tentaverat Hamakerus l. c. p. 80, quam silentio transeo, quum et eiusdem farinae sit atque reliqua eius in monumentis Numidicis pericula, et ipse auctor ei merito diffidere videatur.

2. Lectio et interpretatio eius, de qua ipso demum lapide examinato mecum conveni, haec est:

בעל מעקר רב עץ
לקלתם ז סלת חית
ע יגע ז כלכל את
לכת אדן רב בריאת

Baal Mokar (Hercules), *Domine, consule*
precibus eorum, complana vitam
servi tui fessi, tuere
Lacuthum Dominum, principem Barathiae.

Continet enim precandi formulam ad Baal-Milcarem, qua huius numinis gratiam implorat Numidiae regulus senex, cf. no. 61.

Digitized by Google

בעל מעקר רב) Vocabulum מעקר pro מלקר, מלקרת eodem modo scriptum legitur in numis Sigae (lib. IV, no. 25). Vulgarem eius pronuntiationem docent nomina propria *Barmocarus* (בר מעקר) et *Bochar* pro *Mochar* (מעקר), (vid. lib. IV cap. 3 sub his vocc.; paullulum mutata forma idem numen *Μάχηρις* appellatur. Pausan. Phoc. 17: *ἡγέμων δὲ τοῖς Λίβυσιν* (in itinere Sardico) *ἦν Σάρδος, ὁ Μαχήριδος, Ἡρακλέους δὲ ἐπονομασθέντος ὑπὸ Αἰγυπτίων τε καὶ Λιβύων.* רב vel absolute positum est, vel legi possit רַבִּ pro רַבִּי. Sed prius praestat; amant enim Poeni eiusmodi nomina sine articulo et suffixis ponere, cf. רבת, אדן Carthag. 1. 3.

עץ לקלתם) De prima littera diu dubitavi: tandem aliis multis exemplis edoctus, litteras rotundas a statuariis minus dexteris insculptas huiuscemodi pediculos auriculasve habere stilo ex scrobe elapso ortas, intellexi, non ד eam esse, nedum ר, sed ע. Vide lin. 3 litt. 1 et pag. 40. Praeterea dubia esse possit huius formulae ultima littera, quam diu Jod esse putavi (לקלתי precibus meis), suadente maxime contextu. Sed vestigia huius litterae ita comparata sunt, ut vix alius esse possint quam Mem. Legendum igitur ita ut fecimus, quod non minus bonam sententiam efficit. עץ (עֵץ, עֲץ) *consule* est Sing. imperativi bis in V. T. obvii עֲצוּ Iud. 19, 30. Jes. 8, 10, עץ לקלתם *consule precibus eorum* s. *ad preces eorum*, precibus eorum obsecutus, quod ad oracula referri potest, quae a numine expetuntur (cf. hebr. יָעַץ de monitis divinis, oraculis Num. 24, 14. Jes. 41, 28, et arab. وعظ eodem significatu): quum curae et providentiae significatio (consulere alicui) in vocabulo יעץ non immerito addubitata sit (v. Böttcher ad Ps. 16, 7, in Specc. interpr. V. T. p. 59). Tituli igitur auctor hac formula numen implorat non suis, sed civium omniumque cultorum verbis, quod tritum in Psalmis. — Olim legebam pro עץ — רץ, idque pro רצה *propitius sit* dictum putabam: sed figura litterae hoc non admittit.

סלת חית ע' יגע) סַלְתָּ חַיַּת ע' יָגֵעַ. Diu haesi in duabus primis huius formulae litteris: nunc mihi certa videtur earum potestas. In *Lamed* nemo facile offendet: ad *Sameck* hoc modo imperfectius pictum cf. Carth. 9, 1 et Athen. 1, 1. סלת autem pronuncio סַלְתָּ, ut sit secunda persona praet. a סלל h. l. praecedente imperativo in eandem sententiam accipienda pro *complana*. Et verbum quidem סלל vulgo *complanare, munire viam*, דֶּרֶךְ modo addito modo omisso (Ps. 68, 5), h. l. ad vitae viam (חַיַּת) refertur et valet vel: complanare vitam fluctibus iactatam et quasi procellosam (cf. Jes. 38, 13: שִׁוִּיתִי sc. נַפְשִׁי *complanabam me* i. e. animum doloribus agitatum compescebam, arab. مطمئنة terra plana, et نفس مطمئنة animus complanatus, quietus Cor. 89, 27) vel idem est quod in V. T.: יִשֵּׁר דֶּרֶךְ פ' *rectam facere viam* alicuius i. e. facere ut res alicuius bene cedant (Prov. 3, 6. 11, 5), prosperare res alicuius, propitium esse rebus alicuius, quod quidem posterius praeferendum videtur. פ' pro עבוך satis notum (pag. 54); יגע *fessus* eleganter dicitur de sene post vitam turbidam languescente, cf. fessus annis Ovid. Met. 9, 439, fessus aetate Virg. Aen. 2, 596, fessa aetas Tac. 14, 33, fessique senectus longa patris Stat. silv. 3, 14.

Digitized by Google

כלכל esse legendum, idque imperativum esse verbi כִּלְכֵּל *sustinuit, sustentavit, tuitus est*, mihi non dubium est. Nostrae locutioni similia sunt verba Psaltis 55, 21: *conice in Jehovam onus tuum*, יְהֹוָה יְכַלְכְּלֶךָּ לֹא יִתֵּן לְעוֹלָם מוֹט לַצַּדִּיק *is sustinebit te, nec vacillare sinet iustum in aeternum.* Hoc autem cum reliquis verbis diu hunc in modum coniunxi: כלכל אתי לכל אדן רב בריאת *tuere me in omnibus, o Domine, princeps creaturarum* (qui praees creaturis). את pro אתי *me* (omisso Jod ex more Phoenicio): לכל (quod ferunt litterarum figurae) *omnibus* i. e. in omnibus periculis sustenta me beneficiis tuis (cf. כִּלְכֵּל sq. dupl. accus. 1 Reg. 18, 4. 13, pro qua structura etiam ferri possit acc. pers. et ל rei): אדן רב בריאת, vocativus Baalem invocans, ut lin. 1, sed aliis epithetis.

Sed rationibus iterum iterumque subductis sententiam mutavi, et lineam inscriptionis quartam nomen proprium voventis continere arbitror, has quidem ob causas: 1) In illa explicatione molestae sunt duae numinis invocationes ab initio et sub finem tituli, contra omissum nomen titulusque voventis, cuius locus in extremo titulo esse solet. 2) Vel leviter hunc titulum consideranti in oculos incurret litterarum in tertia linea paucitas, earundem in quarta linea cumulatio: quod quidem utrumque facillime explicatur, si versus quartus nomen proprium continet, quod seorsum ponere cuique unam eamque integram lineam tribuere volebat statuarius. 3) Tres primae litterae לכל vel לכת singulae punctis insignitae sunt, hunc in modum .ל.כ.ת, quod nemini lapidem ipsum accurate consideranti dubium erit. Hac autem ratione litteras nomen proprium constituentes insigniri censeo (cf. Cit. 25 et pag. 55): ut alibi nomen proprium punctis includitur (Sard. et Cit. 15. 23). 4) In illa explicatione sunt, quae displicere possint: כלכל את (כלכל אתי) pro כלכלני; maxime כלכל לכל sustenta me *omnibus*, vel tuere me *in omnibus*, quod posterius languidi quid habet et frigidi. Propterea ita interpretor:

לָכֻת אָדֹן רַב בְּרִיאַת

Lacuth Dominus (Rex), *princeps Beriath.*

לכת (ita legere malo quam לכל; litterae enim utrumque ferunt et לכל vix verbum fuerit nomini proprio aptum) varie efferri possit. Ego malim לָכֻת, idque idem nomen esse arbitror quod *Lacu maces* i. e. לכו מלך *Lacu rex*, pro pleniore מלאכו מלך, quod gessit Numidiae rex ex familia Masinissae Liv. 29, 29. — אדן *Dominus* absol. positum, ut Numid. 2, 2. est vulgaris titulus Numidiae regulorum. Additur רב בריאת, ut מלך רב חתי Cit. 33. בריאת autem de coniectura nostra est n. pr. urbis vel oppidi eiusque regii, talis certe quod reguli nostri per aliquod tempus sedes fuerit. Fortasse haec erat *Barathia* (*Βαραθία*), quam Ptolemaeus (IV, 3) in vicinia Tripolis urbis ponit sub gr. 41°, 40, 31°, 38.

LXVI.

INSCRIPTIO GERBITANA.

In insula Gerbe s. Meninge (*Μῆνιγξ*), hodie *Dscherbe*, de qua vide Bocharti geogr. sacr. 1, 25 p. 494, eam invenit Sir Grenville Temple et edidit in *Excursions*

Digitized by Google

in the Mediterranean, T. II. ad pag. 353. Sed vel inscriptio, vel certe apographum ita comparatum est, ut nihil certi inde effici possit et in coniecturis acquiescendum sit. Cippus autem sepulcralis fuisse videtur, cuius tertio versu, qui incipit a vocabulo בן, orditur enumeratio maiorum. In his quae praecedunt lin. 1. 2 nomen sepulti et aliquod eius elogium latere debet. Ac nomen ipsum, si quid video, continetur quinque litteris lin. 1 litt. 6—9, lin. 2 litt. 1 (nam punctum ab initio lineae secundae de nihilo est), quae legi possunt: אתבעל (אִתּוֹבַעַל *Itthobal*). א et ת in hoc scripturae genere sibi admodum similia a descriptore non satis distincta esse videntur. Quinque litterarum praecedentium extrema est *Lamed*, quattuor priores fortasse valent מנחא vel מנחה, מְנָחָה *locus quietis* pro sepulcro. De duobus prioribus nihil dubitationis est: tertia *Chet* videtur (cf. §. 19, no. 11. 12 et figuras Aramaeas tab. 3), quarta fortasse *Aleph* inversum, ut in Erycina. — Lin. 2 sex litterae extremae facile leguntur: בעל ארן (בַּעַל אָרֹן), si modo *Ain*, quod mancum est, suppletur: quae praecedunt, tres litterae, legi possint ארץ aut מרץ. Equidem malim posterius, quod pronuntiari potest: מְרַצֵּה (He extremo abiecto cf. Melit. 2 lin. 3 מרפ pro מַרְפֵּה): *qui gratiam implorat*, ut iam haec lectio prodeat מנחא לאתבעל מרץ בעל ארן *locus quietis Ithobalis, qui gratiam implorat Baalis Domini*. — Lin. 3, quae patris nomen continet, legi potest: בן עצמבעל, quinta certe littera *Mem* litterae Palmyrenorum similis est, et *Chet* ad hanc seriem vix aptum est: עצמבעל (עֶצְמַבַּעַל) autem *fortis* s. *heros Baalis* satis apta est nominis proprii forma. — Lin. 4 iterum orditur a בן, quod excipit nomen avi. At ubi desinat hoc nomen, dubitari potest: nam tertium בן, quod abavi nomen praecedit, latere potest in litt. 7. 8, sed potest etiam in litt. 9 et litt. 1 lin. 5 (si illae legendae sunt בל et extremum nomen avi constituunt): etiam litterae 3. 4 obscurae sunt (quidsi Koph fuerint ita pictum !), ita ut de avi et abavi nominibus nihil definiverim, praesertim quum hoc fortasse non integrum sit. Quicquid autem de lectione et sententia huius inscriptionis statues, luculentum illa exhibet testimonium scripturae linguaeque Punicae in illis quoque regionibus usitatae. Admissis, quae supra posuimus, integra inscriptio haec fere continebit:

מנחא לאהבע	*Locus quietis Ithoba-*
ל מרץ בעל אדן	*lis, qui gratiam implorat Baalis Domini,*
בן עצמבעל	*filii Azumbalis,*
בן .. לחבל ב	*filii ..... thbalis, fi-*
ן מבחם	*lii .....*

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

GEMMAE ET SIGILLA IN VARIIS INCERTISQUE REGIONIBUS REPERTA.

LXVII.

Gemma haec inedita olim penes Stoschium (v. *Winkelmann description des pierres gravées du cabinet de Stosch*, cl. 8 no. 69) erat, nunc in Museo Berolinensi est (v. *Tölken Catalog* cl. 1 no. 179). In litterarum figuris nihil singulare est, praeter litt. 4 lin. 1, et litt. extr. lin. 2. Atque illa quidem non alia esse potest quam *He* ita pictum, ut duo inferiora eius brachia sub finem coniuncta sint, ut in litteratura veterum Hebraeorum (v. tab. 3). Haec haud dubie est *Chet:* ad cuius legitimam figuram a sinistra parte accessit auctarium quoddam, quod Aleph (א) videri possit cum Chet copulatum, nisi pro mero ornamento habendum est. His praemunitis legendum est:

לכאהבחב
תדמליחא

quae ita dispescenda censeo:

לך אהבת ב — *Tibi, Ahabath* (amica), *filia Damlichae*
ת דמליחא

et annuli, eiusque fortasse pronubi, inscriptionem censeo a iuvene puellae a se dilectae oblati. Nomina propria puellae et patris dirimuntur vocabulo בת. Ac posterius quidem דמליחא (vel דמליח) explicaverim דַּמְלִיתָא (דַּמְלִיתָ) i. e. *sanguis nobilis* (Edelblut), coll. מְלַךְ nobilis, bonus fuit, מְלִיךְ nobilis, bonus, quod nomini proprio phoenicio adhibere eo minus dubitamus, quum *praestantiae* et *nobilitatis* potestas ducta sit ab hebraeo s. phoenicio מֶלַח sal, quod apud Hebraeos (Matth. 5, 18) et Arabes (v. quae observavimus ad locum Matthaei in *Classical Journal* no. 53 pag. 156) translate ponitur de eo quod praestantissimum est in suo genere. Ad nominis formam cf. דַּמֶּשֶׂק fort. sanguis possessionis, *Demaroon* (fort. דם הראי), ad scriptionem plenam דמליח pro דמלח quae laudavimus pag. 58 litt. a. Puellae ipsius nomen vel כאהבת esse poterat, vel אהבת, quod posterius unice verum, quum illud apto etymo careat. *Caph* igitur copulandum cum *Lamed* in לך *tibi*, אהבת autem vel pronuntiandum אַהֲבַת i. q. אַהֲבָה (de phoen. ת־ pro ה־ v. ad Carth. 3, 1, et infra in tractatu grammatico IV, 4) *amor* et concr. *amica* Cant. 2, 7. 3, 5, vel אַהֲבָת *amica*, quanquam illud praefero. — Quae inter duos versus Phoenicios comparet figura fortasse merum ornamentum est.

LXVII bis.

Monumenti huius et ipsius inediti ectypum mecum communicavit vir honestissimus, *J. Doubleday*, antiquarius Londinensis, qui ipsum lapidem formae cylindratae,

Digitized by Google

qualis sigillorum apud Persas esse solet, in Saltii collectione viderat suosque in usus sulphuri impresserat: penes quem nunc esset, nesciebat.

Figurae, quarum explicationem archaeologis relinquo, Persicam, si quid video, non Aegyptiacam monumenti originem produnt, arguentibus id maxime figuris humanis pedibus disiunctis et capillo Persarum more comto insignibus. Litterae autem phoeniciae, quae haud dubie nomen viri, qui hoc sigillum gesserat, indicant, hae sunt:

לסרגד *Sargadi,*

in quarum figuris nihil peculiare est, quam *Samech*, cuius lineae superiores alibi fulguris speciem imitantes atque inter se coniunctae in hoc sigillo disiunctae sunt. Nomen proprium autem סרגד reddo *princeps fortunae* i. q. שַׂר גַּד, cf. סַרְאֶסֶר in scarabaeo no. 68. In utroque ס littera usi sunt pro שׂ, quam ab שׁ distinguere nequibant Phoenices. Cuius regionis cuiusque natalis sit monumentum, accuratius non definio (definient fortasse archaeologi): unum moneo, figuras Persico cultu insignes cum inscriptionibus Phoeniciis etiam in Ciliciae numis Persica aetate cusis conspici (v. lib. III, cap. 2).

LXVII ter.

1. Cornalinus in collectione Anatolii Demidoffii comitis, qui gypso expressus est in „*Impronte gemmarie*“ instituti archaeologici Romani cent. II, no. 37. Delineationem eius ligno incisam eamque in maius auctam dedit Wihlius (de graviss. inscr. p. 40), in qua figura Triptolemum, ni fallor, referens, sinistra manu spicas, dextra cornu copiae tenentem, satis bene expressa est, litterae phoeniciae vero partim minus accurate redditae sunt (v. a dextra parte litt. 3 et 4, a sinistra litt. 2, cuius scapus longior esse debebat, litt. 3 et 4 cuius scapi in ipsa gemma ita comparent, ut inferiorem eius partem minus alte insculptam fuisse appareat). Quae ut melius iudicari possint, nos (tab. 28) figuras ex Wihlii delineatione dedimus in paucis (velut in forma serpentum et cornu copiae) correctas, servata etiam magnitudine eius (ipsa enim gemma nonnisi unum digitum alta est): litteras vero diligentissime emendavimus.

2. In lectione et interpretatione eius ita versatus est Wihlius, ut eas legens in Fourmontii fere tempora recidisse tibi videaris. Namque de litterarum figura, quae in plerisque (maxime ex illa delineatione) haud ita facilis agnitu erat, ne verbulo quidem disputans, quo suam lectionem vindicaret, is, quae a dextra parte habentur, legit צמר, quae a sinistra חרם רם, eaque ita copulata

צמר חרם רם

transfert: *initiatio Mercurii sublimis*, „*die Weihe des erhabenen Hermès*“, de qua lectione libere dicendum est, nonnisi unius litterae (*Mem*) potestatem recte definitam, reliqua omnia ita pro libidine efficta esse (unde enim constat, ut hoc uno defungar, Mercurii nomen apud Phoenices fuisse חרם, quum in V. T. Mercurius נְבוֹ appelletur? num credibile est, Phoenices nomen graecum adoptasse? an forte hoc nomen

Digitized by Google

proprie Phoenicium ad Graecos transiit?), ut ea singula refellere esset lectoris iudicio et doctrinae diffidere.

Antequam ad singulas litteras definiendas aggredimur, in universum observandum est, hanc gemmam Siculam esse videri, quam eius originem tum Triptolemi figura suadet ad Cereris cultum pertinens, tum litterarum Phoeniciarum forma non dissimilis ei, quae in numis Punico-Siculis est (vide lib. III, cap. 3), quanquam horum litterae elegantiores esse solent magisque perspicuae. Ut a dextra parte ordiamur, ibi quattuor litterae sunt (non tres, ut volebat Wihlius) eaeque reliquis obscuriores, sola tertia littera (*Mem*) non dubia. Attamen *prima* non alia esse potest quam *Jod*, paullo plenius ita pingendum (cf. prae ceteris figuras aramaeo-aegyptias tab. 3): *secunda Phe*, tertia iterum *Phe* vel *Vau*, ut legendum sit יפמף aut יפמו. Quinque litterarum a sinistra parte prima legitimum est *Aleph*, paullo magis sinistrorsum inclinatum, quam vulgo fit, idque, ni fallor, propter spatii angustias. Secunda est *Schin*, quae a littera gemina *Mem* bis obvia eodem modo differt atque in inscr. Carthag. 1—3 et in Tuggensi, ita quidem ut in *Mem* linea media directa transversam secet, in *Schin* non secet. Tertia, quae duabus lineis curvis constat superne paene coeuntibus, haud dubie est *Chet*, simili modo pictum atque in numis Panormitanis E. F., cf. figuram Turinensis et Blacassianorum fragmentorum. Quarta legitimum est *Caph*: quinta propter spatii angustias paullulum manca *Mem*. Prodit igitur haec lectio: יפמי אשחכם, quam ita effero

יפמי	*Jophimo*
אש חכם	*vir sapiens* (philosophus, medicus),

et viri Poeni Siculi, qui hoc sigillo utebatur, nomen munusque designare censeo. Quod ad nomen proprium attinet, huius forma reliquis (ut diximus) incertior est, et poterat etiam יפמף legi, quod tamen apto etymo careret. יפמו (יָפְיְמוֹ cf. יפעת in Tugg. lin. 1. 3) reddi potest: *pulchritudo aquae*, et fortasse translate dicitur pro *pulchritudo prolis* vel *p. faciei*. Nam מו *aqua* (unde מוֹאָב aqua i. e. semen, proles patris, v. Lex. man. p. 567), quod in Phoeniciis usitatius fuisse videtur *), pariter atque arab. ماء, etiam *semen* i. e. *prolem* significabat apud Hebraeos (cf. מוֹאָב et phoen. מיכמש *semen Camosi* inscr. Eryc. lin. 2): fortasse etiam *faciem pulchram*, ut arab. ماء et مُوفَّق *nitor et pulchritudo faciei*. Quod additur אש חכם *vir sapiens*, non ad virtutes viri pertinere videtur (quas ipse laudare non poterat), sed ad munus eius, quare חָכָם *philosophum* reddere malim, ea quidem vi, qua φιλοσόφου nomen etiam litterarum cultores in universum, et maxime quidem medicos complectebatur, ut arab. حكيم sapiens, philosophus, medicus. Ceterum non magnopere repugnarem, si quis ad Triptolemi imaginem provocans „virum sapientem" Cereris mysteriis initiatum esse diceret.

---

*) Formam masculinam מר habes in *Mysocaro*, qui est Africae fluvius, מושקר: femininam (ut arab. ماء), quae מוּת *Mût* efferebatur, in *Mût* Sanchuniath. 1, 1 p. 10 Orell. et *Muthul* n. fluvii, i. e. מוחבעל *aqua Baalis* (*Muthbal*, unde *Muthul*, *Muthul*, cf. Hb. IV, cap. 3).

Digitized by Google

LXVIII.

Cornalinus Musei Regii Hagani in scarabaei formam effictus (et propterea probabiliter Aegyptiacae originis), camelum gradientem repraesentans sex litteris Phoeniciis cinctum. Primus hanc gemmam edidit HAMAKERUS (Miscell. tab. 4 no. 27) addita explicatione (p. 102. 311), secundum quam neglecta prima littera (quae Hamakeri aciem effugisse videtur) legitur סראצר (סַרְאָצַר) idque coll. שַׂרְאֶצֶר 2 Reg. 19, 37. Jer. 39, 3. 13 n. pr. origine Persicum vel Assyriacum esse putatur. Sed recte vidit *Beerius* (Papyri Semit. p. 13), litteram penultimam esse *Sameck* (non Zade), cuius unci fulgur imitantes paullo negligentius picti sunt, et סראסר esse סַרְאֹסַר *princeps Osiridis*. Plene igitur legendum:

לְסַרְאֹסַר

quod Phoenicii hominis in Aegypto degentis, certe Aegyptiorum sacra secuti nomen est, cf. ad priorem eius partem סרגד (princeps fortunae) no. 67 b et de ס pro שׂ pag. 47, ad posteriorem partem מלכאסר et alia his similia pag. 98.

LXIX.

Scarabaeus in magna huiusmodi monumentorum collectione, quae penes *Kollerum* erat, exstans, editus et illustratus a MICHELANGELO LANCI in peculiari libello: *Lettera sopra uno scarabeo fenico-egizio e più monumenti egiziani*. Napoli 1826. 4., cuius delineationem, quae duplo maior est, quam ipsa gemma, nos repetivimus tab. 28. Ac litteras quidem Phoenicias Lancius (p. 23) legit et explicat רבא *Dominus* (quartum enim signum eadem serie apparens idque rotundum is non litteram, sed *discum solarem* esse censet): reliqua ornamenta idem ita explicat, ut a sinistra parte *manus sublatas* invocationem Deorum, *figuram triangularem* s. *pyramidalem* durationem vel gloriam, *arulam discumque cum serpente* vitam divinam et aeternam, a sinistra parte *cynocephalum* orbem terrarum et maris, *discum solarem* cum manibus sublatis coelum, *rectam lineam* unitatis numerum interpretetur: cunctisque his hieroglyphis hanc sententiam subesse censeat (p. 26): *te invoco, o Deus summae gloriae, qui vivis in aeternum, Domine* („Signore assoluto") *coelorum et totius terrae*. Quae quidem pleraque nos in medio relinquimus, litteras autem Phoenicias quattuor in mediis illis figuris comparere censemus, legendas illas: רבתע, fortasse רבת עלם *Domina aeterna*, cf. de hoc scribendi compendio Numid. 1, 1. 2, 1. 3, 1. Quum autem scarabaeorum inscriptiones varii argumenti esse soleant, neque solum privatorum hominum nomina contineant (ut no. 68. 70), sed etiam preces pro mortuis, nomina regum Deorumque tutelarium (v. quae laudat Leemans ad Horapoll. Hierogl. p. 169. 170), equidem רבת ע *domina aeterna* numinis muliebris, quodcunque illud fuerit, invocationem (cf. manus expansas, et adde quae observavimus pag. 173. 174) continere putaverim.

LXX.

Haec gemma, et ipsa Aegyptiaca, quae in Museo Regio Berolinensi asservatur (v. Winkelmann description des pierres gravées du cabinet de Stosch cl. 1 no. 77.

Digitized by Google

Tölken Catalog cl. 1. no. 180), delineata et edita est a Koppio, in Palaeogr. crit. T. III, qui quidem liber nunc ad manus non est. Quam nos dedimus delineationem, ea ad ipsius gemmae, quam nuper oculis usurpavimus, ectypum accuratissime facta est, ad duplum verae magnitudinis aucta.

Figurae ad unam omnes ad cultum Aegyptiacum spectant et satis perspicuae sunt. In medio enim est hydria Canobum referens (Jablonski Panth. III, p. 151) cynocephalis et capitibus arietinis ornata, a dextra et sinistra duae figurae capitibus falconis nisive insignes Horum referentes, supra vultur, lunula, duo scarabaei. Quae quid significent, Archaeologis disquirendum relinquo: quanquam a me impetrare non possum quin adscribam, quae de earum significatione mecum communicavit Gust. Seyffarthus V. Cl., qui primus eius gemmae mihi copiam fecit *).

Quattuor litterae Phoeniciae, quae Phoenicii hominis in Aegypto degentis et hoc sigillo olim usi nomen proprium continent, sine controversia sunt

בנאך

quae facilius leguntur, quam explicantur et ad iustum etymon revocantur. Ex variis tamen in quas incidere possis coniecturis ea mihi verisimillima videtur, אך scriptum esse pro אח *frater* (cf. אכת pro אחת soror, in numo Sid. T—X, כמן pro חמן Numid. 2. 3. 4, et חחי i. q. כְּתִי Cit. 33), ut בנאך sit *filius fratris*, cf. n. pr. hebr. אַחָב *Ahabus* pro אֲחִיאָב *frater patris*.

*) „*Die Bedeutung dieser Figuren ist wahrscheinlich folgende. Aegypten war, wie auch andere Länder* (Sanchuniathon. ap. Euseb. I, 10) *nach Art des Thierkreises in* 12 *Provinzen eingetheilt, denen dieselben Götter* (Oecodespota, Trigonodespota, Tetragonodespota) *als Schutzpatrone vorstanden, welche den entsprechenden Zeichen des Thierkreises zukamen, s. mein* syst. astronomiae Aegypt. tab. 1. *Hierauf beziehen sich die meisten Scarabäen der Aegypter, da sie Symbole und Abbildungen der Vorsteher der einzelnen Provinzen enthalten.*“ „*Die Hauptfigur auf dem fraglichen Scarabaeus ist das Canopische Gefäss auf dem Goldwäschertuche mit dem Cynocephalus, welche sämmtlich dem Monde heilig waren und denselben anderwärts bezeichnen. Es handelt sich also nun um das Zeichen oder das Haus des* ♑, *dem eine Provinz südlich von Memphis und eine andere an der Grenze Aegyptens und Philistäa's zugehörte. In beyden sind der Oecodespota gleich, die Trigonodespotae und Tetragonodespotae verschieden. Auf dem Scarabaeus stehen dem Canopischen Gefässe zunächst Horus* (♀), *die Scarabäen* (☽) *und die Mondsichel* (☽), *daher hier das Haus des* ♑ *im Trigono der* ♀ *und des* ☽ *gemeint wird, nämlich das Zeichen* ♏ *oder die Mendesische Provinz. In diesem sind* ♄ *und* ♃ *Tetragonodespotae, welche durch deren Symbole, den Geyer und die Schale, den Uräus und die Widderköpfe ausgedrückt werden. Das Ganze bezeichnet also das Vaterland und die Schutzgötter des auf dem Ringe genannten Phöniziers. Diese Bemerkungen sind deshalb nicht ohne Wichtigkeit, weil wir dadurch das Vaterland von mehrern ägyptischen Alterthümern mit Phönizischen Inschriften erfahren.*“

Digitized by Google

CAPUT OCTAVUM.

MONUMENTA SEMITICA IN AEGYPTO REPERTA.

Duo horum monumentorum genera esse statuimus. Ac primum genus est eorum, in quibus imagines et symbola ad cultum Aegyptiorum pertinentia manifesto originem Aegyptiam produnt, litterae tamen vulgares Phoeniciae sunt (no. LXVIII—LXX): alterum eorum, quorum origo Aegyptiaca itidem vel ex imaginibus apparet vel ex eo quod in Aegypto reperta sunt, quae vero peculiari quadam litteratura (de qua vide lib. I cap. IV) et dialecto Aramaea inscripta sunt (no. LXXI—LXXV): quod quidem posterius nunc tractandum superest.

LXXI.

MONUMENTUM CARPENTORACTENSE.

1. Ubi et a quo inventum sit eximium hoc monumentum, ignoratur; videtur ex Aegypto Massiliam transvectum esse, ubi seculo decimo octavo ineunte primus eius possessor erat RIGORDUS, Massiliensis, e praefectis rei nauticae (Commissaire de la marine), diligens antiquorum monumentorum collector. Ab hoc hereditate illud consecutus est MAZAUGESIUS, praefectus curiae Aquisextiensis (Président au parlement d'Aix, v. de eo Millin Magazin encyclop. 1805, T. I. p. 352): a cuius heredibus venditum est INGUIMBERTO, episcopo *Carpentoractensi* (Carpentras in Gallia australi), qui in bibliotheca privata reposuit, quae postea tota in bibliothecam episcopalem ab eo conditam transiit. Atque in hac lapis ille etiamnum conservatur.

Editionem primam instituit RIGORDUS possessor in *Mémoires de Trevoux*, Juin 1704, p. 994. 12), sed pravam, quam peius etiam repetiit *Montfaucon* in *antiquité expliquée*, Supplem. T. II. 1757, p. 207, unde profecit *Caylus* Comes in *Recueil d'Antiquités* T. I. p. 74, tab. 26: contra valde accuratam ex exemplo gypseo postmodo a Caylo secum communicato dedit BARTHELEMYUS in *Mémoires de l'acad.* T. XXXII, p. 725. (T. LIX p. 364 ed. in duod.) tab. 1, eamque duplicem, alteram minorem totius monumenti, alteram maiorem solius inscriptionis, quae veram litterarum magnitudinem repraesentat. Hanc repetierunt *O. G. Tychsen* in *Act. Nov. Upsal.* T. VII ad pag. 92 (sed minus diligenter); *Koppius B. und Schr.* II, p. 229 (ex quo hausit Wihlius), et reliquis accuratius et nitidius *Beerius* in libro supra (p. 60) laudato tab. 1. Sed novam delineationem ipso lapide denuo examinato dedit MICHELANGELO LANCI in singulari de hoc monumento commentatione perquam copiosa: *Osservazioni sul Bassorilievo fenico-egizio che si conserva in Carpentrasso.* Roma 1825. 4 maj., quam nos una cum exemplo Barthelemyano maiore exhibemus tab. 28. 29. De utriusque discrimine vide §. 3.

Interpretatio eius usque ad Barthelemyum tantum abfuit ut tentata sit; ut dissentirent adeo Rigordus, Montefalconius atque ipse Barthelemyus, utrum Punica esset scriptura an Aegyptiaca. Sed postea BARTHELEMYUS accuratius in hanc rem inquirens

Digitized by Google

veram litterarum potestatem partim ex Phoeniciae scripturae similitudine, partim ex contextu indagavit, et, qua erat in his sollertia et sagacitate, interpretationem dedit, in qua etiam nunc non adeo multa sunt, quae emendes. Solam posteriorem partem inde a lin. 3 med. intactam reliquit, et, quod magis mirum, de Aramaeo inscriptionis idiomate, quod ipsius explicatio exhibet, ne verbulo quidem admonuit. Hunc paene per omnia sequitur *Gabriel Fabricy* (de Joannis Hyrcani numo T. I), nisi quod hic etiam in extrema parte explicanda vires periclitatur; alia tentarunt Tychsenius l. c. Koppius (B. und Schr. II, 234) et Hamakerus (diatribe p. 69—71), ita tamen ut in multis a vera via declinarent magis, quam Barthelemyum vel supplerent vel emendarent, id quod in universum etiam de novo Lancii periculo dicendum est, in quo diiudicando et refellendo nobis otium fecerunt *Roedigerus* (Allg. Litt. Zeit. 1828 T. III. p. 267) sqq. et *Beerius* l. c. (cf. infra): quanquam illius de extrema parte restituenda curae cum laude agnoscendae sunt nihilque cogitari potest iniustius pariter atque indoctius, quam quae *Angelus Majus* de eodem documento contra Lancium disputavit in libro: *Catalogo de' Papiri Egiziani della biblioteca Vaticana con previo discorso* p. 31—78. Doctissimum commentarium ipse dedit Beerius l. c. pag. 9 sqq, qui aliorum quoque conatus singulos sobrio, quo est, iudicio diiudicavit.

2. Initium faciamus ab explicandis monumenti imaginibus, quae cum tituli argumento arcta necessitudine coniunctae sunt, et dudum docte explicitae a Barthelemyo l. c., et Lancio l. c. p. 79 sqq.; quarum similes repraesentationes in monumentis Aegyptiacis non rarae sunt. Unam mox describemus (no. LXXII) et sex alias in Museo Britannico nuper vidimus, quae a nostra in eo tantum discrepant, quod inscriptiones habent hieroglyphicas, non litterales.

De nostro monumento praemonendum est, partem eius superiorem, quae in prima Rigordi delineatione deest, vix et ne vix quidem genuinam esse, sed a Rigordo instauratam (v. Barthelemy l. c.), a nobis propterea tab. 29 omissam. Quae pars genuina est, ea in universum rudi arte facta est, olim coloribus infecta, nunc magnam partem evanidis. Utraque tabula ad mulierem refertur nuper mortuam, quae in inferiore parte sistitur recens uncta, in superiore post adventum in orco (Amenthe) Osiridi dona ferens. In hac igitur habes a sinistra Osiridem, dextra flagellum, sinistra lituum tenentem, solio insidentem, pone eum sive Isidem (ut vult Barthelemyus) sive Horum filium (quod suadent similes imagines, v. Hirt über die Bildung der ägypt. Gottheiten p. 36. 48); ante numinis imaginem mensam quattuor ordinum quum aliis rebus tum varii generis cibis onustam, qui lectisternii instar diis apponi solebant. In supremo ordine sunt quinque arae portatiles, odoribus, ut videtur, et pasta illa odorifera *Kyphi* a Plutarcho descripta (de Iside et Osirid. p. 372) tectae: in secundo paniculi et duo vasa: in tertio anser mactatus coloris cinerei pedibus rutilis (cf. Herod. 2, 37. 45) aliaque bestia quadrupes, fortasse vitulus, capite amputato (v. Aelian. hist. anim. 10, 23); in quarto pullus gallinaceus adhuc vivus, et tria vasa, fortasse libatoria. Ante mensam figura muliebris tunica praetexta induta (Thebes) manibus sublatis duo folia offerens i. e. ἄγροστιν, quam herbam Aegyptii teste Diodoro (1, 43), quum Deos accedebant,

Digitized by Google

in memoriam huius primi eorum cibi manibus tenere solebant. Ita certe in Barthelemyi exemplo, quum in Lanciano solae manus ad precandum sublatae compareant. In inferiore tabula conspicitur super mensa formam leonis habente corpus mortuum fasciis iam involutum a duobus viris, qui, pro more, bestiarum (alter canis aurei, alter accipitris) personas gerunt: sub mensa quattuor vasa ad pollincturam pertinentia, quae quattuor accipitrum capita referunt: ab utroque latere duo pueri flexis genubus nescio quid portantes, de quorum significatione neque Barthelemyo et Lancio, neque mihi constat.

3. Antequam ad ipsius tituli interpretationem accedimus, pauca praemittenda sunt de Barthelemyani et Lanciani exempli discordia, de qua ut certius iudicare possemus, Hohlenbergius V. V. ectypi gypsei Parisiis asservati duplex apographum misit, alterum ab ill. Bröndstadio super lapide factum, alterum a se delineatum. Illa autem discordia duplex est. Una non magni ea momenti pertinet ad nonnullarum litterarum saepius repetitarum, ut Aleph, Samech, Jod, figuras, quas paulo aliter et plerumque quidem gracilius ac distinctius pingit Lancius, altera ad singulas quasdam tituli litteras. Ac lin. 2 litt. 1, ubi Barthelemyus *Mem* habet integrum, nunc apud Lancium (et in ectypo Paris.) nonnisi scapus superest: laesus enim videtur lapis. Recte tamen litteram Mem supplebis, non Tau. Lin. 2. voce quinta littera tertia ex apographo Lanciano manifestum est *Resch*, iterum assentientibus apographis meis. Lin. 3 fin. pro litteris paene evanidis רי Lancius habet חי, exemplar Bröndstadii רה. Denique in fine, ubi Barthelemyus nil nisi puncta posuit, Lancius litterarum octo vestigia animadvertit et satis feliciter supplevit.

His praemissis nos integrum titulum ita legimus et interpretamur, quanquam de extrema parte minus certa est sententia:

בריכה תבא ברת תחפי תמנחא זי אוסרי אלהא
מן רעם באיש לא עבדת וכרצי איש לא אמרת תמה
קדם אוסרי בריכה הוי מן קדם אוסרי מינקרה
הוי פלחה נמעתי ובין חסיא הוי שלם.

Benedicta sit Thebe, filia Techephi, sacerdotis Osiridis dei. Stomachosa neminem laesit et calumnias in neminem dixit. O integra coram Osiride, benedicta esto ab Osiride. Honorata esto, cultrix deliciarum mearum, et inter pios esto. Vale.

De idiomate eius observandum est, id in universum Aramaeum esse, et idiomati titulorum Palmyrenorum eodem modo vicinum quo etiam litterarum figurae sunt: sed ad Hebraicum tamen in nonnullis inclinare, quo pertinet איש *vir* lin. 2 pro aram. גברא, ה finale in femininis (בריכה, תמה, מינקרה, פלחה) et, quod Aramaeae dialecto in Aegypto usitatae proprium, זי pro די nota genitivi. Plane eosdem et Hebraismos et idiotismos (זי, זא) papyri Blacassiani offerunt. Iam singula singulatim perlustremus.

Digitized by Google

בריכה תבא) *Benedicta* sit *Thebe* cf. בְּרִיכָה אַנְתְּ *benedicta tu* Ruth 3, 10 Targ. וּבְרִיכָא אַתְּ 1 Sam. 25, 32 Targ. N. pr. mulieris תבא Beerius idem esse putat atque urbis Thebarum, quod Champollioni (l'Égypte sous les Pharaons I, p. 216) est aegypt. ⲧⲁⲡⲉ *caput:* malim id repetitum esse ab aegypt. *tpè* coelum s. dea coeli (Champollion Pantheon de l'Égypte, no. 20, a), idque elliptice mulieri *huius deae cultrici* tribui (cf. p. 117). Aegyptiorum π mollius instar *b* pronunciatum esse, inter omnes constat.

ברת תחפי) ברת non solum Syriacum (ܒܪܬ) est, sed etiam Chaldaeum, cf. constr. בַּרַת ut h. l. Ex. 12, 42. Onk. Nomen patris lego תחפי cum Beerio, non תחוי, ut plerique: bene enim hic observat, tertiam huius vocabuli litteram etiam lin. 4 litt. 4 reliquis Wawin maiorem esse et propterea pro Phe habendam. Respondere videtur *Τεφις* n. pr. masc. apud Boeckhium, Erklärung e. aeg. Urkunde in gr. Cursivschrift. Berol. 1821, versu 11; quanquam de etymo nihil definio.

תמנחא זי אוסרי אלהא) Primum vocabulum, munus aut Thebes aut patris indicans, in libris Aramaeis non reperitur, certe hucusque repertum non est. Neque tamen dubito, quin recte explicuerit Barthelemyus: *dona ferens* (a מִנְחָה donum, sacrificium incruentum, rad. ⲙⲛⲓ donavit), inde *sacerdos* vel mas vel femina. Ipse sacerdotissam intelligit (quales in vetere Aegypto fuisse, contra Herod. 2, 35 et veteres scriptores et monumenta testantur, v. Barthelemyum l. c. et quae laudat Creuzer, Symbolik I, p. 250. 251) et תמנחא refert ad Theben; Beerius ad patrem id referre mavult, observans א in hac inscriptione esse status emphatici notam coll. אלהא, in feminino genere ubique poni ה. Huic vero argumento equidem non multum tribuerim, nam etiam in Chaldaismo biblico constanter scribitur אלהא (v. Concordd.), non אלהה, ne duo He concurrant. Nihilominus huic eius sententiae accedo, תמנחא ad patrem referri; ubique enim in his inscriptionibus nomen muneris arcte copulatur cum eo, qui ipse gessit (vide Numid. 1, 2. 2, 2. 4, 2), non sequitur patris maiorumve nomen. Ex imaginibus autem nihil in contrariam sententiam efficias. Thebe enim, quanquam non ipsa sacerdos, in Amenthe sisti potest Osiridem adorans (v. supra). זי pro דִּי huic inscriptioni et fragmentis Blacassianis peculiare: pertinet igitur ad idioma Aramaeo-aegyptium. Lancius quidem ubique די legit; Waw paullo longius pro *Sain* habens, *Sain* pro Daleth, *Daleth* pro Resch: sed in hac opinione a Beerio iam redarguta (p. 7. 8) unica est causa interpretationis tam parum concinnae.

In appositione אוסרי אלהא non plus est offensionis, quam in יְהוָה אֱלֹהִים, addit Beerius ex Palmyrenis *ΥΠΟ ΘΕΟΥ ΙΑΡΙΒΟΛΟΥ*, Palmyr. IV, 5, et Persicis *ΤΟΥΤΟ ΤΟ ΠΡΟΣΩΠΟΝ ΔΙΟΣ ΘΕΟΥ* (v. ad Cit. 4).

מן רעם באיש לא עברת) A duplici peccati genere immunis pronunciatur Thebe, quod agendo et quod loquendo committitur (v. Jes. 3, 8: כִּי לְשׁוֹנָם וּמַעַלְלֵיהֶם אֶל יְהוָה. 9, 16: כָּל־פֶּה דֹּבֵר נְבָלָה. 33, 15. 58, 9. 59, 3): alterum hoc, alterum sequenti membro quasi parallelo enunciatur. — עָבַר sq. בְּ pers. est i. q. hebr. עָשָׂה בְּ, פָּעַל בְּ, quod idem valet quod עָשָׂה לְ *agere in aliquem* nostr. *jemandem* etwas *thun*,

Digitized by Google

anthun, maxime in malam partem, iniuria aliquem afficere. Quod Iob. 35, 6 in uno membro est: מַה־תִּפְעַל בּוֹ *quid ei facis?* quid Deo iniuriae infers? in altero est: מַה־תַּעֲשֶׂה לוֹ, cf. Jes. 5, 4. Ipsam chaldaeam formulam, sed *μέσως* usurpatam, habes Dan. 4, 32: *secundum voluntatem suam* עָבֵד בְּחֵיל שְׁמַיָּא (Deus) *agit in exercitum coeli.* Ad hunc locum prior ratio magis accommodata, et sententia est: „neminem iniuria affecit propter iram, placida erat, non morosa, stomachosa et querula, nunquam iracundia vel stomacho et morositate (haec maxime muliebri illa ingenio magis accommodata, quam iracundia quae virorum est, inest chaldaeo רעם, quod vulgo *querulum esse* reddunt) induci se passa est, ut aliquem quocunque modo laederet."

Verba עבדת, אמרת alii tertia persona accipiunt, alii secunda, quum dein sequatur imperativus. Utrumque ferri potest. Malim tamen hanc eius laudem tertia persona exprimi, dein sequi compellationem.

וכרצי איש לא אמרת) Vocabulum כרצי in difficillimis est. Barthelemyus legebat ... וכסי זי איש *et secreta neminis evulgabat.* Sed quod Koppius ex solo Barthelemii exemplo iudicans observabat, id Lanciano et Hohlenbergiano firmatur: *secundam* litteram esse *Resch*, tertiam (quam B. יז legebat) *Zade.* Sed quid est כרצי? Apud Nasoraeos, qui soli ex Hebraeis et Aramaeis habent radicem כרץ, haec idem valet quod קרץ (Norbergii Lexid. p. 107) i. e. nictavit oculis, quod maligni est, inde fortasse diffamavit, maledicus fuit, ut duo synonyma غمز et لمز nictavit oculis et maledixit, diffamavit (Cor. 9, 80. 104, 1). Haberes *calumniae*, *diffamationis* significationem, qua nil aptius. Eandem offert arab. قَارِصَةٌ convicium, dictum mordens, a قرص momordit, atque adeo chald. קְרַץ, in formula אֲכַל קַרְצֵי דְ calumniatus est aliquem (v. Lexx.). Hanc quidem posteriorem plerique proprie esse dicunt: comedit frusta alic., coll. arab. اكل لحم; sed neque haec formulae origo satis certa est (קַרְצֵי *frusta* esse, ex Arabismo demum colligitur, ubi قُرْصٌ est frustum panis) et sunt qui illam explicent: edere calumnias q. d. calumniis pasci, iis operam dare ad animi invidi desideria explenda (v. Storrii Observatt. p. 4. Buxtorf Lex. chald. v. אכל), neque talis origo interpretationi nostrae obstaret, siquidem קרץ etiam sine edendi vocabulo et neglecto etymo calumniae notionem adoptasse possit, sicut רָגַל pr. est *discurrit* ad calumniandum, quanquam dicitur Ps. 15, 3: לֹא רָגַל עַל לְשֹׁנוֹ. — Similem sententiam afferret כרץ i. q. חרץ, unde כרצי esse possint: dicta aculeata, coll. formula proverbiali Exod. 11, 7. Jos. 10, 21. — Roedigerus l. c. proponit: כרי זי איש contristationem alicuius, coll. ܟܪܐ contristatus est, Aph. contristavit, ܟܪܝܐ contristatio: sed זי legere dissuadet nimis longa litterae figura.

תמה קדם אוסרי בריכה הוי מן קדם אוסרי) facillima pars tituli. הוי haud dubie est imperativus fem., neque tamen est quod syriacam formam ܗܘܝ *esto* (fem.) arcessas: etiam in Chaldaismo haec feminini forma deprehenditur, v. c. חֲמִי Ps. 45, 1, חֲזִי 1 Sam. 25, 25. Ad sequentia verba cf. Ps. 115, 15 Jon. בְּרִיכִין אַתּוּן מִן קֳדָם יְיָ pro hebr. בְּרוּכִים אַתֶּם לַיי׳.

Sequitur difficillimus inscriptionis locus, de quo plerique desperarunt, in quo nemo fere vel sibi vel aliis satisfecit. Quid mihi probabile videatur, paucis dicam. מינקרה pro vulgari מינקרי lego ex auctoritate apographi Bröndstediani, quod lin. 3 in fine figuram habet He similem: idque cum Hamakero pronuncio מְיַנְקְרָה pro מְיַקְּרָה *honorata*, *cara*, ex noto Aramaismo. פלחה, quod cum Beerio lego, est *colens*, פָּלְחָה. נמעתי, quod semiticum non esse spoponderim, sive quadam orthographiae negligentia in littera ע saepius obvia (de qua diximus ad Numid. 4 lin. 2) sive statuarii errore exaratum videtur pro נעמתי *deliciae meae* (coll. نِعْمٌ deliciae), quod de numine dicitur, cuius cultrix erat Thebe, ut חֶמְדַּת נָשִׁים Dan. 11, 37 *deliciae mulierum* de idolo a mulieribus studiose culto. Quibus positis haec prodit sententia: *Honorata esto*, *o cultrix deliciarum mearum* i. e. Osiridis. Loquitur pater, Osiridis sacerdos, qui hunc titulum filiae posuit.

ובין חסי[ה תהוי שלם *et inter pios esto. Vale.* Litterarum uncis inclusarum vestigia in lapide feliciter indagavit et apte supplevit Lancius, hoc nomine iure meritoque laudandus. חסיה a ܚܣܝܐ pius. Pro תהוי, quod ego sumsi, Lancius posuit להוי. Haec autem forma quum in V. T., id quod recte docuit Beerius, nunquam non ponatur pro 3 masc. fut. יֶהֱוֵא (quomodocunque id explicabis) Esr. 7, 26. Dan. 2, 45. 3, 18. 4, 22. 5, 29, nec placeat sententia: *et inter pios esto pax*, legimus תהוי, quod itidem ferunt litterae vestigia. שלם autem respondere censeo trito illi *Χαῖρε*, *Have* in inscriptionibus sepulcralibus Graecorum et Romanorum.

4. De *Aegypto* huius monumenti *patria*, de qua multus est Lancius p. 67 sqq. licet argumentis usus ex parte inanibus, vel propter imagines et Aegyptiorum deorum cultum dubitari vix poterat, quanquam Osiridem etiam a Phoenicibus Melitensibus cultum esse scimus (v. ad inscr. Melit. 1 et numos Gaulitanos, lib. III, no. 14): sed certo et indubitato argumento sunt partim monumenta lapidea huic simillima in Aegypto reperta et ex parte aegyptiis litteris impleta (v. §. 2 et mox no. LXXII), partim papyri eodem scripturae genere eademque dialecto inscripti (no. LXXIII. LXXIV. LXXV).

Tituli *auctorem* Beerius libro cit. (introd. p. 8. 9) hominem Judaeum fuisse existimat in Aegypto degentem et Aegyptio cultui addictum, tum ad Hebraismos provocans in contextu aramaeo identidem repertas, tum ad singularem scripturae aramaeo-aegyptiacae non solum cum Palmyrena, sed adeo cum hebraea quadrata, cuius mater esse videtur, consensionem; eandemque originem vir doctissimus etiam papyro Taurinensi et fragmentis Blacassianis assignat. Quod quidem posterius quanquam et ego magnopere probo et certissimum habeo, aegrius tamen a me impetro, ut eius de huius nostri monumenti sententiae licet linguae et scripturae similitudo similem originem suadere possit, assentiar, praesertim quum aliud simile accesserit (no. LXXI). Faciamus enim, quod in tantis Judaeorum Aegyptiorum privilegiis et immunitatibus

Digitized by Google

perraro factum esse existimem *), Judaeos nonnullos ad sacra Aegyptiaca transiisse, num vero simile videtur, eiusmodi proselytos et transfugas ab Aegyptiis, peregrina quaeque tanquam profana et impurá reformidantibus ad interiora mysteria adeoque ad sacerdotium esse admissos? et contra Judaeos cum religione etiam *nomina* mutasse (quicquid enim statuis de patris nomine תחמי, filiae nomen חבא aegyptiacum est), linguam vero patriam retinuisse? Quanquam id ita fieri *potuisse* non nego, facilius certe videtur, horum monumentorum auctores statuere homines gentiles aramaice loquentes, ex Seleucidarum imperio oriundos, nunc Aegypti cives, apud quos deorum Aegyptiacorum invocationem et ad sacra Aegyptiaca admissionem nemo mirabitur, qui meminerit, Syros in ipsa sua patria Emesae, Palmyrae et Heliopoli Solem s. Baalem ritu vel aegyptiaco vel admodum simili coluisse, et in universum intimam esse religionum Phoeniciarum, Syrarum et Aegyptiacarum necessitudinem (p. 171). Quae enim ad linguae hebraeae analogiam accedunt huius nostri monumenti idiomata, non minus bene explicari possunt oratione Syrorum, qui in patria sua Phoenicibus undique cincti vixerunt, quam Judaeorum linguae sanctae formas profanae admiscentium.

In *aetate* tituli definienda itidem Lancio assentior p. 124 sqq. contra Fabricyum disputanti, qui scripturae genus Palmyrenae adeoque quadratae scripturae simile recentiorem quandam aetatem arguere censet. Unum addo, propter ipsum hoc scripturae genus monumentum nostrum papyris Blacassianis et Taurinensi antiquius censendum esse et Ptolemaeorum fere aetati ad finem vergenti assignandum videri.

LXXII.

Lapidi Carpentoractensi simillimum est hoc monumentum ineditum, quod Londini in eximia rerum antiquarum collectione, quae penes Rogersium celeberrimum poëtam est, oculis usurpavi. Emerat illud possessor in publica antiquitatum Saltianarum ex Aegypto advectarum venditione. Exhibet in superiore segmento a dextra Osiridem solio insidentem cum flagello et lituo; ante eum est mensa variis cibis onusta; a sinistra parte imago viri nudi, subligaculo cincti, cuius caput casside tectum. Ab anteriore parte cassidis est serpens regiae dignitatis index. Dextra manu patellam offert: super qua e regione cassidis legitur inscriptio tab. 29 a nobis exhibita, et nullo negotio legenda:

שמיתי

In inferiore segmento repraesentatur cadaver fasciis involutum in mensa leonis formam habente: infra hanc quattuor urcei operculis tecti, quorum tria bestiarum capita, unum hominis caput referunt.

---

*) Unicum eius rei testimonium est in tertio Maccabaeorum libro (II, 30), ubi narratur, multos Judaeos Aegyptios iubente Ptolemaeo IV. Philopatore ad sacra Dionysiaca (Dionysius autem Osiris erat) initiari se passos esse, sed mox eodem rege concedente a popularibus in religionis patriae fide permanentibus punitos et subinde supplicio affectos esse. At quam sublesta sit huius libri ne Josepho quidem cogniti fides, inter omnes constat.

Digitized by Google

Quinque illae litterae eodem scripturae charactere exaratae, quem apud Semitas in Aegypto degentes usitatum fuisse vidimus, haud dubie nomen proprium hominis sepulti et Osiridi dona ferentis continent. Quomodo efferenda sint, utrum שְׁמִיתִי, an שְׁמִיתַי, שְׁמִיַּתִי, an alio modo, utrum aegyptiacae originis sit nomen an semiticae, et quid significet, pro certo non definiam. Si semiticum est, in שמ latere possit *nomen* (cf. שְׁמִי רָמוֹת), fortasse etiam *coelum* (שמים, שמי): sed quid sit תי, יתי, ignoro. Ad litterarum figuras unum observo, caudulam Jod litterae extremae ad verum eius litterae characterem non pertinere et stylo ultra lineam progrediente ortam esse.

LXXIII.

PAPYRUS TURINENSIS.

1. Non sine magno strepitu hoc fragmentum folii papyracei litteris Phoenicio- vel certe Semitico-Aegyptiacis impleti inter Aegyptios Musei Turinensis papyros anno 1823 vel 1824 repertum viris doctis in universa Europa per ephemerides annunciatum est (v. *Journal Asiatique* T. V pag. 20), primum ab Hamakero (Miscell. phoen. tab. 3 no. 3) ex apographo Rochettiano editum; dein ex apographo a Gust. Seyffartho facto a Beerio in libello saepius memorato tab. 1: quod quidem utrumque apographum dedimus tab. 30 litt. a. b.

Explicationem eius dedit Hamakerus l. c. p. 67—77, eodem vitio primario laborantem, quo eiusdem in Numidicas inscriptiones pericula laborabant. Solebat enim ille sine accuratiore scripturae indagatione in vera litterarum potestate definienda falli, et hoc modo portenta exsculpere doctissimo cuique inaudita. Ita idem in hoc fragmento, quod vere phoenicium esse putabat et ita legebat:

אֵל מְרֻצָּא מִקְּדוּאַשַׁת עֲבָדָךְ וְחַיִּם ע .....
חָגָא חֶרֶס וְשַׁדִּידָא מְרֻצָּא יְהֵוִי יק .....

Deus, qui placaris, sanctitate servorum tuorum et vita .....
Circumiens sol et potens gratum sit (obsequium) ....

Ad haec, quae intelligat, qui possit, is multa de Cabiris commentatur, et fragmenti auctorem idololatram fuisse affirmat.

2. Nobis, ne in similes errores incidamus, ante omnia de litterarum potestate recte definienda anquirendum erit: cui pauca de utriusque apographi discordia praemittenda sunt. Quae quidem discordia, licet in universum non ita magna, *primum* in eo cernitur, quod Seyffarthi exemplum praeter duos versus principales tertii etiam versus vestigia continet, et huic fragmento maiorem tribuit aream (unde colligas, aut unum alterumve aut utrumque non plane accuratam eius imaginem referre); *dein* apud Seyffarthum litterae plerumque graciliores, apud Rochettium crassiores et rudiores sunt; *denique*, quod gravissimum est, nonnullae utriusque exempli litterae inter se differunt. Ita a) *Resch* in voce מראי lin. 1, quod nihil dubito a Seyffartho iusto longius pictum esse, ut Nun videatur; b) *Resch* posterius in שרירא lin. 2 itidem a Seyffartho ita pictum, ut Nun videri possit: c) *Jod* in חירא

Digitized by Google

vera. 2, quod apud Rochettium *Gimel* videri possit, ita certe lectum est ab Hamakero.

In alphaheto autem condendo partim lapide Carpentoractensi, partim fragmentis Blacassianis ita adiuvamur, ut non magna in hac re insit dubitatio, et a Beerii alphabeto (tab. 1) in una littera *Resch* dissentiamus. Hic enim Seyffarthi apographo nixus secundam litteram in מראי lin. 1 *Nun* esse statuens, fortasse etiam aliam eius figuram in eodem vocabulo lin. 2 *Nun* esse putavit, hisque formis (quae etiam in tertiae lineae fragmento comparent) Nun litterae potestatem in alphabeto suo assignavit: quum altera illa littera manifesto *Resch* sit. Hamakeri commenta, qui eandem litteram lin. 3 voc. 5 *He* facit, ibid. voc. 2 *Sadhech*, lin. 1 voc. 3 *Aleph:* cui ת lin. 1 voc. 3 semel est *Koph*, litterae ligatae lin. 1 vc. 1 צא, exagitare longum est: idque unum monemus, litteras *He* et *Jod*, *Resch* et *Daleth* in hoc fragmento, ut in toto hoc scripturae genere, sola magnitudine et saepe aegre discerni. Nun, utpote in solius tertii versus vestigiis obvium, neque satis certum, in alphabeto (tab. 4) plane omisi.

His praemissis integrum fragmentum (in solo tertio vocabulo paullulum haesitantes) ita legimus:

אל מראי מתדוישת עבדך פחים ש..

חיא חדה ושריא מראי יהוי יק...

Deus, domine mi! ex conculcatione servum tuum miserum e(ripe) *vita sua* est, *et verus dominus meus est Jehova? ...*

Dialectus pura puta chaldaea est, ut in omnibus his monumentis Aegyptiacis; fragmenti auctor vero, nisi omnia me fallunt, Jovae cultor i. e. Judaeus, his versibus, qui e libro liturgico decerpti esse videntur, Dei auxilium in sua vel populi sui (prout עבדך intelligis) calamitate invocat.

Verba tam facilia, ut pleraque, modo recte legeris, commentario, philologico certe, vix indigeant.

Lin. 1. De אל nil dubii est. מראי) *domine mi*, eodem modo scriptum legitur Dan. 4, 16 Chethibh, ubi in Keri א omissum. Altera littera in apogr. Seyff. possit Nun videri, sed lin. 2, ubi eadem vox repetitur, utrumque apographum consentit, et lectio non dubia est. Litterae ligatae possint אה esse et ש, quod utrumque commodum quoque sensum praebeat: מראה *dominus* et מראי *dominus meus*. Sed posterius praefero, cum minoris moduli sit posterior littera.

Difficillima vox est tertia, quam legimus מתדוישת. Secundam eius litteram *Tau* esse, non *Koph* (ut volebat Hamakerus), ex Seyffarthi apographo certissimum est: eadem est littera, atque ultima, quamquam paullo brevior. Tertiam ex solis palaeographiae regulis indicans *Resch* esse dicas, utpote paullo longiorem, et fortasse etiam *Caph* (licet Caph *finale* in עבדך longius sit): propter linguae rationes fortasse praeferas *Daleth*. Quintam denique, ex sola figura indicans, *He* esse censens, sed linguae

Digitized by Google

aramaeae rationem ה in tali litterarum consecutione: מתרוהשת, מתרוהשת, מחכוהשת, non ferre, facile omnes concedent. Est igitur *Jod*, idque paullo maius pictum. — Integrum iam vocabulum pro tertiae litterae ratione legi potest vel מתרוישת, vel מחכוישת, vel denique מתדוישת. Primum illud explicari possit: *ex egestate, pauperitate* pro מַתַּרְוִישַׁת, a nomine Ithpaëlico תרוישא ducto a rad. רוּשׁ pauper fuit: sed in Chaldaismo eius radicis nullum vestigium reperi. Alterum מחכוישת (מַתַּכְוִישַׁת) commodum sensum praeberet, si תכוישא (תַּכְוִישָׁא) dictum scriptumve existimares pro תַּכְבִּישָׁה *subactio, subiugatio* (Unterjochung), a rad. כבשׁ, quod nihil difficultatis habet. Vel hoc igitur adoptandum vel legendum מתדוישת i. e. מַתַּדְוִישַׁת *ex conculcatione*, ut תַּדְוִישָׁא sit nomen formae תלמיד a rad. דוּשׁ i. q. אִתְדָּשָׁא *conculcatio, trituratio* Jes. 22, 7. Mediam huius radicis litteram interdum mobilem esse testantur formae דוושא (דְּוּשָׁא) *tritura* Basra fol. 22, 2 et דַּוָּשׁ *consuetudo*. *Triturationem* autem s. conculcatione intelligenda *tribulatio* s. *oppressio*, cf. מְדוּשָׁה Jes. 22, 10.

עבדך סחים) Prius vocabulum indubium. Posterius in utroque apographo סוחים legendum est, quod pr. valet *nigrum*, *denigratum* (v. Buxtorf. p. 1711. 1712), coll. etiam arab. سُحَيم niger, inde facili translatione *miserum*, *infelicem*, cf. حلك niger 2) infelix fuit, et intpp. ad Ps. 10, 8. Non ineptum hoc: quaesiverim tamen ex his, quibus papyri inspiciendi copia est, possitne legi רחים *dilectus*, *cui miseretur* (Deus), quod sane ad sententiam facilius. Servo autem sive misero sive dilecto vel unus auctor intelligi potest, vel universus populus Israëliticus in διασπορᾷ vivens, secundum illud Jes. 42, 1. 49, 1. Quod sequitur, „*vita una* est" priori sententiae favet.

Sextae vocis littera prima, cuius aliquod cornu superest, ש fuisse videtur. Sententia poscit imperativum verbi, quod *eripiendi*, *servandi* vim habeat. Si Schin est illa littera, supple שלפה, שלפוהי *extrahe*, *eripe eum* vel aliud verbum servandi (שלה, שמר): quo facto sententia integra erit: *ex tribulatione servi tui miseri eripe eum* i. e. ex tribulatione eripe servum tuum miserum. Inter versum primum et secundum non multum deesse videtur: et fortasse in hoc ipsum sextum vocabulum exibat versus.

Lin. 2. חיא חדה) חַיָּא חָדָה *vita* est *una*, *unica*, irreparabilis, unde in V. T. יְחִידָה Ps. 22, 21. 35, 17. De *Jod* in חיא (non pro Gimel habendo) vide supra.

ושרירא מראי יהוי) In שרירא *Resch* posterius a Seyffarthо non bene pictum esse, supra (§. 1) diximus. Apud eundem *Jod* possit dubium videri, sed in Rochettii apographo utraque littera certa est. Integrum vocabulum est tritum illud שְׁרִירָא, שריר *firmus*, *constans*, *verus*, qui promissa servat. — Quintam huius versus vocem legi יהוי *est*, ne palaeographiae regulas temere migrasse viderer. Quarta enim eius littera in utroque apographo est eadem, quae alibi in hoc papyro *Jod* est. Nihilominus haud scio an יהוי scriptum sit pro יהוה (cf. formam inde contractam יי), praesertim quum verbum substantivum hoc contextu fere langueat. Exit versus in verbum a litteris יק ordiens, fortasse יקדש *sanctus est*, vel simile quid.

Digitized by Google

Nihil fragmento nostro profici ad res Phoenicum in Aegypto illustrandas, nihil ad litteraturam vere phoeniciam augendam, certum est: sed utilissimum tamen illud ad historiam scripturae Hebraeae et ad origines scripturae quadratae, cui nostra admodum vicina, illustrandas.

LXXIV. LXXV.

PAPYRI BLACASSIANI.

1. Multo maioris ambitus, quam fragmentum Turinense, duo sunt papyri Blacassiani dicti, utpote nunc in rerum antiquarum collectione *Ducis de Blacas* conservati. Reperit eos, admodum turpiter habitos, anno 1825 vel 1826 V. Cl. MICHELANGELO LANCI apud Demetrium Papandriopulo, antiquitatum Aegyptiarum mercatorem Romae habitantem, inter alios multos papyros in arenis Saccarensibus effossos, coemtos diligenter evolvit et expedivit adiuvante Julio de Montevecchio, postea vero Duci de Blacas tunc Neapoli commoranti dono dedit. Ita certe ipse Lancius rem narrat in Diario Romano 1826 no. 13 et in opere mox laudando: ut nesciam, quae fides habenda sit eorum narrationi, qui hos papyros Kolleri prius fuisse dicant. Quicquid est, de iis primum edendis bene meruit Lancius in libro cui inscribitur: *La sacra scrittura illustrata con monumenti fenico-assyrj ed egiziani da Michelangelo Lanci Fanese* cet. Roma, dalla societa tipografica. 1827. fol., eoque rarissimo, quum, quamvis bona cum Superiorum venia typis exscriptus esset liber, postea tamen a curia Romana interdictum sit, ne in publicum ederetur: ita ut paucissima tantum exempla in orbem litteratum emanaverint. Idem vir doctus operis laudati p. 18 sqq. interpretationem horum fragmentorum dedit, quae in multis laudabilis est et probanda, in aliis correctione eget, siquidem auctor in nonnullarum litterarum potestate definienda praeconcepta quadam opinione ductus non poterat non a vero aberrare. Sed singula iam consideremus.

2. Continent hi papyri duo fragmenta ex medio quodam volumine papyraceo decerpta, quorum utrumque ab utraque parte litteris impletum est, alterum maius (A. B), alterum minus (C. D).

Maioris fragmenti *pagina prima* (A) non potest non ea fuisse, quae quinque priorum versuum sub finem mutilorum initia, praeterea tres versus integros (lin. 6—8), continet: vix enim versus longiores fuisse putem (vide lin. 7 fine). Ex volumine, non ex nostrae formae libro, decerptum esse hoc fragmentum apparet ex quattuor linearum fragmentis, quae a dextra parte fragmenti comparent, et alius cuiusdam columnae extremas litteras continebant: id quod, quamvis manifestum, Lancium tamen fugisse videtur, qui has litteras ad ipsum paginae primae contextum traxit.

In *altera* eiusdem fragmenti *pagina* (litt. B) in extremis versibus paucissima deesse videntur, ita ut versus 5 et 6 paene integri sint, priores quattuor tantum ab initio mutili. Versus ab hac parte longiores columnaeque voluminis latiores fuisse videntur: maior etiam inter singulos versus intercapedo.

Digitized by Google

Ceterum eadem pagina manifestius etiam, quam prior illa, docet, hoc fragmentum superiorem columnae decerptae partem continere, ibique nihil deesse ad integritatem.

Fragmenti minoris prima pagina (C) itidem septem versus superiores columnae cuiusdam continet, quorum nonnulli, ut tertius, quintus, septimus in fine integri esse videntur: sed in posteriore pagina (litt. D) versus ab utraque parte mutili sunt.

3. *Litterae*, *quarum tabulam* pertexuimus tab. 4, in universum quidem his persimiles sunt, quae in lapide Carpentoractensi et in fragmento Turinensi comparent: sed paullo propius tamen ad scripturam Palmyrenam et quadratam accedunt, id quod maxime conspicuum est in litteris *Beth*, *Daleth*, *Resch* et *Caph*, quarum capita in illis monumentis superne aperta, in his fragmentis praeter parvum quoddam vestigium unciforme plane evanuerunt. Eodem modo *Lamed* et *Nun*, negligentius picta, genua vel parum inflexa vel prorsus nulla habent: in litteris *Caph* et *Nun* autem, quod a Lancio neglectum esse miror, *figurae finalis* manifesta exempla habentur, vide *Nun* finale in voce ינחן D lin. 1, ubi prius Nun breve et geniculatum, posterius longum et rectum, item litt. A in columnae illius fractae lin. 1. litt. B, 6. litt. C lin. 3 in כן, lin. 7 in אלהן; *Caph finale* B lin. 4. 5. 6. litt. C lin. 6. Quae quidem omnia his fragmentis aetatem illorum aetati paullo recentiorem assignant. De singulis autem quibusdam litteris quid a Lancio dissentiam, hoc loco brevi disputandum est: quantumvis hic „neophilologis“ irasci videatur, qui suas de quibusdam litteris opiniones in dubium vocarint. Ac Lancius quidem ei, quam ad lapidem Carpentoractensem defenderat, opinioni pertinacius insistens signum ך ubique *Daleth* esse ponit, contra ך D lin. 5 *Zain*, ך ubique *Resch* esse statuit: quum ך in his fragmentis ut in Carpentoractensi manifesto sit *Zain*, ך *Phe*, ך maxime brevius pictum *Daleth*. Quod ad *Zain* litteram attinet, talem eius potestatem postulat non solum scripturae Phoeniciae et Palmyrenae analogia, sed etiam verbum זעק *clamavit* C, 1 (דעק aramaeum non est): pronominis autem זי B, 1. 3. 5. C, 2. D, 1. 2. זא B, 5. זנה C, 2. כזי C, 3 usus pro vulgari די, דא, דנה, כוי his fragmentis cum marmore Carpentoractensi communis est. *Daleth* litteram in his fragmentis ita pingi, ut vix a Resch discernatur, paullo tamen brevius sit, luculenter apparet ex verbis תאבד צדקתא *perit iustitia* D, 4, quae Lancius nulla sententia legit תאבד צרקתא „*fortificherai Sarcata*“, adde voculam עד A lin. 3 in עד יבנון *donec aedificabunt*, pro quo Lancius ען legit, vocabulum nihili (v. infra). Non minus certa est litterae ך potestas *Phe* in D, lin. 5, tum ex analogia et similitudine Phe litterae in אלפי B, 7, tum ex linguae usu, in qua אתנסק est *eductus est*, אתנזק in hac coniugatione non usitatum.

4. De *dialecto* idem dicendum est, quod de lapidis Carpentoractensis et fragmenti Taurinensis dialecto iam diximus, eam puram putam Aramaeam, et quidem Chaldaeam esse, sed nonnullis Hebraismis temperatam, quemadmodum in libris

Digitized by Google

Danielis et Esrae, quo pertinent Suffixa in בטנהם, אלהיהם, קימיהם A, 1—3 pro הון (cf. עֲלֵיהֶם Esr. 7, 45), praeterea חרקה A, 5 pro חרקא, תשתה C lin. 6 pro תשמא cf. תַּהֲוֵה Dan. 2, 40—42, et vocabula mere hebraea איש *vir*, שאול *sepulcrum, orcus*, אחרון *postremus*. Lancius inde colligit, antiquissimam orationem Phoeniciam ex formis Hebraeis et Chaldaeis mixtam fuisse. Sed nulla prorsus causa est, cur haec fragmenta Phoenicibus tribuamus, qui in genuinis certaeque originis monumentis ubique lingua pure Hebraea utuntur et a quiescientium usu abstinent. Chaldaica haec sunt, ab homine Chaldaice loquente in Aegypto scripta, quem cum *Beerio* V. Cl. Judaeum existimare, plura sunt, quae suadeant. Ac *primum* quidem Hebraismos, in his usum vocis שאול, ab homine Judaeo facilius quam ab ullo alio exspectes. *Dein* hoc suadet analogia fragmenti Taurinensis, quod Judaeo tribuendum esse vix dubites. Accedunt *denique* nonnullae locutiones, quae hominem Judaeum certe monotheismo addictum et de populo gentili narrantem prodere videantur, velut אלהיהם *dii eorum* (Aegyptiorum) A, 2, ויתכנשון אלהי מצרין *congregati sunt dii Aegypti*, quae ab homine Aegyptio vel Aegyptiis sacris addicto ita scribi non poterant.

De universis igitur his fragmentis ita statuo, ex libro ea decerpta esse, quem apocryphum vocare possis, a viro Judaeo Ptolemaeorum aetate (haec etiam Lancii sententia est) scripto, ad *historiam antiquiorem Judaeorum in Aegypto* pertinente.

5. Nostrae horum fragmentorum interpretationi *Lancii* lectionem *cum interpretatione italica* integram praemittere placet additis eiusdem observatiunculis, his tamen in compendium redactis.

Litt. A Lancius ita transscripsit et interpretatus est:

1 ..... ולא ימלא בטנהם לח .....
2 ..... איש כיבי אלהיהם .....
3 .... ין קימיהם ען יבנון קר .....
4 ... ע וביומן אחרון יאכל .....
5 ... והי חרקה לאבוהי וידב .....
6 ..... ויתקלנוהי בלבה ויקטל איש ל
7 ..תר מראה וישוה איש בני מראה ..
8 . אשה לחם ויתכנשין אלהי מצרין ...
9 ..... שנן ופשד וח ...

e non s'impierà il ventro loro di pa(ne)
ognuno le molestie de' loro Magnati
alla presenza loro nel tempo, che edificheranno la ci(tà)
e nell' ultimo loro giorno mangier(anno) ....
vivanda d'impastata farina per li padri loro, e condur(anno)
e li disprezzerà in cuor suo, e ucciderà chiunque .....
Morà ed Iscevà; chiunque de' figli di Morà
battaglia; e si aduneranno i Potenti di Egitto ...
.... affilerà e distruggerà ....

Digitized by Google

Lin. 3 עֵן L. explicat *tempus* coll. talmud. עונא, - lin. 5 חרקה ei est arab. حَرِيسَة pulmentum ex farina, lin. 7 מראה et וישוה idem nomina propria putat, quorum prius in V. T. non reperiatur, posterius idem sit quod יְשָׁוָה filius Asseri Gen. 46, 17.

Litt. B idem:

1 .... לבני על תבהרא די מלכא ושמע ....
2 ... בר חנש דה אחר ענה מלכא .....
3 ... בר חנש מליא די מלכא׳ אמר וע..
4 ... טלת המן תדך בחרב חילך וח....
5 ... ח יתן לך ושביא די שבית בדא שנתא .
6 . באלך וגרמך לא יחחון שאול ומלכך ...
7 ....ש על אלפי מלכא ד..... במנח

..... *ai figli per lo splendore del Rè; ed ascoltò ...*
..... *Bar-Hanesz egli stesso. Quindi rispose il Rè ....*
..... *Bar-Hanesz le parole del Rè; disse ...*
..... *avrai uccisi quelli, andrai con la spada del tuo valore, e ....*
..... *s'inchinerà a te, e la preda che hai predata in quest' anno*
nel valor tuo; e le tue sostanze non scenderanno alla fossa, e l'ombra tua
... sopra i Duci del Rè ... con oblazioni ....

Lin. 2. 3 בר חנש L. recte nomen pr. praefecti militum regis Aegypti esse observat, fortasse ab urbe patria חנס (Jes. 30, 4) appellatum: lin. 7 is אלפי mavult אַלָּפֵי *duces* pronunciare, quam אֶלֶף *millia*.

Litt. C ita legitur:

1 ..... מלכא ודק ומשח .....
2 .... דנה די קרה .....
3 .... תלתי כד כדי עברת לבנוה ...
4 .... לולא באחר ים ... קטל ...
5 ... שעתבם בתמאי ומנח ...
6 ....ך תדך ותשחה
7 ..ה עם אלהן ולחש סור

.... *il Rè, e spirò; ed unse*(rò)
... di Kore ....
... essendo tu passato ai figli di lui ...
.... Lula presso al lago: uccise ...
... lo sdegno loro con la perfezione, e con l'oblazione
... percuoterai; e berrai .....
... col Magnate loro; e il mago di Sur.

Lin. 1 L. regis cuiusdam mortem narrari putat, successoris unctionem. Lin. 5 שעתב *contemtum* reddidit coll. arab. عَتَبَ, addito ש more Chaldaeorum, quod apud

Digitized by Google

hos significationi quodammodo temperandae inserviat. Lin. 7 סור idem desertum *Schur* intelligit.

Litt. D eodem interprete est:

1 ..... די ינתן לה אבוהי ...
2 .... שר אלהי מצרין זי ...
3 .. רין ויהוון ....
4 מה ותאבר צרקתא ואי ...
5 ... בו ואתנזק איש ....
6 ... עלך בר כבוה ד...
7 ... יברכן לקבאה ול...
8 ..... ויאמרון לה צערי .....
9 ..... נחה בפלג .... חלך ול

.... *che darà a lui il padre suo* ....
... *il Principe de' magnati di Egitto* ....
... *e saranno* .....
.... *e fortificherai Sarkata, e* .....
.... *in lui, e porterò il danno a ciascuno* ....
.... *sopra di te Bar-cheboa* .....
.... *benedirà noi per la maledizione; e* ..
.... *e narreranno a lui le angustie* ..
... *nel rivo* ..... *andrai, e* ....

6. Qua quidem in Lancii interpretatione quanquam non pauca sunt, quae corrigere quibusque ex probabili coniectura meliora substituere poterimus: tantum tamen abest, ut maiores illas lacunas supplere integrumque contextum restituere nobis contigerit, ut paene dubitemus, id unquam magna cum veri specie praestitum iri. At tamen si qui forte hac in re ingenium exercere velint, horum in usum in transscripto nostro probabilem litterarum deperditarum numerum peculiaribus signis (ʌʌʌ) indicare placuit, licet hic ex amplitudine singularum litterarum pendeat. Verba a nobis aliter atque Lancius fecerat vel lecta vel explicata in latina interpretatione litteris cursivis indicavimus.

Fragmenti maioris pars anterior (litt. A) haec est:

1 ʌʌʌʌʌʌ ולא ימלא בטנהם לח
2 ʌʌʌʌʌʌ איש כיבי אלהיהם ין
3 ʌʌʌʌʌʌ קימיהם עד יבנון קר ע
4 ʌʌʌʌʌʌ וביומן אחרון יאכל
5 ʌʌʌʌʌʌ חרקה לאבוהי ויזב והי
6 ויתקלנהי בלבה ויקטל איש ל
7 מראה וישרה איש בני מראה תר
8 לחם ויתכנשין אלהי מצרין אשה
9 .. שנן ופשז

Digitized by Google

i. e.

1 et non impleat ventrem eorum ci(bo) .....
2 quisque dolores *dei ipsorum* ....
3 *statuta eorum*, *donec* aedificassent ur(bem) ...
4 et tempore eorum postero comederet .....
4 *stridor dentium* patri suo et *immola*(ret)
6 et consideret hoc in corde suo, et occidere voluisse quemque
7 *dominum suum* et *scissurum* quemque filiis *domini sui*
8 panem, et congregatum iri *deos* Aegypti
9 . . . . . .

Universa oratio in futuro tempore vel potius in oratione obliqua procedit. Videtur (si coniecturam facere licet) aliquis cum rege (Pharaone) colloqui de populo quodam (ni fallor, Israëlitico), cui cibus non sit praebendus, cuius statuta non sint rata habenda, antequam ex mandato aedificaverit civitatem (cf. Exod. 1, 11), qui iam patri suo odio („stridor dentium“) fuerit, a quo metuendum sit, ne devoret ..., sacrificet ..., quorum singuli dominos interficere liberosque eorum mendicos facere moliti sint. Suffixa in בטנהם, אלהיהם, קימיהם ad hunc populum referuntur, suffixum in לאבודי, בלבה ad regem et ad eundem יתקלנדי, ימלא, sed verbum plurale יבנון ad populum. Quid si loquens idem ille *Bar-Hanes*, qui in postica parte huius fragmenti propter multorum hominum caedem laudatur?

Lin. 1. Formula מלא בטן etiam in V. T. obvia est Iob. 15, 2. 20, 23. לח א cum Lancio suppleo לחם.

Lin. 2. כיבי אלהיהם *dolores* s. *molestiae dei illorum* possunt esse molestiae, quae cum dei peregrini cultu coniunctae sunt, et sententia ita suppleri: *sentiant illi dolores dei ipsorum*, i. e. persentiscant illi, quid sit alienos deos colere, cf. Ps. 16, 4. Quod Lancius אלהיהם reddit: *magnates eorum*, ne in Vetere quidem Testamento ferri possit (v. de hac re Thes. ling. hebr. T. I. pag. 96), nedum in Chaldaismo.

Lin. 3. קימיהם quo iure Lancius transferat: „alla presenza loro“, quasi scriptum esset קדמיהם, ipse viderit. Non minus mirum, quod idem sequens verbum legit ען et *tempus* reddit, coll. עונה, quod vocabulum in V. T. ἅπαξ λεγόμ. (Exod. 21, 10) Talmudici de *tempore debiti coniugalis* interpretantur et sic usurpant: nunquam aliter. Fac autem עונה *quodvis tempus* significare, pro eo quod L. reddit: *tempore quo aedificarent* scribendum erat בעונה זי יבנון, non ען יבנון. Sed quid multa? Non ען legendum, sed עד. — In extrema linea קר cum L. supple קרתא.

Lin. 4. 5. יום אחרון in V. T. saepius de *tempore postero* Prov. 31, 25. Jes. 30, 8, et adiectivum quidem formam habet prorsus hebraeam: chaldaica esset אָחֳרָן, אוחרן. חרקה, quod in Lexicis chaldaeis se invenisse negat L. et propterea ex linguae arabicae auctoritate *pulmentum* reddit, maxime quia praecedat (sed interiecto spatio!)

Digitized by Google

edendi verbum, fidenter reddo: *stridor dentium*, a חרק; qui vero *stridori* est *alicui*, est odii caussa et invidiae vehementioris. Pro וידב apud Lancium ex lege supra exposita legendum וזב, quod vix aliter suppleri poterit quam ויזבח. Sententiam ita suppleo: *Et tempore eorum futuro comederet* [ipsum suum populum] hic *stridor dentium patri suo, et immolaret* [filios Aegypti] i. e. metuendum esse ne talis populus, patri regis iam perosus, tandem ipsum Aegypti populum bello devoret, ipsosque Aegyptiorum liberos immolet.

Lin. 6. omnia bene se habent apud Lancium, sed lin. 7 מראה utroque loco manifesto est *dominus eius* (cf. מראי in fragm. Taur.), pro וישוה autem legendum וישרה, quum littera media manifesto *Resch* sit. שרא לחם est *panem scindere* (Buxtorf. Lex. chald. p. 2527), unde שְׁרוּתָא *cibus*. Sequente dativo, ut h. l., idem valet quod hebr. פָּרַס לָחֶם לְ frangere panem alicui i. e. mendico et pauperi stipem dare Jes. 58, 7 cf. Jer. 16, 7.

Lin. 8. De forma יתכנשין dubito, num ea recte se habeat, et legendum esse putem יתכנשון.

Lineae 9 paucas litteras in medio relinquo.

Fragmenti maioris pars aversa (litt. B), ita legenda videtur:

1 לבני על תבהרא זי מלכא ושמע
2 בר חנש הו אחר ענה מלכא
3 בר חנש מליא זי מלכא אמר ו
4 מלת המן תהך בחרב חילך וח
5 ת יחין לך ושביא זי שבית בזא שנת
6 באלך וגרמיך לא יתתון שאול ומלך
7 ש על אלפי מלכא במנח

i. e.

1 ..... filiis *meis* propter splendorem regis. Et audivit
2 ..... Bar-Hanes hoc. Postea orsus est rex
3 ..... Bar-Hanes verba Regis. Dixit (ille)
4 ..... (in)terfecisti hos, *grassatus* es gladio tuo potente et *per(di)-*
5 *disti hostes* (?) et praedam hanc fecisti in hoc anno
6 per hos, et ossa tua non descenderunt in sepulcrum et umbra tua
7 .... super *millia* regis .....

In hoc fragmento oratio narrantis est et verbis praeteritis continetur. Colloquium est, ut iam Lancius vidit, Regis cum Bar-Hanes quodam, praefecto militum, quem rex laudat ob res fortiter gestas praedamque reportatam, cuius vita servata et qui porro civibus praesidio futurus sit. Utriusque fragmenti argumento inter se

Digitized by Google

composito coniecerim Bar-Hanesum ex quadam Judaeorum traditione (אַגָּדָה) ad Exod. 1 fuisse praefectum militum Pharaonis et h. l. de Israëliticae gentis crudelissima caede agi, quam idem ille homo priore fragmento regi suaserat.

Lin. 1 ultima verba regii sermonis continere videtur. Substantivum תבהרא *splendor* lexica nostra ignorant. Eiusdem formae erat תדוישה in fragm. Taurinensi. De pronomine זי pro vulgari די vide §. 3.

Lin. 2. הו pro הוא posterioris aevi Paraphrastis proprium esse observat *Schaafius* (opere aramaeo p. 34), a Syris petitum.

Lin. 4. Ab initio cum Lancio supplendum est קטלת *occidisti:* in extrema linea quum duae litterae desint, adhibito ת ab initio lin. 5 suppleo חבלת *perdidisti.*

Lin. 5. dubito quid sit יחין לך vel לחין לך. Sententia postulat: *hostes tuos*, fortasse igitur וָחִין לך *festinantes in te* i. e. adorientes te.

Lin. 6. *per hos* milites tuos. שאול, in quod *ossa* descendunt, non orcus esse potest, sed *sepulcrum* est, ex usu Talmudicorum (v. Buxtorf. p. 2301). Sententia autem verborum: *ossa tua non descenderunt* (praeteriti enim vi accipienda erit futuri forma) *in sepulcrum*, non potest non haec esse: vivus servatus es in tanto vitae discrimine.

Lin. 7. *et umbra tua* (suppl. expansa est, vel simile quid) *super millia regis* i. e. et etiam in posterum tu civibus Regis praesidio eris eosque tutos praestabis ab hostibus. Lancius magno apparatu probatum it, melius legi אַלְפֵי מלכא *duces regis:* sed facile patet, Bar-Hanes aptius multorum millium, quam ducum regiorum praesidium appellari.

Fragmenti minoris pars adversa (litt. C) ita legenda erit:

1 ^ ^ מלכא וזעק ומשח . . . . . .
2 ^ ^ ^ ^ ^ ^ זנה זי קרה . . . . . .
3 (ת)תלנהי כן כזי עבדת לבנוה(י) . . . . . .
4 לולא באתר ים (י)קטל . . . . . .
5 שעתרם בתמאי ומנח . . . . . .
6 ך תהך ותשתה . . . . . .
7 י עם אלהן ולחש סור . . . . . .

1 . . . . . rex, et *clamavit* et unxit . . . . . .
2 . . . . . *id quod vocavit* . . . . . .
3 . . . . . *dabis hoc ita sicut fecisti filiis eius*
4 . . . . . *nisi in loco maris interfecisset*
5 . . . . . *quorum opes* cum admiratione (?) et quiete
6 . . . . . *ibis* et bibes . . . . . .
7 . . . . . cum deo eorum, et *susurravit: recede.*

Digitized by Google

Ab initio singulorum versuum magna pars, fortasse quindecim aut sedecim litterarum spatium deest, quam ob causam de contextu restituendo vix cogitari poterit, et in singulis verbis utcunque definiendis acquiescendum erit.

Ac lin. 1 legendum esse זעק *clamavit*, iam supra diximus (§. 3). Unde Lancius habeat interpretationem דעק *expiravit*, non assequor. Num forte נעק confudit cum נעף *mortuus fuit?* Quicquid est, hoc certum, neque דעק, neque זעק tale quid significare.

Lin. 2. זמה ex singulari huius dialecti aegyptiacae idiomate i. q. דמה (v. §. 4), et זי pro די. קרה vix n. pr. est, sed i. q. קָרָא vocavit.

Lin. 3 primum verbum suppleri poterit יחלמהי *dabit illud* aut תחלמהי *dabis illud*: sed posterius praestat propter sequens עבדת *fecisti*. נחל pro נתן *dedit* et syriacum est et sequioribus Paraphrastis proprium. Quae sequuntur duo verba L. legit כד כדי, et tam certa ei videtur haec lectio, ut addat: „le due prossime particelle כד כדי danno tale evidenza del valore da me assegnato alla quarta cifra dell' Alfabeto, che i neoorientalisti, i quali magistralmente si opponevano a quello senza procacciarsi altro guadagno, che il compatimento de' dotti, dovranno per lor decoro la vana observazione ritrattare." Qui sint recentiores illi Philologi, quos ita increpat L., equidem ignoro: sed hoc scio, eos his papyri nostri verbis refelli non posse, quae ne interpretatus quidem est Lancius. Nam prius manifesto est כן (non כד) *ita* cf. de Nun finali §. 3, posterius כזי i. q. כדי *secundum*, et non possumus non mirari, Lancium V. Cl. duabus litteris adeo diversis eandem potestatem tribuere. De עבדת pro עברת Lancii v. §. 3.

Lin. 4. באתרים L. *in loco maris*, cui obstat, quod pro ים, si appellativum esset, expectares יממ: nisi forte ita legere placet. Est enim lacuna post ים. Num forte iunctim legendum באתרים *in Atharim?* cf. Num. 21, 1.

Lin. 5. Pro שתכם apud Lancium legi שתרם, cui vix obstabit litterae figura. Quae sequuntur hoc et reliquis versibus, ex coniectura posui, nihil certi definiens.

Denique fragmenti minoris pars aversa ita legenda est:

1 . . . . . זי ינתן לה אבוהי
2 . . . . . שר אלהי מצרין זי
3 . . . . . רין ויהון
4 . . . . . מה ותאבד צדקתא ואי
5 . . . . . נו אתנפק איש
6 . . . . . עלך בר כברה ו
7 . . . . . יברכן לקראה ול
8 . . . . . ויאברון לה צערי
9 . . . . . נתה בפלג . . . . חלך ול . . . . . .

Digitized by Google

1 . . quod dabit ei pater eius . . . . . .
2 . . princeps *Deorum* Aegypti *qui* . . . . . .
3 . . . . . *(Ae)gypti* et erant . . . . . .
4 . . . . . et *peribit iustitia* . . . . . .
5 . . . . . *foras ductus est* vir . . . . . .
6 . . . . . super te, Bar Cibrah, et . . . . . .
7 . . . . . benedicet nobis *ad vocandum* et . . . . .
8 et dixerunt ei *dolorem meum* . . . . . .
9 . . . . . in rivo . . . . ibis . . . . . .

in quibus ne frustra oleum et operam perdidisse videamur, de vers. 4 et 5 remittimus ad §. 3; et fatemur, in verbis כברה (L. כבוה) Vers. 6 et קראה (L. קבאה) nos coniecturam magis ex linguae indole petitam, quam litterae figuram in apographo exhibitam secutos esse, sed in talibus nil definire posse.

Praeter hos papyros Blacassianos Lancius memorat duo alia fragmenta papyracea eodem scripturae genere impleta, alterum Borgianum in Propaganda asservatum, alterum rescriptum in bibliotheca Vaticana, quod quidem utrumque a se Romae descriptum nobiscum communicavit, qua est humanitate, Seyffarthus V. Cl. liberum ea edendi arbitrium nobis permittens. Sed eodem tempore Beerius nobis misit utriusque exemplum ex apographo Seyffarthi lapidi inscriptum una cum alphabeto et tabula cifrarum in papyro Vaticano a se indagatarum, mox in altera libelli saepius laudati particula edendum. Quam ipsam ob causam nos ab horum fragmentorum editione abstinendum putavimus. Noluimus enim viro doctissimo iustam primae editionis laudem praeripere, praesertim quum id, quod unum in his fragmentis turpiter habitis et ipso Seyffartho fatente vix satis accurate descriptis praestari poterat, litterarum et cifrarum indagatio, ab eo iam praestitum esse animadverteremus, omnino autem his fragmentis in Beerii libro aptior locus sit, quam in nostro.

CAPUT NONUM.

PSEUDOPHOENICIA ET SPURIA.

Postquam nostram de titulis vere Phoeniciis disputationem iam *septimo* huius libri capite absolvimus et *octavo* aliud monumentorum genus tractavimus, quod, licet non Phoenicium, tamen cum his intima necessitudine coniunctum est, tandem, ne quid temere omisisse videamur, quod huic monumentorum generi annumeratum est, de nonnullis monumentis veteris scripturae agere visum est, quae partim quidem genuina, sed non Phoenicia, partim Phoenicia, attamen non genuina sunt. Tum enim nonnulli de litteratura Phoenicia

Digitized by Google

scriptores litterarum Phoeniciarum cum Etruscis et veteribus Persicis similitudine decepti epigraphas quasdam Phoenicias esse existimarunt, quae vere non essent: tum otiosorum et malae fidei hominum fraude nuper demum nonnulla monumenta supposita sunt, quae aliquamdiu certe doctis hominibus imposuerunt (no. 78. 79).

LXXVI.

Ac primum pro Phoeniciis habitae sunt nonnullae lucernarum sepulcralium laminarumque aenearum epigraphae, quae potius *Etruscae* existimandae sunt:

1. Quattuor huiusmodi epigraphas sibi similes a Muentero acceptas edidit Hamakerus, Miscell. p. 385 sqq. Lucernae argillaceae eaeque sepulcrales, quarum inferiori parti eae inscriptae sunt, in vicinia Tunetis, ut fertur, repertae in Museo Hauniensi asservantur. Priorem, eamque pleniorem (cui prorsus simile exemplum olim Tulinianum nunc Lugduni exstat, a cel. Leemans mecum communicatum, Hamakero, ut videtur, tunc, quum Miscellanea ederet, non cognitum) exhibet tab. nostra 32 no. LXXVI a, omissis reliquis tribus, quae nonnisi pauciores eiusdem epigraphes litteras continent. Hamakerus l. c. eas legit: רְצֵה לָזֶה pro pleniore רְצֵה לָזֶה *hoc gratum habeto, hoc contentus esto.*

2. Aliam huic similem laminae aeneae (secundum d' Orvillium lapidi) inscriptam, quae anno 1725 prope Panormum in sarcophago marmoreo reperta est, edidit Cast. de Torremuzza, inscriptt. Sicul. nova collect. p. 297 et iam prius d'Orvillius in Siculis P. I. tab. A ad pag. 43. Tractaverunt eam Bellermannus (inscr. Phoen. p. 22) et Hamakerus l. c., quorum prior eam legit רך לז *molle huic* i. e. mollia fata huic latori, posterior רץ לז.

Equidem cur utramque illam epigraphen ad litteraturam Etruscam referre malim, duae maxime caussae sunt. Ac prima est in forma litterarum, quarum nonnullae, ut R, Phoenicibus quidem cum Etruscis communes sunt, aliae ut $\{ = S$ Etruscis peculiare a Phoeniciis monumentis absunt. Altera nititur comparatione similium monumentorum, maxime lucernarum, quarum magna vis in Museis exstat *), quarumque inferiori parti nomina propria, maxime Etrusca, litteris modo Etruscis modo Latinis inscripta sunt, saepe addito verbo *epoiesen*, *mepoiesen* (ἐποίησεν, μ' ἐποίησεν). Quomodo illae litterae legendae sint (no. 1 IESTR? no. 2 IS. TR?), non meum est h. l. disputare, iisque definiendum relinquo, qui de scriptura Etrusca aliquando post Lancium et O. Muellerum mereri volent **).

*) Vid. *Museum Etrusque de Lucien Buonaparte.* Fouilles de 1828 et 1829. Viterbo 1829. 4. In Museo Britannico superiore anno multas huiusmodi lucernarum centurias lustravi, quarum pancae litteris Etruscis, haud multo plures Graecis inscriptae erant, pleraeque Latinis, ita tamen ut pleraque nomina propria Etruscam originem redolerent (v. c. Canafeli, Vicilar, Prutfor, Pompsofe, Farherac, Pasisid, Cuiciri C. OPPI. RES), pauciora Romana essent (Vibius, Fontejus, Cloldia), ita quidem ut nomina Graeca et Latina modo primo (v. supra) modo secundo casu posita essent (v. c. Λουκιου, Ἀβασκαντου, Acci, Strobili), omnia tamen figulorum nomina esse viderentur.

**) Neque Phoenicia, neque Etrusca est epigraphe laminae aureae monstrosis figuris ornatae,

Digitized by Google

LXXVII.

In scripturae Phoeniciae monumentis recenseri etiam solent nonnulla, quae ad *antiquissimam Persiae scripturam* pertinent, de qua supra diximus lib. 1 §. 50. In his sunt praeter numos veterum Persarum et Asiae minoris (§. 50, no. 1. 2. 4) *inscriptiones* quaedam in lateribus Babyloniis repertae. De duabus huiusmodi epigraphis, quae cuneatam scripturam iuxta se habent et neque Phoeniciae neque Babylonicae sed Persicae sunt (tab. 31 no. LXXVII, a. aa. b), iam diximus l. c. p. 74 sqq. Tertiam quandam, quam post *Hagerum* (v. Klaproth asiat. Magazin tab. 4) Koppius edidit (*Bilder und Schr.* II p. 152) et Babylonico-Phoeniciam censet, ibidem repetivimus (tab. 32, no. LXXVII, c) eo solo consilio, ut intelligerent Phoeniciae scripturae gnari, ea signa ad hoc litteraturae genus referri non posse.

LXXVIII et LXXIX.

CYRENAICA ET ATLANTICA INSCRIPTIONES.

1. Utriusque huius monumenti ab iisdem hominibus suppositi historiam iunctim et continua serie narrare placet, quo facilius certiusque sit iudicium de vera earum natura faciendum. Ante hos igitur duodecim annos primum Melita Parisios missum, inde mox cum aliarum terrarum doctis hominibus communicatum est apographum *monumenti bilinguis Phoenicio-graeci* in parietinis Cyrenarum, ut ferebatur, reperti et Melitae servati apud geometram quendam militarem Gallicum, cui (ut postea innotuit) Grongneto nomen erat, ex eo ordine cui de ingenio nomen inditum, cuius haec fere ratio est (piget enim adulterino, ut mox videbimus, fetu nostram monumentorum collectionem contaminare). Supra sunt Phoeniciae litterae quinque, quas de sententia auctoris יהוה *Jehova* legendas esse, ex litterarum tabula intelleximus, quae Atlanticae inscriptioni addita est. Tum currus alatus draconibus iunctus duabus taedis ardentibus insertis, in modum insignium Eleusiniarum sive Cerealium; sub curru legitur graece:

---

quam, ut fertur, 1693 in vetere sepulcro Melitensi repertam post Ant. Bulifonium (epist. memorab. Vol. IV p. 117) dederunt *Acta eruditorum Lipsiensia* anni 1695 p. 48, *Montfaucon* in *Antiquité expliquée* Vol. II lib. 1 c. 19, et *Castellus* l. c. p. 299, et contra Montefalconium, qui Aegyptiacum id monumentum censebat, Phoeniciae vindicare vult Bellermannus (inscr. phoen. pag. 17), his verbis: „Quum plures imagines et figurae e. gr. pisces gradientes (Dagon), viri cornuti (Moloch et Milsomi sacerdotes), iuvenes alati et in piscem desinentes (Dagonis Phoen. sacerdotes), nec non *literae Phoeniciae* originem Phoeniciam indicent, quas ob causas Montefalconius hoc monumentum Aegypto quam Phoeniciae assignare maluerit, non assequor. *Literae sunt Phoeniciae*, licet tres vel quatuor a forma vulgari recedant.“ Utinam vir Rev. ostendisset, ubi praeterea huiusmodi litterae in monumentis vere Phoeniciis comparerent, et qua auctoritate monstrosae illae figurae ita, ut ab eo factum, explicari possent. Equidem fateor, literarum figuras mihi incognitas esse et Phoenicias nullo modo videri, nisi forte quaecunque legi nequeunt Phoenicia appellare placuerit: totius autem monumenti fidem mihi valde suspectam esse.

Pseudophoeniciis etiam annumerandas esse epigraphas quasdam a Niebuhrio prope Larnecam in Cypro insula repertas, iam supra observavimus p. 123. 124.

Digitized by Google

ΟΛΥΜΠ. ΡΑΔΔΔΓΙ ΕΤΟΣ ΙΙΙ

i. e. *Olympiadis octogesimae sextae anno tertio.*

Sequuntur tres versus Phoenicii, quorum voces ternis punctis in trigonum compositis distinguuntur, facili negotio (simulatque rescivit lector, signum ♉ de sententia auctoris ו esse) hunc in modum legendi:

שלום שירכא תאסדאקא עאין
שלום סדאקא תאתורא הסוד
שלום תורא תאשאלום אסור

et (ut infra monstrabimus) transferendae:

Salve communio, iustitiae fons,
Salve iustitia, legis fundamentum,
Salve lex, salutis vinculum.

Denique interiectis ter novenis punctis per tria iuga dispositis adduntur novem versus *graeci βουστροφηδὸν* scripti, litteris partim pervetustis, partim novae et insolitae formae (𐤕 = *T*), vocabulis ternis punctis distinctis, his verbis: *ἡ πασῶν οὐσιῶν καὶ γυναικῶν κοινότης πηγὴ τῆς θείας ἐστὶ δικαιοσύνης εἰρήνη τε τελεία τοῖς τοῦ τυφλοῦ ὄχλου ἐκλεκτοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν, οὓς Ζαράδης* *) *τε καὶ Πυθαγόρας, τῶν ἱεροφαντῶν ἄριστοι, κοινῇ συμβιωτεῖν συνίεντο* **). Infra sculptus est serpens caudam mordens et tria trigona in medio singulis punctis ornata. Simul idem geometra aliam misit inscriptionem mere graecam argumenti simillimi eodem in loco, ut ferebatur, repertam. In summa tabula crux comparet circumdata litteris *ΟΣΙΡΙΣ* et laureâ corona cincta: haec corona interposita est verbis *Σίμων Κουραν(αῖος)*, sub ea ductibus partim antiquis aut priori similibus, partim multo recentioribus, habentur haec: *Θώθ, Κρόνος, Ζωροάστρης, Πυθαγόρας, Ἐπίκουρος, Μαεδάκης* ***), *Ἰωάννης, Χριστός τε καὶ οἱ ἡμέτεροι Κουραναϊκοὶ καθηγηταὶ συμφώνως ἐντέλλωσιν ἡμῖν, μηδὲν μὲν οἰκειοποιεῖσθαι, τοῖς δὲ νόμοις ἀῤῥήγειν καὶ τὴν παρανομίαν καταπολεμεῖν. τοῦτο γὰρ ἡ τῆς δικαιοσύνης πηγή, τοῦτο τὸ μακαρίως ἐν κοινῇ ζῆν.*

---

*) *Ζαράδης* est recentior forma (v. Theodoret. T. IV. p. 935 ed. Schulz. Agath. p. 58 ed. Lugd. Toll insignia itinerarii Italici p. 134) pro vulgari *Ζοροάστρης*; quarum illa quidem orta est ex neopersica زرادشت *Zaradescht* et زردهشت *Zerdascht*, ut haec ex Zendica *Zeretoschtro*, v. Hyde de rel. vet. Persarum p. 309 sqq.

**) *οὓς — κοινῇ συμβιωτεῖν συνίεντο quos una vivere consentiebant* i. e. quibus communem vitae rationem convenire consona voce docuerunt Zoroaster et Pythagoras. Fortasse etiam scribere volebat auctor: *οὓς συμβιωτέον συνίεντο quibus una vivendum esse intelligebant Z. et P.*

***) Haud scio an scribere voluerit *Μασδάκης*. Huius enim nominis vir (مزدك الزنديق) Iustiniano Graecis, Cobado Persiae imperante prophetam se mentitus Persiae plebi opum uxorumque communionem commendavit, quae quidem doctrina non solum inopibus placuit et nebulonibus e plebe, sed etiam ipsi Cobado regi eam ob causam de solio mox deturbato. Cf. Pococke spec. hist. Arabum ed. White p. 71. Hyde l. c. p. 289. d'Herbelot bibl. orient. art. Mazdak, et ex scriptoribus occidentalibus Agathiam lib. IV p. 58. Theodor. lect. II, p. 567.

Digitized by Google

Priorem illam bilinguem, cuius exemplum in schedis Spohnianis repertum mecum communicaverat Gust. Seyffarthus, ipse primus edidi et explicui, in libello: *De inscriptione Phoenicio-Graeca in Cyrenaica nuper reperta ad Carpocratianorum haeresin pertinente commentatio.* Halae 1825 (vel potius iam 1824 exeunte) in quaternis edito, huse in modum de ea statuens. Quum multas ob causas et ob ipsam Olympici anni notationem ante Timaeum prorsus incognitam (Polyb. T. V p. 31 Schweigh.) pro genuino Olympiadis octogesimae sextae fetu haberi non posset (p. 15), contra autem fraudis heri demum vel nudius tertius commissae propter externa illa testimonia vel parva vel nulla suspicio esset, monumentum illud a Gnosticis Cyrenaicis, Carpocratianorum haeresi addictis, eo consilio confictum censebam, ut turpe suum de bonorum mulierumque communione decretum (Clem. Alex. Stromm. III, p. 512 Sylb.) Zoroastria et Pythagorae, quos tanquam summos hierophantas suspiciebat gnostica aetas, auctoritate tuerentur legemque mysticam tanquam salutis favorisque divini fontem mystis commendarent: quam quidem sententiam quum in universum suadebat prava illius aetatis libros et documenta cudendi consuetudo *), tum maxime quae de *communione bonorum lege divina* constituta et *divinae iustitiae* eximio testimonio **) iactabant illi homines Pythagorae et Zoroastri asseclas se venditantes: a me propositam probabant historiae ecclesiasticae scrutatores quos vidi omnes (v. Matter hist. du Gnosticisme T. II. p. 290. Neander allgem. Geschichte der christl. Kirche T. I. Vol. II. p. 773. Gieseler Lehrb. der Kirchengeschichte T. I. p. 58 ed. 3): probabat etiam Hamakerus in libro paullo post meum edito: *Lettre à Mr. Raoul-Rochette sur une inscription en caractères phéniciens et grecs, récemment découverte à Cyrene.* Leyde. 1825. 4, in duobus tantum a me dissentiens. Linguam enim inscriptionis orientalis, quam ego facticiam et ex vocibus hebraeis aramaeisque consarcinatam existimaveram, Hamakerus vere Phoeniciam et linguam Cyrenaeorum hominum patriam fuisse putabat: dein huic explicandae recens Melitensium idioma subinde adhibendum duxit, quod mihi nefas videbatur ***), quum Melitensium idioma ex vulgari Arabum Africanorum dialecto ortum esse constaret, unde factum, ut nonnulla inscriptionis verba magis ex sententia auctoris legeret, quam ego feceram. De fide tituli tunc dubitabat nemo: nemo certe dubitationes palam professus est, quanquam Koppius et Boeckhius fraudem suspicati esse videntur †): et nescio an omnium suffragia tulisset adulterinus hic fetus, nisi falsarii prospero fraudis eventu audaciores facti ad nova commenta mox animum appulissent.

*) Vide quae laudavi diss. cit. p. 6. 7, prae ceteris autem, quae de episcopi Cyrenaici fraude litteraria narrat Io. Moschus, prati spiritualis cap. 195.

**) Ipse Epiphanes librum composuerat *περὶ δικαιοσύνης*, in qua haec de *iustitia divina* et *lege* doctrina exponitur, v. Clem. Alex. l. c.

***) Vide Hamakeriani operis censuram Ephem. litt. Hal. 1826 no. 110. Mirum profecto, quod Hamakero, qui *ta* Genitivi notam apud Melitenses in titulo nostro agnoverat, nihilominus eum vetere Phoenicum sermone inscriptum putabat. Ceterum profecto non erat, cur vir doctus primae editionis palmam a me sibi ereptam tam graviter ferret, quum utrique nostrum impositum esset.

†) Vide Corp. inscr. T. I. praef. p. XXX, et praef. ad ind. lect. Berol. aestiv. 1832 p. 4.

Digitized by Google

2. Anno igitur 1828 Grongneti ingeniossimi sive amicus sive patronus, Marchio *Agricola Fortia d'Urban* Avenionensis, Societati Asiaticae Parisinae plura inscriptionis Phoeniciae, quae Melitae effossa esset, exempla tradidit lithographa a *Grongneto* super ipso lapide perfecte, ut ferebatur, servato delineata, mox etiam in Germaniam missa, deque ea commentationem recitavit, quae edita est in *Annales de la littérature et des arts* T. XXX fasc. 379. 384. Huius lapidis haec est ratio. Supra scalptus est tridens et utrinque oculus cum delphino aquam eiiciente et aliis ornamentis minus insignibus: inter haec et circum septem stellae collocatae sunt et singulis stellis appositae septem litterae Phoeniciae secundum litterarum tabulam adiectam a sinistra ad dextram ita legendae: *IEHOΩYA*. Paullo inferius ad sinistram est aries vel capricornus, ad dextram cancer, in utroque latere ancora et sub hac delphinus. Reliqua inscriptio, per XVIII series verticales *στοιχηδὸν* disposita simulque *βουστροφηδόν*, initio ab ima dextra facto, haec continet:



Digitized by Google

Haec litteris Phoeniciis scripta sunt eiusdem figurae, quam habent Cyrenaici tituli litterae. Ut in illo, ita in hoc, figura 2 ponitur pro 𐤉, 8 pro 𐤅, sed *He* scribitur 4, *quod ex vetere Barthelemyi alphabeto depromtum est, in quo huic figurae ista potestas perperam tributa est* (vide pag. 15. 16). Praeterea *Zain* litteram, quae in vulgaribus litterarum Phoeniciarum tabulis deest, 7 pinxit auctor, ad exemplum alphabeti Samaritani: *Phe* 4 ad exemplum Aethiopum, vulgaribus autem Phoenicum litteris has novas „Atlanticas s. antediluvianas" addit: 𐤀 „*Eliph*", quae exprimat E, et 𐤐 „*Pe*" = P, quae omnia, *ne quis in litteris definiendis fallatur*, in litterarum tabula unâ cum inscriptione edita declarantur, additis etiam novarum litterarum nominibus, nimirum his: 2 *Olup* 𐤉, 8 *Ulap* = 𐤅, et aliis quibusdam non minus inauditis, quas tamen in ipso titulo frustra quaesivimus: 𐤇 „*Eesa*" = Eta; 𐤏 „*Ooka*" = Ω, fortasse in titulis mox apud Melitenses reperiendis deprehensuri eramus. Nos in exemplo superius transscripto *Eliph* scripsimus 𐤀, *Olup* 𐤉, *Ulap* 𐤅, *Phe* 𐤐, *Pe* 𐤐 vel 𐤁.

Hoc igitur monumentum mense Maio anni 1826 *Josephum Galeam*, sacerdotem Melitensem, docemur *Medinae*, Melitae urbe olim primaria, in propriae domus area inter fodiendum invenisse et *Ge. Grongneto* dono dedisse *), mox etiam cum ill. Marchione communicasse, qui primus eius praestantiam et insignem in historia antiqua illustranda usum perspexerit. Hic enim ex ea interpretatione monumenti, quam confecerat *Cannolus*, Melitensis, linguae Chaldaicae Professor, mox intellexit, hoc monumentum ad Atlantidem insulam diluvio Ogygico submersam pertinere, cuius fastigia (id quod ipse Marchio in compluribus doctis operibus serio monstraverat **)) in Melites et Gauli insulis supersint ***): invenit etiam, quod neglexerat scilicet monumenti possessor et delineator, artificiosissimus Grongnetus,

*) Testes sunt litterae lithographae Galeae ad Grognetum, ex quibus haec adscribimus: „*Vi do nuova, che nello demolire una stanza posta nel fondo del Cortile di casa mia, nello scavo delle pietre del fondamento è stata trovata una grossa pietra coperta di caratteri antichi, che io credo essere Feniei; e siccome voi vi dilettate dello studio di questa lingua, io ve ne faccio un dono, affinchè poi spiegandola, mi direte il significato, che quei caratteri racchiudono.*"

**) De *Historia Atlantidis* et *diluvii Ogygici* vide libros eius: *Antiquités et monumens du departement de Vaucluse T. II*, et *Mémoires pour servir à l'histoire ancienne du globe terrestre*, Paris 1805—1809. 10 Tomi. 12.

***) En notam, quam ill. Marchio monumento a se edito adscripsit: *Cette précieuse découverte détermine enfin au juste la véritable position de l'ancienne Athlantide qui s'étendait depuis le Golphe de la grande Syrie jusqu'entre le Cap Bon d'Afrique, et le Cap Maritimo de Sicile, étant les Isles de Malte et de Goze les anciens sommets du fameux Mont Athlas, qui s'élevait presque au milieu de l'Athlantide submergée l'an avant l'Ere Chrétienne 2296. Epoque du Déluge d'Ogygès.*

Digitized by Google

ei inscriptam esse hanc notam: *T. Sempron. Cos. hoc. magni. Athlantis.* *) *et. soubmersae. Athlantidis. reliquiom. vedit. eidemque. servari. coeravit. an. ur. DXXXVI. Olymp. CXL. an. III.*, unde appareat, iam Tiberium Sempronium Consulem anno urbis DXXXVI, quo Melitam ceperat (Liv. XXI, 51), illud monumentum vidisse et novo titulo ornatum terrae gremio denuo tradidisse.

Quanam autem lingua illam inscriptionem consignatam esse censetis? Num forte Phoenicia s. Hebraea paullulum pro arbitrio immutata, ut linguae antediluvianae aliquam speciem mentiretur? Minime: hac enim vix satis periti erant boni viri Melitenses, qui, ut eruditis universae Europae hominibus deluderent, *domestico* suo *Melitensium idiomate*, cuius cum Phoenicia lingua magnam esse congruentiam acceperant **); Phoeniciis litteris utcunque scripto uti satis habebant: Vellae istius

---

*) Lepidum est, quod Sempronius Consul in *Athlantidis* nomine per *th* scribendo eandem rationem sequitur, quae a veterum scriptis aliena in solis ill. Marchionis operibus notisque deprehenditur. Eundem in inscriptione sua annos ex urbis conditae et ex Olympica epocha inter se comparata numerare, eaque in comparatione sequi opus Gallicum *l'art de verifier les dates*, contra veterum consuetudinem, iam observavit Boeckhius l. c. p. 6.

**) *Linguae Melitensis*, quam vere Arabicam esse et, quanquam latinis litteris scribitur, a vulgari Arabum, maxime Africanorum, lingua prope abesse inter omnes constat (v. *Ktŷb yl Klŷm Mâlti 'mfysser byllatin u byttaljan* sive liber dictionum Melitensium h. e. Michaelis Antonii Vassalli Lexicon Melitense-latino-italum cui post auctarium accedunt appendix etymologica et comparativa. Romae 1796. 4. Eiusd. Mylsen Phoenico-Punicam, Romae 1791. 8, Grammatica della lingua Maltese, seconda edizione. Malta 1827, et: Motti, aforismi e proverbj maltesi, raccolti, interpretati, e di note explicative e filologiche corredati. Malte 1828, cf. de Sacy in Journal des Savans 1829, p. 195 sqq. *Boisgelin grammatica Maltese*, quae penes me *manu scripta* exstat), origines ad Poenos Punicamque linguam referendas esse, adeoque ipsam Punicam linguam in Melitensi vel totam vel maximam partem servatam esse, vetus quaedam opinio est, in qua ipsi Melitensium scriptores magnopere sibi placebant (v. *Agius de Soldanis* della lingua Punica presentemente usata da Maltesi. Roma 1750. 8 et Vassallius, in praef. ad primam libri Gramm. editionem), nuper revocata a Bellermanno (Phoeniciae linguae vestigiorum in Melitensi spec. I. Berol. 1809), a nobis olim uberius refutata in libello: Versuch über die maltesische Sprache .... als Beytrag zur arab. Dialectologie. Leipzig 1810, nunc a doctissimis eius patronis diu abiecta. *De Sacy* l. c. p. 196 de prima editione Grammaticae Vassallianae loquens: „*dans l'introduction placée à la tête de cet ouvrage, il s'attachoit à démontrer que le Maltais n'est autre chose que l'ancienne langue des Phéniciens et de leurs colonies, altérée toutefois par un mélange tres nombreux de mots arabes. La même opinion se trouve encore exposée dans le discours préliminaire du dictionnaire publié en* 1796. *Mais aucune trace de ce système ne, paroît dans sa nouvelle grammaire écrite en italien, et nous voyons avec plaisir, qu'il renonce à assigner à un idiome, qui visiblement n'est qu'un dialecte vulgaire de la langue des Arabes d'Afrique, une origine si ancienne. Certes, on ne doit point s'étonner qu'un dialecte de la langue arabe offre beaucoup de points de contact dans sa nomenclature avec le Syriaque, l'Ethiopien literal, le Chaldéen, l'Hébreu même, et par consequent le phénicien. Mais pour peu qu'on prenne la peine de comparer les formes grammaticales du Maltais avec celles de l'Arabe, on sera bientôt convaincu que l'idiome de Malte est une branche immédiate de cette langue qui s'est introduite dans les îles de Malte et du Gozzo avec la domination musulmane; et si l'on pouvoit encore en douter, l'alphabet même de la langue maltaise, tel que Mr. Vassalli s'est vu contraint à le former pour indiquer et conserver les étymologies, déposeroit en faveur de cette vérité.*"

Digitized by Google

Melitensis exemplum secuti, qui ante decem fere lustra ope patriae linguae suppositis Livianis scriptis et codice Normannico famam suam contaminavit *). Quibus a me dictis ut fidem faciam, et Melitensia ideoque Arabica esse ostendam, quae pro Phoeniciis antediluvianis nobis venditantur, nunc uberius ea exponere placet, quae iam ante hos septem annos, quum primum fetus iste prodiisset, in litteris ad Boeckhium datis significavimus **). Id vero negotii ita profligabimus, ut Atlanticae inscriptionis verba rite distincta et arabice transscripta, dein ad Melitensium pronunciationem revocata et interpretatione latina notisque illustrata exhibeamus, quae tum idiomatis naturam tum fabularum originem monstrabunt. En verba, quae Phoeniciam speciem mentita sunt, primum arabice transscripta:

1 אנא אטלת אבלד זערק אמקר שהד עאלין לאהאר
انا اطلعت البلد حتى غرق المقر شهد عالين لالهار

2 אטלאס וקפן פואסתהא דא אאכבר לאמלך
اطلاس وقفن فى واسطها ذا الاكبر لاملك

3 אטלאס אללד הו בנאני פסבע דורת אשמס
اطلاس الذى هو بنانى فى سبع دورات الشمس

4 לחכמתה ופתני דורת אשמס פימר מנתע מאנאסאו
لحكمته وفى ثنى دورات المشمس فى امر من تع .....

5 למלך לארד מנתע לאלגופחאס מנתע
الملك لارض من تع لالجوفتاس من تع

6 אננהר אלכבר מן אהדא אלאלאנא נארא
النهر الكبير من هذا الى علانا نرا

7 דורת מדאולין מנתע לאללהאת אסמין
دورات مداولين من تع لالاهات السمين

8 נארא אלכברא וחסנא בלדרס מנתע אלאאא
نرا الكبرا وحسنا بالدرس من تع .....

„*Pour lui donner un alphabet convenable, le plus simple eût été assurément de lui restituer ses caractères primitifs, je veux dire les caractères arabes cet.*“

*) Historiam huius fraudis litterariae a *Josepho Hagero* patefactae accuratius pertextam vide in Eichhorn. Bibl. d. bibl. Litt. T. IX p. 143 sqq. et A. Th. Hartmann, vit. Tychsen. append. („Merkwürdige Beylagen“) p. 77 sqq.

**) Vide quae inde excerpsit Boeckhius in disputatione indici Lectionum aestiv. univers. litt. Berolinensis anni 1832 praemissa p. 7, quo in libello universa haec de Cyrenaica et Atlantica inscriptionibus caussa semel confecta et fraudulentis hominibus persona detracta est.

Digitized by Google

9 כללאא נארא אדדאר אדדהב מנתע אללאב אלכביר
كلها نرا الدار الذهب من تع الاب الكبير

10 נפתל ואלעשי לעזיז ליחאיאתהא נארא
.... العزيز لاخاياتها نرا

11 אתלאת עמדאת מנתע חרקול פרק אלבחר מנתע
الثلاث عمدات من تع ..... فى دق البحر من تع

12 למלך עדרולאדן אלבארדין אלחסנין
الملك ..... البارديين الحسنيين

13 פין תוקע אשמס ומנתע אתפפח אדדהב
فين توقع الشمس ومن تع التفافح الذهب

14 ולאאא קרנא נארא אלאאאס כללהא פין יעממרו
..... قرنا نرا ..... كلها فين يعمروا

15 לאללהאת אלבחר נארא אספון כללהא אללדי יסלך
الالهات البحر نرا اسفون كلها الذى يسلك

16 פחדאן אלבחר אלגאוני ואלברראני ולארד
فى خدان البحر الجوانى والبرانى ولارض

17 מנתע אלמלך אשבע ואסמי מיארתארת קבל
من تع الملك السابع واسمه ..... قبل

18 ינתממו אדורת אלכבר מנתע אשמס
ينتمموا الدورات الكبر من تع الشمس

Quae antequam ad vulgarem Melitensium pronunciationem revocamus, quam solam plerumque expressit inscriptionis auctor, nonnulla de linguae Melitensis orthographia praemittenda sunt. Quum enim ista lingua nonnisi plebeia sit et vulgi sermone trita, in scribendo perraro adhibita, certae orthographiae leges constitutae non sunt, variique de ea lingua scriptores, ut *Agius de Soldanis*, *Boisgelin*, *Vassalli*, et N. T. Melitensis editores in variis huius linguae sonis latine scribendis varias rationes ingressi sunt. Ac Vassallius quidem, illorum scriptorum facile princeps, novas quasdam figuras invenit, quibus peculiares Melitensium Arabumque sonos ع, غ, ح, خ, ج, ق, ش exprimeret. Quae quum in officinis nostris non adsint, neque satis cognitae fuerint lectoribus nostris, semel monemus, nos ح et خ *ch*, ج *g*, ك *k*, ق *q*, ش *sch*, ع et غ *gh* scripsisse, in reliquis Vassalli auctoritatem secutos esse. Interpretatio latina contextum Melitensem ad verbum exprimit:

Digitized by Google

Yna atlath ylbeld . sagherek ylmakarr schehed: ghalin li
Ego ascendi regionem, donec submersio continentis aderat: ascendimus ad
har Atlas wakafn fosthhae: da ylakbar 'lamlach Atlas
montem Atlantis: substitimus in medio eius: ibi maximus regum Atlantidis,
elledi hu benani f'seba davryth esschems l'chekmatuh
ubi erat domicilium meum in septem orbibus solis ex iussu eius,
uf'tne devryth asschems f'imr mynta Maneseus l'malch l'ard
et in duobus orbibus solis ex iussu τοῦ Mnesëi regis terrae
mynta l'elgyptes mynta ennahar el-kabir. Myn hada ylalana nara
..... Aegypti (?) ..... fluvii magni. Inde sursum spectavimus
devryth m'davvalin mynta l'yllahât yssamin: nara ylcobra vyl-
orbes splendidissimos ..... dearum coeli: vidimus maxima et pul-
chosna byddars mynta yl-Aëa collehae: nara yddâr yddeheb mynta
cherrima in contemplatione Eoae totius: vidimus domum auream ....
yllab ylkabir Neptul v'Eleusi l'axix li chajathha: nara yttelyt
patris magni Neptuni et Eleusidis honorati fratribus suis: vidimus tres
ymdât mynta Herkul f'daqq ylbahr mynta l'malech Adroladon
columnas ..... Herculis in littore maris ..... regis Adroladon,
yl-byredin yl-hasanin fejn tvaqqa ysschems umynta yt-tfyfah yddeheb
frigidas pulchras, ubi descendit sol, et pomorum aureorum
ul-Aëa karna: nara el-Aëa collha fejn j'ammeru l'yllahat ylbahar:
et Eoum cornu: vidimus Eoam totam, ubi habitant deae maris:
nara Espōn collha elledi jyslok f'chaddân yl-bahr yl-gewwyni
vidimus Hispaniam totam quae patet in limitibus maris interioris
vylbarrani vylard mynta yl-malech yssabe v'esmu Miaratarf
et exterioris, et terram .... regis septimi, cuius nomen Miaratarf,
qabel jyntamemu ed-devryth yl-kabir mynta ysschems.
antequam absoluti sunt orbes magni .... solis.

Profecta igitur erat, si Marchioni sociisque fides, antediluviana nostra inscriptio ab homine, qui in ipso diluvii Ogygici exordio ex inferioribus Atlantidis regionibus sensim submersis in altiores ascenderit, ibi apud regem, procul dubio Ogygen, commoratas fuerit, et ex summo eius cacumine partim remotas terrae regiones, partim coeli sidera oculis collustraverit. Quod quid sibi velit, lectores mox intelligent ex his, quae post Platonem in Critia in Eumali Cyrenaei libro ab iisdem Melitensibus, si Dis placet, invento (§. 3) de Atlantide diluvio Ogygico submersa memoriae prodita sunt, a nobis propterea in notis subinde laudanda. Prae ceteris autem inscriptionis

Digitized by Google

verba explicaturi nostramque eius interpretationem vindicaturi sumus. Quo quidem in negotio facile quidem largimur, nos fortasse in hoc illove verbo explicando correctum iri ab antediluviano illo homine, qui (nisi fraudis iam poenas dedit) etiamnum apud Melitenses superstes erit: correctum iri etiam ab his, qui in ill. Marchionis scriptis doctisque de mundo antediluviano fabulis magis quam nos versati sunt: id vero non nobis vitio vertent eruditi homines, sed rustico et facticio tituli idiomati, nosque officio nostro satisfecisse nobis videbimur, ubi monstraverimus, neque Phoeniciam, neque Hebraeam fuisse antediluvianam illam linguam, sed hodiernorum rusticorum Melitensium paucis iisque tritissimis vocabulis Hebraeis temperatam.

Lin. 1. אנא אטלת arabice scribendum erat انا اطلعت, sed auctor etymi minus peritus omisit ע, quippe in lingua Melitensi in hoc verbo pronunciando omissum (Vass. Lex. p. 78. Gramm. p. 167). His verbis autem inscriptionis auctor alludere volebat ad significationem nominis *Atlas*, de quo Eumalus Cyrenaeus, eiusdem fabricae scriptor: „le nom d'Atlas veut dire montée. Ce dernier vient de ce que l'ancien Atlas, fils de Neptune et premier roi de l'Atlantide, montoit souvent sur cette montagne pour observer les astres, science dans la quelle il étoit extrêmement versé.“ — אבלד pro البلد, ut paullo post אמקר pro المَقَرّ, et lin. 2 אאכבר pro الاكبر. Noverat fortasse falsarius ex Barthelémyi libris (quos ei innotuisse supra vidimus), apud Phoenices א articuli notam fuisse: sed sibi non constitit, et plerumque אל scripsit more Melitensium. In verbo זערק – ז est *sa* vel *sa*, *donec*, quod ex arab. حتى contractum videtur (Vass. Lex. p. 583 de Sacy in Journal des Savans 1829 p. 201): ע־ק غَرَق *ghyrak*, *gherek* (Vass. 321. 325) submersio, de cuius vocabuli in „lingua Atlantica“ usu testimonium habemus Eumali Cyrenaei (p. 8): „*Argo* ou *Arga*, qui en langue des Atlantes signifie *inondation* et *submersion*“, אמקר = مَقَرّ pr. *locus quietis*, *terra continens* i. e. habitatio hominum (q. d. מְנוּחָה יַבֶּשֶׁת יַבָּל Gen. 8), שהד شهد *schehed* (Vass. 632) adfuit. — עאלין عالين Conj. III ab علا venit in superiorem regionem: לאהאר non arabici l. melitensis idiomatis est (in quo mons esset جبل), sed *hebraei*, et plene scriptum, ut in Cyrenaica סראקא pro צַרְקָה. Ad ipsam fabulam vid. Plat. Critiam p. 113 de Atlantide insula: *πρὸς θαλάττης μὲν, κατὰ δὲ μέσον πάσης πεδίον ἦν, ὃ δὴ πάντων πεδίων κάλλιστον ἀρετῇ τε ἱκανὸν γενέσθαι λέγεται. πρὸς τῷ πεδίῳ δ' αὖ κατὰ μέσον σταδίους ὡς πεντήκοντα ἀφεστὸς ἦν ὄρος βραχὺ πάντῃ.*

Lin. 2. סראסתהיא arab. وسطها, melit. *fostha*, v. de hac particula Melitensi Vass. 204. de Sacy l. c. דא melit. *da* ibi, p. 140. „*Maximus regum Atlantidis*“ est Ogyges, novem regum Atlantidis summus, qui teste Eumalo Atlantidi tempore diluvii imperabat.

Lin. 3. אללד الّذى, pro quo Melitenses vulgo contractius *elly*, adeo *ly* pronunciant. בנאני esse videtur a بَنّ constitit in aliquo loco i. q. اقام, nisi forte بنان est pro بنانة hortus amoenus vel a فنان commoratio, mora. In סמבע – ם est melit. *f'* = في *in*. דורת a دَوْر, melit. *daura* orbis Vass. 151. *Orbis solis* videntur *dies* esse.

Digitized by Google

Lin. 4. 5. סימר contr. ex امر في, more Melitensium, ut فين *fejn* pro اين في. מנתע est *mynta* genitivi nota apud Melitenses usitata, in hac inscriptione perfrequens, ex *myn* من et *ta* s. *tah*, *tih* = تع (ortum ex بتاع) maxime ante pronomina, v. c. *myntana* ex nostris, nostras, *myntahac* „dal tuo“, *myntahi* dal mio. Vass. p. 71. Nonnunquam additur *l*, ut infra Vers. 7. 11. 12. Vass. 389. In Cyrenaica similis est genitivi nota תא. *Mneseus* Neptuni filius, in Atlantica fabula memoratur Plat. Crit. 114. אלגוסתאם videtur *Aegyptus* esse.

Lin. 6. 7. אלפלאנא = الى علانا super nos. מדאול melit. *m'davval* splendens, Vass. 466. *Coelum* non arabico vel melitensi sermone expressit noster سما *sema*, sed hebraeo vel chaldaeo שמים, שמין. *Splendidissimae* autem *dearum coeli* haud dubie sunt *Pleiades*, septem stellae in ipso hoc monumento depictae (v. supra), quas *Atlantis* filias fuisse constat (*Eoae* Atlantides Virg. Ge. 1, 221).

Lin. 8 incipit ab *oculi* imagine, quater postea repetito, quod primo obtutu distinctionis signum esse putaveram. Mox vidi, isto signo quasi hieroglyphico *videndi* verbum designari, idque scriptum esse pro נארא *vidimus*. אלאאא (monstrum vocabuli!) non potest non esse *Eoa* regio.

Lin. 9. 10. *Neptunus* magnus pater appellatur, utpote familiae regiae auctor, Atlas I enim Neptuni filius erat, Neptunus Atlantidis insulae dominus, v. Plat. Critiam p. 113. 114. De templo eius aureo vide ibid. p. 116. אללאב duobus *l* scriptum est Melitensium more, qui اليوم scribunt *ellûm* (p. 366), ita الاب *ellab*. Neptuni nomen נמתל scripsit noster pro נמתן, ut hebraeum videretur et *πολυπλόκον* significationem haberet. אלעשי *Eleusidem* reddidi, quoniam huius Eleusidis, *El-hoassis* (אלעזיז) dicti mentio est in Pseudo-Eumali libro.

Lin. 11—13. סדק est دق *f'dakk, in illisione, pulsatione* (maris) Vass. 144. *bahar* mare ibid. 15. בארדין *byredin* frigidae (Vass. 48) i. e. altae, aëriae (luftig). „Promontorium quoddam in Gaulo dicitur Bardân i. e. frigidum.“ Vass. p. 24. פין *fejn*, فين *ubi* in lingua vulgari Arabum frequens. אתסטח *yttefyfah* poma Vass. p. 132. De *tribus* Herculis columnis loquitur Eumalus p. 8. *Adroladon* rex mihi ignotus, cuius historiam fortasse libri mox inveniendi illustrabunt.

Lin. 14. קרנא אאא Num hoc est „Coum *cornu*?“ אלאאאם fortasse est „*Oësa* i. e. Ogygia“ Eumali Cyrenaei: „*Deae marinae*“ Ogygiam habitantes videntur Calypso esse cum nymphis sororibus.

Lin. 15. 16. אסטון non potest non *Hispania* esse. סחראן خدّان في in utroque limite (pro خدّين), cf. melit. *chadd* Vass. p. 270. גאוני est *gevvyni* interior Vass. 215, בראני *barrani* exterior ibid. p. 26. ארד noster scripsit pro *ard* Melitensium ex arab. ارض.

Lin. 17. ינתממו est Melitensium species انتفعل, huic idiomati peculiaris (de Sacy l. c. p. 200) pro ינתתממו. In reliquis nihil difficultatis est, nisi quod de rege

Digitized by Google

septimo מיאראתארף nobis non constat. Num hic forte est *Diaprepes*, Neptuni filius, in fabula Atlantica memoratus Plat. Crit. p. 114?

3. De monumenti Atlantici natura et indole quanquam plura dicere taedet *), tamen, ut Melitensium nostrorum artes plenius perspiciantur et iudicentur, de novo quodam eius societatis invento dicendum est. Nam Grongnetus noster anno 1821 Melitae sibi amicitiam conciliavit *Domeni de Rienzi* Valliclusani: ille Rienzius cum Aristone Samio, noto ut fertur homine, per Graeciam et Africam iter fecerat: his contigerat ut quum aliis rebus antiquis magni pretii potirentur tum eo ipso anno in Creta insula invenirent codicem papyraceum sane quam vetustum, quo continebatur opus inscriptum sic: „*Τοῦ Εὐμάλου Κυραινικοῦ Ἱστορία Λιβυκοὶ βίβλοι ΔΔΙΙΙ*“ **) (cf. de Eumalo Plat. Crit. p. 114 B). Sextus liber *de submersione Atlantidis* agebat. Quam quum nuper *Fortia* tractasset in opere quod supra memoravi, Grongnetus autem hoc a Fortia acceptum Melitam secum attulisset et legisset, operae pretium ei visum est, Eumalum cognoscere. Igitur Pezzali Pargiotae, veteris Graecitatis gnaro, mandavit, ut sextum librum in Italicum sermonem verteret. Mox Aristo diem supremum obiit, codicis heres Rienzius, quum Naupliam proficisceretur, a praedonibus spoliatur, postea in Indiam proficiscitur: codex igitur perditus esse iudicandus est. Nobis autem superest Italica translatio, quam Gallice reddidit *Fortia*, redditam Societati Asiaticae Parisiensi praelegit d. 4. Febr. 1828 (v. Annales de la Littérature et des Arts, T. XXX no. 384), unde nonnulla in superioribus iam enotavimus, alia quaedam nunc excerpere placet, ex quibus argumentum et indoles novi inventi cumulatius perspiciatur. Quinque igitur libris prioribus Eumalus de Libya eiusque rege *Atlante (II)* disseruerat: quod quidem argumentum persequitur libro sexto, ad Atlantidis insulae historiam et submersionem excurrens. Hanc enim reges olim habuerunt decem [v. Plat. Crit. p. 114], unius ex his filius erat Atlas minor, homo valde doctus et doctorum familiaris. Is ex amicis legit societatem philosophorum, qui Atlantici vocati sunt. „Ils vivoient *en communauté*, et leur principale maxime étoit celle de ne rien *posséder en propre*, *pas même les femmes* ..... ils ajoutoient que le mariage, instituant une propriété réciproque étoit contraire à leur maxime fondamentale, *de ne rien posséder en propre*, *et de vivre en communauté générale*, principe duquel ils faisoient dériver *toute leur imperturbable felicité* [v. inscr. Cyren.]. Après un grand nombre d'années vint Aristippe, qui prit pour base principale d'exclure toute propriété des biens cet.“ Atlas autem secundus discipulus fuit Nini, post Babyloniae regis, Ninus Ogygem patruum habuit, ultimum Atlantidis regem: quo regnante quum submergeretur Atlantis,

*) Unum addere iuvat, ill. Marchionem, ut accepimus, nuper virum quendam doctum in Germania per litteras certiorem fecisse, eximium hoc tantae antiquitatis monumentum (quod quum effoderetur, „egregie conservatum“ erat), postquam per tot secula in terrae gremio latitaverit, nunc (*post Boeckhii*, *ut videtur*, *de eo disputationem*) aëris tactu paene in eo esse, ut dissolvatur atque dilabatur: *his igitur*, *qui oculis forte usurpare velint*, *festinandum esse*, *ne sero veniant!*

**) „Bonus vir volebat: *Εὐμάλου Κυρηναίου ἱστορίας Λιβυκῆς* cet. vel potius *Κυραναϊκοῦ*“ Boeckh p. 7, quem in universa hac de Eumalo narratione sequor.

Digitized by Google

ipse multo labore evasit cum quattuor filiis, Cresso, Cadmo cum *Eleuside* filio, Pelasgo, Jano, qui Cretam, Thebas, Eleusidem, Arcadiam cet. condunt, ibique mysteria instituunt. Primus autem Atlantidis rex fuit Atlas I, *Neptuni filius* [v. supra], astronomiae peritissimus, qui in monte cognomini stellas solebat observare: a quo ad Ogygem III, ultimum regem, effluxerunt anni novies mille et novem, quos decem regum imperium explevit. Hi praeter Atlantem sunt *Gadirus* I, *Ogyges* I, *Hooram*, *Debber*, „i. e. eques a *debb* (in lingua Melitensi) equus", *Ohannes*, qui magna mysteria communionis bonorum instituit, piscis formam vestitu imitatus, quoties celebraret mysteria, *Ogyges* II, *Gadirus* II, *Lahem* i. e. caro (scil. lingua Melitensi), qui abolito connubio communionem mulierum publicam fecit, ultimo loco *Ogyges* III. Praeter eos, qui cum Ogyge diluvium effugerunt, pauci Atlantici cum quattuor regulis pervenerunt in oram Libycam, quae *Tres columnae Herculis* vocatur, ubi Atlas II ab illis dux creatus est. "

Festivas istas nugas ex Platonis de Atlantide fabula haustas et adhibitis similibus Berosi, Philonis Byblii al. commentis consarcinatas esse eo consilio, ut ill. Marchionis de diluvio Ogygico et de bonorum mulierumque communione, aeternae felicitatis fonte, doctrinae novo quodam antiquitatis testimonio confirmarentur et illustrarentur, quis est, quin nobis etiam non monentibus pervideat? Neque profecto nos his ineptiis exponendis tantum spatii otiique insumsissemus, nisi ex illis penderet iudicium de Cyrenaico etiam titulo faciendum, ad quem iam paucis redeundum est, ut opinio de eius auctoritate semel exstinguatur, neque in posterum suppositicio fetu deludantur et Palaeographi et Theologi. Ac *primum* quidem omnium istorum monumentorum idem est *fons*. Cyrenaicam enim bilinguem idem misit Grongnetus geometra, qui Atlanticum lapidem et Eumali librum invenit. *Dein* litterae Phoeniciae utriusque monumenti eaedem sunt: et Cyrenaici quidem tituli lectio, quae prius propter nonnullas figuras antea inauditas ambigua fuit, nunc demum ex hoc alphabeto, quod Atlantico titulo addidit Fortia, expediri potest. Litteram ע, quam ego pro simplicitate mea non poteram non ex legibus palaeographicis aliunde notis Tet esse censere, nunc demum intellexi, auctoris ipsius sententia *OY* vocalem esse, in Phoeniciis inauditam, ita ut quinque litterae in summo lapide יהועא = *Jehova* (non יהוא) pronunciandae sint, lin. 2 voc. 4 הסוד (non הסמד), lin. 3 voc. 4 אסור (non אסטר). Signum etiam 2, cuius potestas *Waw* mihi non cognita erat (v. pag. 24), sero intellexi ex alphabetis quibusdam Phoeniciis petitum esse, qui hanc ei potestatem tribuerunt. *Tum* etiam sermo Cyrenaici tituli vocabulis Melitensibus permixtus est, quod si ponere potuissem, in eo interpretando profecto non ita, ut feci, haesissem. Ut enim Atlantica inscriptio Melitensi idiomate scripta est vocabulis Hebraeis temperato, ita Cyrenaica Hebraeis Chaldaeisque constat vocibus, quibus voces formaeque Melitenses admixtae sunt. Nam quas notiones hebraice exprimere non poterat fraudator, his Melitenses voces adhibebat. Ita *communionem* dixit שירכא i. e. melit. *schyrka* (arab. شركة) Vassall. p. 695, et genitivi notam fecit תא ex melit. *ta* (تَ), unde תאסדאקא עאין ei est: *iustitiae fons*, תאתורא הסוד *legis fundamentum*, תאשאלום אסור *pacis vinculum*, quae quam barbara sint et ab antiquorum usu aliena, non est

Digitized by Google

quod doceamus. Similiter autem in Eumali libro nomina propria ad originem Phoeniciam i. e. Melitensem revocantur, cuius rei exempla supra dedimus. *Porro* imaginum etiam cifrarumque eadem in his omnibus est ratio. Eleusiniis symbolis ornatus est Cyrenaicus lapis: neque id mirum, condidisse nempe Eleusinia Ogygis III regis Atlantici nepotem, Cyrenaicae sectae auctorem fuisse Atlantem II, Ogygisque mysteria Phoenicia et Eleusinia eadem esse atque Atlantica, docet Eumalus. „Tum in Cyrenaica inscriptione bilingui supra est Olympicus annus notatus, prorsus ut in Atlantico Tib. Sempronii titulo; notarum numeralium in Cyrenaico adscitum idem genus est quod in libris Eumali numerandis (*ΔΔIIII* et *ΓI*), quum tamen his notis librarii post Christianam certe epocham non usi sint nisi in computandis versibus, quot quisque contineret liber (Oecon. civ. Athen. II, p. 161)" *). *Denique* quid sibi velit inscriptionis argumentum, nunc demum Eumali libris Cyrenaicis illustratur. Quae enim in hoc titulo bilingui commendantur atque a veteribus hierophantis repetuntur *de communione bonorum mulierumque* et de *instituto communiter vivendi*, *purae felicitatis fonte*, praecepta, ea ipsa, ut vidimus, celebrantur et ad Atlantem mystagogum referuntur in Eumali libris, videturque ista doctrina Simonistarum fere ingenium redolens tum ill. Marchioni tum Melitensibus nostris in deliciis fuisse.

Quis potissimum horum ludorum auctor putandus sit, num Grongnetus linguae Melitensis haud dubie peritus, Fortianorum operum lectione (ut scimus) imbutus, in auxilium forte vocato Cannolo „linguae Chaldaicae Professore"; an (quae Boeckhii est sententia, p. 9) ipse ill. Marchio, vir multiplici antiquitatis doctrina instructus, multorumque librorum de chronologia et astronomia veterum auctor; an, quod maxime probabile est, ambo cum aliis (nam etiam *Galea* a conscientiae suspicione minime immunis est) in eius fraudis societatem coiverint, nunc in medio relinqui poterit. Quum enim iam Boeckhii libello ita terrefacta videantur spectra Melitensia, ut in pulverem collapsura sint: vix et ne vix quidem metuendum est, ne nova e Melitensis terrae gremio emergant.

LXXX.

ATTICA FOURMONTII.

Misit ab Osanno Parisiis acceptam Hohlenbergius. Fourmontii, ut videtur, manu ei adscriptum erat: „haec inscriptio *Ἐνεαπύργου* in Zophoro sanctuarii ecclesiae reperta est." Litterae capitibus superne apertis aramaeo-aegyptiacis fere similes sunt, sed litterarum inter se ligatarum ratio, ornamenta litteris appicta, extremae vocum litterae inversae: haec omnia veteribus Phoenicibus ita inaudita sunt, atque ludicrum fere et nugatorium nostrae aetatis hominis ingenium sapiunt, ut nihil dubitem, idem de hac quoque inscriptione iudicandum esse, quod de multis Fourmontianis evicit Boeckhius (Corp. inscr. T. I. p. 61 sqq.). Ipsa etiam verba hunc fere in modum legenda: מכמש בר שם מבער מעם בלעם, unde bonam sententiam vix elicias (num forte עם בלעם est *populus Bileami?*), suspicionem firmant, neque diutius ei immorari operae pretium.

*) Boeckh. l. c. p. 10.

Digitized by Google

SCRIPTURAE LINGUAEQUE PHOENICIAE

MONUMENTA QUOTQUOT SUPERSUNT

EDITA ET INEDITA

AD AUTOGRAPHORUM OPTIMORUMQUE EXEMPLORUM FIDEM EDIDIT

ADDITISQUE

DE SCRIPTURA ET LINGUA PHOENICUM COMMENTARIIS

ILLUSTRAVIT

Friedrich Heinrich Wilhelm
GUIL. GESENIUS.

PARS SECUNDA

DUOS POSTERIORES DE NUMIS ET DE LINGUA PHOENICUM LIBROS CONTINENS.

Christum Hebraei dicunt Messiam, quod verbum linguae Punicae consonum est, sicut alia permulta et paene omnia.

Augustin. *Opp. T. IX col.* 198.

LIPSIAE
SUMPTIBUS TYPISQUE FR. CHR. GUIL. VOGELII.
MDCCCXXXVII.

Digitized by Google

UNIVERSITY
ARIZONA

Digitized by Google

LIBER TERTIUS

DE NUMIS PHOENICIIS.

CAPUT PRIMUM.

NUMI PHOENICES PROPRIAE.

Phoenices propriae numi, licet in ipsa huius linguae et litteraturae patria cusi, tamen neque antiquissimis neque praestantissimis huius generis numismatis annumerandi sunt. Tantum enim abest, ut vel unicus veterum liberarumque Phoeniciae civitatum numus nobis supersit, ut omnis eius generis pecunia superstes ad Seleucidarum et Romanorum tempora eamque aetatem, quae inter Antiochum IV et Antoninos interest, pertineat. Plerique etiam aenei, non optimae fabricae et male conservati esse solent (cf. §. 56), ita ut tum antiquitate tum artis praestantia et pulchritudine numis Ciliciis Siculisque longe inferiores sint. Quorum origo certa est, hi ad Tyrum, Sidonem, Ptolemaidem, Laodiceam et Marathum pertinent: Antiocheni, Aradenses, Berytii valde incerti sunt (vide no. VI): quosque Arcae Caesareae olim tribui cum Koppio, hi Ciliciae non Phoeniciae numis haud dubie accensendi sunt (no. VIII). Ceterum longe plerique bilingues sunt Phoeniciis et Graecis litteris inscripti: Phoeniciis in usum civium indigenarum, maxime plebis, apud quam patriae linguae et scripturae usus nondum in desuetudinem abierat: Graecis in usum commercii cum universo orbe Romano.

I. *TYRUS.*

Antiquissimi, qui supersunt, numi Tyrii Phoeniciis litteris inscripti imperantibus regibus Seleucidis Antiocho IV, Demetrio I, Demetrio II, Antiocho VII cusi sunt intra annos computationis Seleucidarum (qui anni in his numis litteris graecis indicari solent) 144—179 i. e. 169—134 a. Chr. n. v. Froehlich Annales Syriae tab. 7 sqq. Eckhel doctr. num. III, p. 379. Mionnet T. V p. 41. 45. His accedunt numi Tyriorum autonomi, quorum plerique annos inscriptos habent ab auctumno anni V. C. 628 i. e. 126 a. Chr., quo *αὐτονομίαν* adepti sunt Tyrii (v. Jos. Arch. XV, 4 §. 1. Strabo XVI, 2 §. 23) computandos (v. Norisii annus et epocha Syro-Macedonum p. 323.

Digitized by Google

Eckhel III, 382), et his testibus ab anno 132 a. Chr. n. ad annum 173 p. Chr. n. signati sunt: antiquiores argentei, reliqui aenei. Exstant praeterea tetradrachmi Tyriorum ab anno 122 a. Chr. n. ad annum 56 p. Chr. n. cusi et solitariis litteris Phoeniciis inscripti, quos mittimus, quum illae litterae neque insolitas litterarum figuras offerant, neque, quid significent, nobis constet.

Numorum regiorum typus hic est:
Caput Regis diadematum, interdum etiam radiatum ad dextram.)(*Triremis*, supra et infra: *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ* (vel *ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ*) *ΤΥΡΙΩΝ.* Annorum numerus litteris graecis scriptus. Tres litterae Phoeniciae לצר, in Antiochi IV numis plenius לצר אם צדנם.

Autonomorum hic:
Caput Herculis laureatum imberbe ad dextram vel *Caput muliebre velatum turritum* (urbem repraesentans), subinde additur *palmae ramus.*)(*Palmae arbor* vel *triremis* vel *clava intra coronam quernam* vel *figura muliebris navi insistens.* *ΤΥΡΟΥ ΙΕΡΑC ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ*, postea (a quo anno dubitatur) *ΤΥΡΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ* vel *ΤΥΡΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΙΕΡΑΣ.* In area annorum numerus et litterae Phoeniciae לצר. Vide Swinton in Philos. Transactions LIV tab. 11. Pellerin Recueil II tab. 83. Hunter p. 343. 344. Mionnet T. V. p. 409 sqq. Lindberg de inscript. Melit. p. 31. 32.

Inscriptio Phoenicia nobis consideranda duplex est:

1. לצר (לְצֹר) *Tyri*, cum Lamed auctoris, ut in לצדנם *Sidoniorum* in num. Sid., ללאדכא *Laodiceae* in num. Laod., לעם מחנת *populi Panormitani* in num. Panorm. al. Figurae litterarum vario modo sculptae sunt, ita quidem, ut in antiquioribus numis accuratiores sint, multo negligentiores et quasi degeneres in recentioribus Romanorum aetate cusis, quam rem bene in conspectu posuit Koppius (Bild. und Schr. II, p. 212), cuius tamen figurae iusto grossiores sunt. Nos dedimus litt. A. numum regium Demetrii I anni ΞΡ i. e. 160 computationis Seleucidarum, litt. B. C duos autonomos sine anno, secundum Swintonis exempla in Philos. Transactions LIV, tab. 11 (b) p. 99. Quae sequuntur epigraphae a Mionneto (tab. 23. 24) petitae sunt. Duae priores ex numis regiis, litt. D ex numo Demetrii I annorum 154. 157, Demetrii II annorum 168. 169, Alexandri VII annorum 178. 179; litt. E ex numo Demetrii I ann. 158. 159. Reliquae sunt ex autonomis, litt. F anni *αὐτονομίας* 24 i. e. 102 a. Chr.; litt. G anni 121 i. e. 5 ante Chr.; litt. H (quae vix recte delineata est) anni 123 i. e. 3 ante Chr.; litt. I anni 148 i. e. 22 p. Chr.; litt. K annorum 179. 188. 200. 203; litt. L annorum 207. 209. 212. 219. 234. 238. 244. 256. 279. 281; litt. M anni 238.

2. לצר אם צדנם i. e. לְצֹר אֵם צִדֹנִם *Tyri, matris Sidoniorum*, in numo Antiochi IV, v. Pellerin Recueil II, tab. 83. Mémoires de l'acad. XXX p. 427, unde nostra delineatio litt. N petita est. [Mionnetus tab. 23 no. 3 inverso ordine pinxit אם צדנם לצר]. De litterarum figura, quae legitima est et vulgaris, nihil animad-

Digitized by Google

vertendum. Quaeritur autem, in quam sententiam accipienda sit formula: *mater Sidoniorum*, quam ego (ad Jes. 23, 2) reddideram: *metropolis Sidoniorum* i. e. Phoenicum, Hamak. contra (Miscell. p. 147) explicare malebat: *mater Sidoniorum* (proprie dictorum): quam quaestionem paullo altius repetere placet, ita quidem, ut eos, qui singulos veterum locos adire cupiant, remittamus ad doctam eius rei expositionem apud Ezech. Spanhemium de usu et praestantia numismatum I, p. 568 sqq. et Eckhel D. N. IV p. 275 sqq. Apud Phoenicios igitur אם (אֵם) *mater*, quod respondet graeco *μητρόπολις* in numis frequentatissimo, haud dubie propriam et nativam significationem habebat urbis antiquae, quae coloniis deductis aliarum civitatum conditrix atque *mater* facta esset, et a filiabus s. coloniis parentis instar coleretur. Et Tyrus et Sidon hoc significatu multarum urbium matres vocari poterant *) similisque usus apud Hebraeos erat, ubi urbs *Abel* honorifice et pie appellatur עִיר וְאֵם בְּיִשְׂרָאֵל *urbs et mater in Israële* 2 Sam. 20, 19 i. e. urbs antiqua et venerabilis, si non coloniarum in alias terras emissarum, tamen multorum vicorum circumiacentium (בָּנוֹת hi vocantur, v. Thes. v. בַּת no. 8. p. 220) parens et altrix: sicut in ecclesia christiana primitiva ecclesiae maiores et urbanae minorum in vicinia ecclesiarum conditrices, *matres*, hae autem *filiae* appellabantur. Postea vero singularum urbium vanitate et cum aliis de antiquitate contentione (*ἑλληνικὰ ἁμαρτήματα* vocat Dio Chrysost. orat. 48) factum est, ut etiam aliae urbes, quae neque antiquitate neque coloniis deductis inclaruissent, magnificum metropolis titulum affectarent et partim propria auctoritate sibi tribuerent, partim a regibus et Senatu Romano, ad haec vota non difficilibus, obtinerent. Fatua haec titulorum ambitio Asiae potissimum minoris et Syriae urbibus propria, quae haud scio an ad stilum magnificum Orientis pertineat a Seleucidis maiorem in modum affectatum, in titulis quidem numorum graecis vix ante primum a. Chr. seculum conspicua et postea demum in immensum aucta est: sed in Phoeniciis numorum epigraphis iam Antiochi IV aetate plura eius exempla habemus. Non solum enim Tyrus in huius regis numis se *matrem Sidoniorum* vocat, Sidon *matrem aliarum quarundam urbium* (v. no. II), quod non absurdum erat et ex parte verum, sed in numo eiusdem regis adeo Laodicea (vide no. IV) *mater in Canaan* appellatur, licet neque antiqua esset haec urbs, neque coloniis deductis celebrata: unde apparet, אם pariter atque graecum *μητρόπολις*, iam Antiochi IV tempore in epitheton honorificum abiisse.

Iam si quaeris, qua sententia accipienda sit locutio *mater Sidoniorum* in Tyri numis, fidenter respondeo, *matris* nomen in prima illa et nativa potestate inrerpretandum esse, *Sidonios* autem non Sidonis tantum incolas, sed ampliore significatu (quem vindicavi ad Jes. l. c. et, ut postea vidi, iam ante me vindicaverant *des Vignoles*, in *chronologie de l'histoire sainte* p. 25. Masius ad Jos. 19, 29) Phoenicios omnes

*) In Tyri coloniis facile praestantissima erat Carthago: praeterea, si Sanchuniathoni fides esset, a Tyriis etiam condita est Tartessus, plures Siciliae (Diod. 5, 35), Asiae minoris et Cretae urbes (Sanch. II, 9—15. V, 6—8. VIII, 10): a Sidoniis Cittium Cypri, multaeque Asiae minoris, Rhodi, Cretae, Melitae, Siciliae, Ersiphoniae (Liguriae) oppida ibid. IV, 6—8. VIII, 10.

Digitized by Google

significare. Non enim de eo inter se contendebant Tyrus et Sidon, utra alterius mater, sed utra totius Phoenices esset. Insignis est locus Strabonis XVI, p. 756 Casaub., ubi de his urbibus: *ἀμφότεραι*, inquit, *δ' οὖν ἔνδοξοι καὶ λαμπραὶ καὶ πάλαι καὶ νῦν· ὁποτέραν δ' ἄν τις εἴποι μητρόπολιν Φοινίκων, ἔρις ἐν ἀμφοτέραις ἐστίν*, cui adde inscriptionem nobilissimam apud Grut. p. 1105, ubi Tyrus appellatur: *πόλις Τυρίων ἡ ἱερὰ καὶ ἄσυλος καὶ αὐτόνομος μητρόπολις Φοινεικης καὶ ἄλλων πολέων καὶ ναυαρχίς κ. τ. λ.* Ex hoc maxime monumento apparet, quid tituli Tyrus sibi arrogaverit, et *μητρόπολις Φοινίκης*, *μητρόπολις Φοινίκων* ad amussim respondent verbis numi nostri אם צרנם. Etiam alibi vocabulo *μητρόπολις* postponitur genitivus non unius urbis, sed totius regionis v. c. in numis Sardium, quae urbs se *Asiae, Lydiae, Helladis primam metropolim*, et Smyrnaeorum, qui se *primos* Asiae appellant (v. Eckhel III, p. 115. II, p. 544). Ipsam utriusque urbis caussam (in qua pro Sidone provocare possis ad Gen. 10, 15. Jos. 11, 8. 19 [צִידוֹן רַבָּה], ad *Σιδονίους* Homeri Il. 6, 290. 23, 743. Od. 4, 84. 17, 424 cf. Strabo l. c. et *Sidoniorum* nomen universae genti tributum; pro Tyro ad Jos. 1, 29. 2 Sam. 24, 7, quae tamen minus certa sunt) perorare aut diiudicare, neque nostrum est, neque huius loci *): quantopere autem etiam posterioris aetatis Tyrii in hac *matris urbis* dignitate sibi placuerint, testes sunt numi imperatorii huius urbis, in qua Didonis, Cadmi et Thebarum nominibus superbiunt (v. Eckhel III, p. 388 sqq.). Aliud eius contentionis documentum mox nobis discutiendum erit (no. II, 5).

II. *SIDON.*

Numorum Sidoniorum, qui omnes quod sciam aenei sunt neque optime conservati, alii sunt regii, Antiocho IV, Demetrio I, Alexandro Bala, Demetrio II, Antiocho VII et VIII, Demetrio III imperantibus cusi; alii autonomi, atque horum quidem plerique cum epocha ab anno V. C. 643 (a. Chr. 111) computanda, pauciores sine ea, v. Haym thes. brit. tab. 10. Pellerin Recueil III, p. 119. IV suppl. p. 106. Eckhel III, p. 364 sqq. Mionnet V, p. 40. 46. 56. 64. 77. 88. 94. 367 sqq. Recueil des planches tab. 23, maxime Lindberg de inscr. Melit. p. 52—55, qui singulas classes diligenter descripsit.

Ac regiorum quidem *typus* hic est:
Caput Regis diadematum et radiatum ad dextram **).)(*Triremis;* al. *gubernaculum navis;* al. *Europa tauro insidens;* al. *figura muliebris in prora navis sedens.* Supra: *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ* (*ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ*, *ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ*) *ΣΙΔΩΝΙΩΝ*, in numis

*) [In Sanchuniathonis isto libro narratur principatum Phoenices a Bimalo (1820 ante Chr. n.) usque ad Gadylcarum (1055 a. Chr.) penes Sidonios fuisse, a quibus praeter multas colonias exteras etiam in ipsa Phoenice Aradus condita sit (Sanch. IV, 2 cf. Strabo XVI, 2 §. 13).: Gadylcaro mortuo eum transiisse ad Tyrios horumque regem Barthopham, Hirami (qui Salomonis aequalis erat) patrem].

**) Lindbergius ubique: „*ad sinistram*", ubi nos: „*ad dextram*" quod ne alicui fraudi sit, videatur pag. 20 not.

Digitized by Google

Demetr. II et Antiochi VIII etiam *ΣΙΔΩΝΟΣ ΘΕΑΣ* vel *ΣΙΔΩ. ΘΕΑΣ*. Infra litterae לצדנם (raro epigraphe quattuor versuum).

Autonomorum:

Caput muliebre velatum turritum ad d.; duo capita iugata, alterum virile barbatum, alterum muliebre velatum et turritum; caput Iovis laureatum; caput Bacchi hedera coronatum.)(Eaedem imagines, quae in regiis, praeterea etiam *Bacchus stans vestimento longo indutus; Victoria in prora navis stans; Cista mystica et thyrsus.* Supra: *ΣΙΔΩΝΙΩΝ* al. *ΣΙΔΩΝΟΣ ΘΕΑΣ* al. *ΣΙΔΩΝΟΣ*, infra לצדנם et לצדן (raro epigraphe 4 versuum). *Epigraphae* igitur *Phoeniciae* hae sunt:

1. לצדנם (לְצִדֹנִם) *Sidoniorum*, vario modo scriptum, in regiis et antiquioribus accuratius, negligentius in autonomis et recentioribus, id quod monstrant variae eius epigraphes exempla A—L ex opere Mionnetiano petita, quanquam de nonnullis litteris (v. c. *Nun* in litt. D, *Zade* in litt. K) dubitaverim: facillimus enim error in his numis male conservatis et valde detritis. Ac litt. A est in numis Demetrii I, Demetrii II, Alexandri Balae et autonomis annorum 60. 73, litt. B in numis Antiochi IV. VII. VIII, reliquae in autonomis, et litt. quidem C. D in numo anni 9 et alio sine anno (Mionn. V p. 369. 370), litt. E anni 21. 23, litt. F. anni 22, litt. G anni 21. 23, litt. I annorum 33. 34. 60, litt. K. L annorum 49. 52. De epigraphe litt. F et L notandum est, litteras eius propter spatium exiguum et depressius in infimo numo figuram habere inclinatiorem et fere iacentem, qua de re supra dictum est pag. 18. Numus integer litt. M est ex autonomis, v. *Mém. de l'acad.* XXX p. 427.

2. לצדן (לְצִדֹן) *Sidonis*, in autonomis recentissimis, ut litt. P in numo anni 155, litt. Q anni 166, litt. R anni 169. Integrum numum litt. S dedimus ex *Mém. de l'acad.* l. c. — His accedunt

3. 4. duae, quae admodum dubiae auctoritatis sunt: לצדנן (לְצִדֹנִן) litt. N in numo Demetrii III apud Haymium in thes. Brit. tab. X, 2, sed vix accurate depicto, et לצדני litt. O in autonomo anni 40 apud Mionnetum pl. 24 no. 42, cuius figura non minus dubia est, v. quae disputavimus pag. 31. 32. Non parvi autem moliminis est

5. *inscriptio quattuor versuum*, quae reperitur partim in regiis Antiochi IV (Mionnet V p. 41, ubi male hic numus ad Tyrum refertur), Demetrii I (Mionnet V, p. 47), Demetrii III (Froehlich Ann. Syr. VIII, no. 30), partim in autonomis (v. Pellerin Rec. III, tab. 119 no. 25. Suppl. IV p. 106. Additions p. 43. Mionnet V p. 368. 369. no. 204. 204-bis. Lindberg l. c. pag. 55). In utrisque inscriptio aversam numi partem implet, inter secundum et tertium versum est *gubernaculum:* adversa pars in regiis habet *Caput regis diadematum* ad dextram, *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ (ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ)*, in autonomis: *caput muliebre turritum et velatum* (in nonnullis) pone *cornu copiae.*

Epigraphen delinearunt Relandus Palaest. p. 1014. Vaillant reg. Syriae p. 109. Haym thes. brit. tab. 10, no. 8. Froehlich tab. 7, no. 15. 8, 30. Pellerin l. c.

Digitized by Google

Bayer ad Sallust. p. 339 (palaeogr. Studien tab. 1 no. 1. 2) et Vindic. num. Sam. p. 56. Mionnet tab. 23, 7. Lindberg l. c. tab. 6. Bayeri et Pellerinii exempla repetiit Koppius, Bild. und Schriften II, 199, Mionnetianum Bellermannus progr. 4 in ipso titulo. Ingens autem partim de genuina eius scriptura partim de eius interpretatione eruditorum est discordia, quorum errores et devia qui cognoscere cupiat, adeat Bayerum et Koppium ll. cc. Eckhelium D. N. III, p. 405. Bellermannum IV, p. 15. Hamaker. Miscell. p. 149. 150.

Ut primum de genuina eius scriptura quaestionem expediamus, nobis nunc, multis exemplis inter se comparatis, non dubium est, quin *in omnibus* legatur:

לצדנם
אמכמב
אפאכת
צר

In hac scriptura conveniunt tum pleraeque superioris aetatis delineationes (quanquam his non ita multum tribuendum est), tum duo exempla Musei Britannici (quorum scriptura in primo et quarto versu fere evanida, in secundo et tertio perspicua est), tria Lindbergiana ex Museo Hauniensi, quae dedi litt. V. W. X, Mionnetianum apud nos litt. U (quod in omnibus variae aetatis numis eodem modo sculptum reperit M.), et Bayerianum primum litt. T, quod congruit cum Pellerinii exemplo tab. 119 no. 25. In tribus autem litteris aliqua est delineationum discrepantia. Ac lin. 2 litt. 4 in altero Bayeri exemplo (nostr. litt. T bis) ex Museo Ludovici de Bourbon כ scriptum esse dicitur pro מ, ita ut duo כ se excipiant (quam lectionem arripuit O. G. Tychsenius legens ככב stella): de quo magnopere dubito, quum horum numorum scriptura parva et admodum detrita oculos etiam exercitatos facile fallere possit. Ibid. litt. 5 apud Froehlichium tab. 7, 15 et Koppium (II, p. 199) cauda recta picta est, ut Resch videatur: unde Koppius tres illas litteras ככר *circulus* legebat: sed in eo, quod Koppius expressit, Pellerinii exemplo cauda inflexa est et Froehlichii delineationi nihil tribuendum videtur. Denique lin. 3 litt. 4 apud Vaillantium et Froehlichium ita picta est, ut *Chet* videri possit, sed etiam huic scripturae, licet facillimae interpretationis non multum fidei habendum videtur.

De scriptura igitur plane consentimus cum Hamakero l. c. et semel abiicienda existimamus omnia interpretandi pericula ab alia quadam sive scriptura (lin. 2 ככב, ככר) sive lectione (Bellermannus enim quamvis optimo exemplo usus legit lin. 2 אמבמר lin. 3 ארקבת, prorsus invitis palaeographiae legibus) profecta: in interpretatione vero ei assentiri non possumus, quae talis est:

לצדנם	*Sidoniorum*
אַמַּכִּם בְּ	*profligantium*
אַפֶּאכֶת	*mendacissimam*
צֹר	*Tyrum*

Digitized by Google

אמאכת pro דמכים, quod sane legitimum est (cum א art.); אמאכת pro arab. أفاكة = דפכה *admodum mendax*. Fingit enim, Sidonios hac epigraphe respondisse vicinorum Tyriorum metropolis honores sibi arrogantium (v. no. I, p. 263) insolentiae. Duplex vero caussa est, cur in hanc sententiam concedere non possim. Altera grammatica est et philologica: siquidem adiectivum, quod respondeat arabico أفاكة phoenicie scribendum est אפכת vel potius דמכת (sine א, ad formam קטלת), praeterea substantivo postponendum, neque facile aliam quam *perversae* significationem habere potest: altera ad argumentum spectat, quia huiuscemodi convicia moneta publica in alias urbes iactata a consuetudine veterum et ab innato quodam honestatis et elegantiae sensu prorsus aliena et propterea sine ullo exemplo sunt. Vani et magniloqui esse solent eiusmodi tituli, nunquam in alios invidiosi et contumeliosi. Hanc ipsam ob causam etiam alii interpretationi nihil tribuerim, in quam nuper nonnemo incidit, Hamakerianae similem, sed intra hebraeae linguae fines se continentem:

לצדנם אמכם באף אכת צר

Sidoniorum, qui percusserunt in ira sororem Tyrum

i. q. qui penitus percusserunt et fugarunt Tyrum sororem (non matrem): quod referri poterat ad victorias in bellis civilibus Seleucidarum a Sidoniis de Tyriis, diversae forte factionis studiosis, reportatas. Ut dicam quod sentio, tres huius epigraphes litterae כמב lin. 2 videntur *scribendi compendia* (lib. 1 §. 37) esse, in quibus nomina propria civitatum a Sidoniis conditarum, quae tandem cunque illae sunt, lateant, qua ratione adoptata epigraphe ita legi possit:

לצדנם	*Sidoniorum*
אם כ' מ' ב'	*matris Cittii, Melitae, Beryti*
אף אכת	*, item sororis*
צר	*Tyri.*

Minime enim improbabile est magnificum *matris Sidoniorum* nomen, quo Tyrii eodem tempore in numis uti coeperant (vide no. I), etiam Sidoniorum urbem aemulam incitasse, ut de honorificis titulis sibi in moneta tribuendis cogitaret, adeoque illud *sororis Tyri* epitheton quodammodo oppositum esse arrogantiae Tyri totius Phoenices se matrem appellantis: modo ab invidioso et rustico contentionis genere eos in his monumentis abstinuisse putamus. Sed agite iam nostram opinionem paullo accuratius explicemus et a dubitationibus vindicemus.

Ac *primum* forte offenderit aliquis in eo quod iunximus: *Sidoniorum, matris* etc., nobisque occurrat cum Hamakero l. c., id a syntaxi alienum esse, quae requirat לצדן אם. Cui respondemus, hanc structuram in graecis quoque horum numorum epigraphis usitatissimam et solennem esse, et sexcenties dici: Ἀντιοχέων τῆς μητροπόλεως (v. Froehlich Ann. Syr. p. 101. 111. 115), Σελευκέων τῆς ἱερᾶς καὶ αὐτονόμου (ib. 79. 101. 106), Λαοδικέων τῆς ἱερᾶς καὶ αὐτονόμου (ib. p. 91), Σαγαλασσαίων πρώτης

Digitized by Google

Πιοἰδων (Eckhel IV, 282) et saepe. Neque hoc a rei veritate alienum est, nam *civitas* i. e. *civium* s. incolarum *universitas* (בעלה in numis Hispanicis, v. no. XV. XVI), non domus et moenia urbis, recte *mater* coloniarum vocatur.

Dein tres litteras כמב, quae compendia esse sumsi, alii aliter explicent, et, quae supra posui, nonnisi exempli causa dicta sunto. De *Beryti* enim conditoribus non constat, nec quicquam novo isto Sanchuniathoni tribuo, qui et *Cittium* et *Melitam* ad Sidonem matrem refert (IV, 6—8). Ceterum his, qui hac de re coniecturas proponere vel de propositis iudicare velint, non negligendum est, ipsos veteres de nonnullarum coloniarum origine in diversas sententias abiisse. Nam quas ad Tyrum matrem referunt Thebas Boeoticas Curtius (IV, 4: coloniae eius paene toto orbe diffusae sunt, Carthago in Africa, in Boeotia Thebae, Gades ad Oceanum) et Euripides (Phoeniss. 641), easdem ad Sidoniam originem referunt Plinius Sidonem Thebarum Boeotiarum parentem appellans, Euripides apud Aristophanem (Ran. 1256) et Lucianum (Macrob. §. 23: *Σιδώνιόν ποτ' ἄστυ Κάδμος ἐκλιπών*). Ex his, quae certioris fidei habentur, annotare placet, Aradum a Sidoniis, Tripolim a Tyriis, Sidoniis et Aradiis conditam esse teste Strabone XVI, 2 §. 13. 15.

Tum אכת *sororem* significare, plane certum esset et exploratum, si de lectione אחת apud Vaillantium et Froehlichium certius constaret. At vel sine hoc interpretandi adminiculo id non improbabile: quum plura sint huius permutationis exempla, veluti כמן = חַמָּן Numid. 2. 3. 2, חִחִי et בִּחִי (v. ad Cit. 33). Sententiam aptam esse, nemo facile negabit, quum urbes eiusdem originis et conditionis saepe *ἀδελφαὶ* vocentur, cf. *ΑΔΕΛΦΩΝ ΔΗΜΩΝ* in numis Seleucidis ap. Eckhel III, 267 cf. IV, 275. 339. Spanhem. l. c. I, p. 568. Satis magna autem Sidonis est modestia, parem tantum cum Tyriis dignitatem sibi tribuentium. אף *item*, *neque non*, *adeo*, quod languidius videri possit, a stilo solenniore huius epigraphes non alienum est.

Nostrae interpretationi similem, cui olim assensi, proposuerat Koppius l. c.: לצדנם אם ככר אף אחת צר *Sidoniorum*, *matris circuli s. orbis*, *imo vero sororis Tyri*, cui quid obstet, iam diximus. In similem autem nobiscum sententiam, scribendi compendia in illis litteris latere, inciderat iam Bellermannus, qui tamen litteris, ut diximus, male definitis, non potuit non in singulis definiendis a vero aberrare. Eius enim interpretatio haec erat:

לצדנם	*Sidon*
אמבמר	*mater in Maratho*
ארקבת	*Arado*, *Caphtore*
צר	*Tyro*

in qua praeter litteras male acceptas displicet etiam 1) locutio: *mater in* Maratho rel. Quanquam enim in numo Laodiceno (no. IV) recte dicitur: *mater in Canaane*, quae regio est, dici tamen non potest: *mater in Maratho* pro Marathi. 2) quod קבת *Caphtorem*

Digitized by Google

s. Cretam interpretatur vir venerabilis, quum huius vera scriptura כפתר ex V. T. satis cognita sit. Quod enim Swinton ex numo quodam exsculpserat לבדץ כבדר, plane de nihilo esse, infra videbimus (no. XXIII). Pellerinii, Tychsenii, Bayeri huius epigraphes explicationes taceo, quippe iam ab Eckhelio recte explosas.

6. Singularis est inscriptio in postica nonnullorum Sidoniorum ab utraque parte duorum cornuum copiae, apud Mionnetum tab. XXIV, no. 24—27 (apud nos litt. Y. Z. AA. BB) partim litteras continens punctis distinctas (in quibus una est valde insolita §. 34, 1), partim numerales post שת (i. e. שנת anno), quae valent CXX, XLVI, CXLV, CXLVI. De illis litteris autem earumque significatione nil definio, quanquam singulae notae sunt.

III. *ACCO seu PTOLEMAIS.*

Acco (עכו Iud. 1, 31 et apud Talmudistas v. Lightfooti Opp. T. II. p. 218, Ἄκη Strab. XVI, 2 §. 25. Stephan. Byz. Suid. Harpocr. h. v., arab. عكّا et عكّة Abulf. Syr. p. 82. 83. Gol. ad Alferg. p. 131. Schultens. ind. geogr. h. v.), postea etiam Ptolemais dicta (v. Reland. Palaest. p. 534—42), hodie St. Jean d'Acre, urbs maritima Palaestinae septentrionalis, Iud. 1, 31 (pariter atque Sidon) Asseritarum tribui, sed a Graecis constanter Phoeniciae accensetur. Huius numi exstant phoenicie inscripti tum aurei, tum argentei sub Alexandro Magno cusi, perparvi omnes moduli, quos delineatos dederunt *Barthélemy* in *Journal des Savans* 1760. *Pellerin*, *Rois* Pl. II, 1. 2. 3. *Melanges* I, p. 140. tab. 4, 5. *Suppl.* IV p. 61. *Dutens* diss. II, tab. 2. descripserunt *Mionnet* I, p. 520. tab. 21, no. 1—10. Suppl. III, pl. 2, no. 1—7. Lindberg p. 49. cf. Bellermann l. c. II, 12. III, 38. Kopp II, 204 al.

Aureorum typus hic est:

Caput Palladis galeatum ad dextr.)(*Victoria stans ad sin., dextra coronam, sinistra tridentem tenens.* *ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.* Ad pedes litterae עך, additis annorum numeris (23—33). Vide nos litt. I, de quo infra.

Argenteorum hic:

Caput Herculis iuvenile, imberbe, exuviis leonis tectum ad dextram.)(*ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Iupiter ad sin. sedens, dextra extensa aquilam, sinistra hastam,' infra dextram* litterae עך perparvae cum cifris. Vide litt. A ex Dutens Diss. II, tab. 2. Plura eius exempla in Museo Britannico vidi, litteris ita parvis, ut oculis inermibus vix cerni possent.

Quas nos dedimus epigraphas, eae petitae sunt litt. B. C. D. ex Mionneti tab. 21, litt. E. ex exemplo Musei Britannici, litt. F. G. H. ex Mionneti Suppl. III tab. 2, omnes paullulum in maius auctae.

Duas litteras עך legendas esse et idem esse quod עכו, primus docuit Barthelemyus l. c., neque dubitare debebat Eckhelius III, 408. Utcunque enim diversa est alterius litterae

Digitized by Google

figura, omnes eas formas Caph esse, plane indubitatum est (p. 32. 33): *Vav* autem in עכו omissum est ex lege orthographica (p. 57). Apud Mionnetum quidem tab. 21 no. 5 *Caph* male pictum est (deesse videtur uncus superior) et no. 10 *Ain*, quod *Resch* litterae simile est: sed in tanta litterarum parvitate facilis erat error. In cifris pingendis quid peculiare habeant hi numi, videlicet numerum vicenarium signo rotundo instar ע litterae, denarium signo hemisphaerico expressum, iam supra dictum est (p. 87): quorum signorum *caussa* haud dubie haec est, quod ○ = ע scriptum est pro עשרים *viginti*, ◠ autem numeri vicenarii dimidiam partem exprimit. Itaque in litt. B est numerus 23, in litt. C 33, in litt. D 37 (septima monas est sub *Caph* littera cf. similem rationem apud Mionnet tab. 21, 5), litt. E 24, litt. F 36, G 33, H 30. De annorum autem computatione Lindbergius l. c. observat, in aureis reperiri annos 23—33, in argenteis 6—37. Idem: „In uno Mionnetiano, inquit, 1, p. 521 no. 160 praeterea monogr. AP, quod numum sub imperio Aradensium esse cusum evincit, additur, et duplex aera, scilicet Acensis an. X et Aradensis an. 43, ex quo numo aeram Acensem anno 226 a. Chr. n. incepisse colligo.“ Aradensis enim orditur ab anno 259 (Eckhel D. N. III, p. 394). Sed quomodo in *Alexandri Magni* numo anni possint ab anno 226 a. Chr. computari, vir doctus non docuit. — Praeterea multo maior numerus reperitur in praestantissimo exemplo aureo, cuius recens acquisiti ectypum Parisiis misit ill. Rochettius (vide litt. I), in quo praeter vestigia litterarum עכ paene deleta eo loco, ubi cifrae esse solent, leguntur litterae מא, quae non possunt non *centenarium* numerum designare, ut saepius alibi (p. 87).

IV. *LAODICEA.*

Duae sunt huius nominis urbes, una *Laodicea ad mare* (*πρὸς θάλασσαν*) Strab. XVI p. 517. Cic. ad fam. 12, 14. Jos. de bell. ind. 1, 16, in boreali Syriae parte sita, altera *Laodicea ad Libanum* (*πρὸς Λιβάνῳ*) Strabo l. c. p. 520. Plin. 5, 23, ab oriente Beryti et Heliopolis, quam Ptolemaeus caput facit Laodicenae regionis. Atque huic quidem tribuendi sunt numi paulo cariores Phoeniciis litteris inscripti, quorum hic est typus:

Caput Antiochi (IV) *radiatum et diadematum ad dextram.*)(*ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Neptunus pallio indutus stans* (in alio *prorae navis insistens*), *d. pateram, s. tridentem*, in area *ΑΛ* et monogramma Φ (al. ⅄). A sinistra parte litterae Phoeniciae לאדכא אם בכנען. Æ. 2. Vide Barthélemy in Mém. de l'acad. XXX p. 427 (LIII p. 59 ed. in duod.), unde nostra figura hausta est. Simillimum exemplum in Museo Britannico vidimus. Pellerin Rois tab. 9 no. 9. Mionnet V p. 40. no. 346. 347. tab. 23, 2.

Caput Alexandri (II Sebinae) *diadematum ad d.*, pone monogramma ⊙⊱.)(*ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Neptunus*, ut supra, *sed stans modium in capite gerens.* Eaedem litterae Phoeniciae. Æ. 2. Mionnet V p. 85 no. 753.

Digitized by Google

Litterae Phoeniciae citra omnem dubitationem, ut dudum vidit Barthelemyus l. c., legendae et explicandae sunt

לאדכא אם בכנען *Laodiceae matris in Canaan,*

quicquid repugnat Eckhelius (III, p. 409), in una re probandus, quod Laodiceam ad mare (quam intellexerat B.) intelligi posse negat, quum ea nimis a Phoenicia remota sit, quam ut „mater in Canaan" vocari potuerit. Nam quod ad monogrammata provocat, ex quibus efficiatur, hos numos non alius urbis quam Beryti esse (quam sententiam etiam Mionnetus sequitur), id nihil aliud probat, quam ad Beryti ditionem pertinuisse Laodiceam, quod a veri specie minime alienum est. In ipsis litteris nihil difficultatis est (cf. Kopp II, 204. Lindberg p. 10. 11): si vero quis offendatur littera א quiescibili a Phoenicibus servata, is memor sit, א non poni pro graeco α, sed pro *o*, et לאדכא vocalibus adscriptis efferendum esse לָאוֹדִכָא (pag. 57). Arabes eandem urbem scribunt لاذقيا (v. Schult. ind. geogr. h. v.), in quo nescio an Elif prius Hamzatum fuerit (لَأَذقيا, لأُذقيا). Graecum autem oppidi nomen servatum et Phoeniciis litteris utcunque expressum est iccirco quod antiquo et domestico nomine carebat haec urbs recentioris et graecae, ut videtur, originis: eodem modo atque in *Irenes Byzantiae* nomine factum esse vidimus in inscr. Athen. 3. Quod vero haec urbs, quae neque valde antiqua neque multarum aliarum mater fuisse potest, in huius numi epigraphe „*mater in Canaan*" appellatur i. e. metropolibus Phoenices honoris caussa annumeratur, id arguit, illum huius tituli abusum, de quo supra disputatum est (in numis Tyriis, no. I), iam Antiochi IV temporibus late patuisse.

V. *MARATHUS.*

Marathus (*Μάραθος*), magna et opulenta olim fuerat Phoeniciae urbs e regione Aradi in continente sita (Polyb. 5, 68. Arrian. 2, 13. Curt. 4, 1. Plin. 5, 20). Inter hanc et Aradios quum perpetuae ferme controversiae intercedebant (Polyb. l. c.), tum Ammonio Marathensibus, Alexandro Bala Syriae imperante (anno 162—166 Seleucidarum) Aradii insidiis turpiter structis Marathenis excidium parabant (v. Diod. exc. de legat. 29. T. X p. 76 Bip.) et licet tunc quidem pravum eorum consilium exsequi non possent, tamen paullo post urbe capta et eversa agros Marathenorum sorte diviserunt. Inde Strabo XVI pag. 518: *Μάραθος, πόλις ἀρχαία Φοινίκων κατεσπασμένη· τὴν δὲ χώραν Ἀράδιοι κατεκληρούχησαν.*

Huius urbis non pauci exstant numi epigraphis phoeniciis muniti, omnes autonomi et peculiari aera instructi, quorum typos in VII classes distributos accurate describit Lindbergius p. 19.

Caput iuvenile laureatum ad dextr. — al. *caput Apollinis laureatum ad d.* al. *caput muliebre velatum ad dextram.*)(*Vir togatus stans ad s.*, in aliis *columnae innixus, dextra acrostolium tenens* — it. *mulier stans ad s., dextra acrostolium.* — *Victoria stans ad s., dextra sublata corollam gerens.* Æ. 2. 3. 4. Vide Swinton

Digitized by Google

in Philos. Transactions Vol. L, tab. 31, no. 5. 6. LIV, tab. 11 b, no. 2. 3. Arigoni tab. II, no. 11—13. Pellerin Rec. II, tab. 80. Dutens diss. II, tab. I, 9. 10. II, 5. 6. Mionnet T. V. pag. 362. 363, cf. tab. 23. 24.

Nobis de epigraphe phoenicia, in qua legenda olim gravius peccatum est, agendum est diligentius: quam ob causam plures numos integros dedimus, tum editos (A—G, v. Philos. Transact. L, tab. 31. LIV, tab. 11. Dutens diss. pag. 140), tum ineditos ex Museo Britannico (litt. H. I. K): quas enim Mionnetus dedit epigraphas pl. 23 11—21. pl. 24 no. 22. 23, eas nemo recte legat, quin litterarum in ipsis numis collocationem viderit.

Singulorum igitur numorum *triplex* est inscriptio.

Prima tres litteras continet מרת a tergo figurae humanae positas, quae מָרַת legendae sunt et nomen proprium urbis continent, quam graeci *Μάραθος* dixerunt, ut *Amathus* Cypri pro חֲמָת, *Rubricatus* Africae fluvius pro רו בריכת (vide lib. IV, cap. 3 h. v.). Est autem מָרַת forma Phoeniciis in st. absol. perquam usitata (v. grammat. lib. IV, cap. 4) pro מָרָה (aqua) *amara*, a qua haec urbs nomen suum invenit eadem ratione atque מָרָה fons amarus in deserto Sinaitico Ex. 15, 23. Num. 33, 8, qua de re dubitare non sinunt verba Strabonis (XVI pag. 754 Casaub.) fontes apud Marathum ita describentis: *τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἀναθλιβὲν* (*ὕδωρ*) *τὸ τῆς θαλάττης ἐστί* (i. e. *salsa* est et *amara*)· *περιμείναντες δὲ τὴν τοῦ καθαροῦ καὶ ποτίμου ὕδατος ῥύσιν, ὑπολαμβάνουσιν εἰς ἀγγεῖα παρεσκευασμένα κ. τ. λ.* Non debebat haec negligere Hamakerus, qui etymon illud iam prius a nobis propositum in Miscell. p. 262 improbat iccirco, quod aqua Marathensis Maundrellio et Shavio testibus bona sit et copiosa, non amara, novamque propterea derivationem proponit, quam apud ipsum legat qui velit. Ceterum tres illae litterae in omnibus horum numorum exemplis plane constantes sunt, neque quicquam in iis notandum est, quam litterae *Mem* figura negligentior in exemplo Londinensi litt. I, quae Nun videri possit, sed cf. Cit. 7 (in נחם), Numid. 4, 3 (in כמן).

Secunda epigraphe e regione primae et ante faciem figurae posita annorum notationem continet cifris Phoeniciis scriptam, quibus praemissum est שת pro שנת *anno* (quod in uno exemplo Hauniensi plene scriptum repperit Lindbergius). Cifrae ab Acensibus paullulum diversae sunt, eaeque maxime vulgares: *decem* est —, *viginti* N, *centum* passim litteris מאת exprimitur. In exemplis nostris litt. A habet numerum CVI, litt. B. LXXXVII, litt. C. CVII, litt. D. LXIV, litt. H. I. CIV, in litt. E. K cifrae evanuerunt, in F. G plane desunt. Abs quo anno hi numeri computandi sint, a nemine, quod sciam *), quaesitum est praeter Lindbergium (p. 81),

*) Sine argumento certe Bellermannus (III, 19): „*Man frägt natürlich nach welcher Zeitrechnung? Meines Erachtens kann man hier nur an viererlei Aeren denken, die Seleucidische, oder die Aradische, oder an die Tyrische, oder an die Sidonische. Wenn, wie es wahrscheinlich ist, die Einwohner von Marathus, von welchen man keine besondere Aera kennt, nach der Weise der Tyrier rechneten, so .....*“ Nam *unde* probabile est, Marathenos eadem computandi ratione usos esse atque Tyrios, et *quidni* propria sua epocha usi esse censendi sunt?

Digitized by Google

qui: „Marathenses, inquit, *aeram Seleucidarum* in numis suis adhibuisse inde colligo, quod numos suos anno 166 signare desierint: hoc vero anno aerae Seleucidicae ab Aradensibus insidiis victi sunt eorumque ager inter victores sorte divisus. Cf. Foy-Vaillant Seleucid. imp. p. 249.“ Cui quidem coniecturae quominus adstipulemur, plura sunt quae nos impediant. Namque *primum*, quanquam Vaillantius l. c. Diodori Siculi (vel potius Polybii) narrationem de Aradiorum insidiis recte ad Alexandri Balae tempora retulit (Ammonium enim Marathenis sub Alexandro Bala imperasse, ex Josepho constat, Archaeol. XIII, 4 §. 6), minime tamen ex ista relatione consequitur, quod addit Vaillantius, illo ipso tempore Aradios vi oppressisse Marathenos, contra in haec verba desinit Diodorus: *οἱ δὲ Ἀράδιοι γνόντες διὰ τῶν κατασκόπων μεμηνυμένην τὴν ἰδίαν ἐπιβολήν, ἀπέστησαν, τῆς διὰ τῶν ἐπιστολῶν κακουργίας.* Haud multo post urbem ab Aradiis captam et agros sorte divisos esse, ex Strabone constat (v. supra): quod si eodem tempore illud factum esset, a Diodoro omitti non potuisset. De tempore igitur Marathi excisi nil constat, ut recte observat Mannertus VI, 1 p. 395. *Dein* quod Lindbergius dicit, Marathenos numos cusos esse usque ad annum 166, id nullo argumento dixit. Neque mihi nota sunt horum numorum exempla, qui numerum supra CVIII ascendentem sibi inscriptum habeant, neque Lindbergius huius generis exemplum indicavit. *Denique* faciamus, urbem anno fere 166 dirutam esse, et exstare exempla numorum, qui ipso anno 166 cusi sint, quid inde sequitur, quam posse annos ab aera Seleucidarum computari: sed poterant etiam ab alia quacunque computari aera Seleucidarum anteriore.

Tertia epigraphe, de cuius argumento non constat, duabus tribusve litteris continetur, quae ab utraque parte figurae e regione fere crurum ita positae sint, ut numum consideranti ex adverso sint. Atque haec quidem epigraphe in aliis exemplis alia est, veluti litt. A בנך, litt. B בה, litt. C ב (ubi altera littera evanida), litt. D מם, litt. E אא (יא), litt. F ברך, litt. G בם, litt. H. א, litt. I ברד (?); litt. K שם al. Quid eae significent, difficile est dictu. Namque valorem numi indicare vix possunt, quum tanta harum litterarum diversitas, numi autem omnes aenei et eiusdem fere moduli sint. Possunt vero per compendium magistratuum nomina indicare: quae quidem coniectura eo commendatur, quod numi eiusdem fere aetatis easdem litteras habere solent, cf. litt. A et C.

Hae autem litterae singulari cuidam et inveterato errori ansam praebuerunt, qui tandem ex Palaeographorum animis evellendus est. Etenim Barthelemyus, primus horum numorum interpres, ex eius generis exemplis iudicans, in quibus tertiae epigraphes prima littera (a tergo figurae et iuxta *Tau* vocis מרת posita) *Ain* erat (v. Mionnet pl. 23 no. 13. 17. 21. 22. 23. Dutens II, 2 fig. 5. 6), hoc *Ain* cum litteris מרת copulavit, urbisque nomen legit מרתע (lettre à Olivieri), quam lectionem repetunt praeter Tychsenium *) omnes, ut Pellerinius, Dutensius, Eckhelius, usque ad Koppium (II, p. 216), qui novum errorem addit. Is enim pro *Ain* etiam ◁ inveniens i. e.

*) Bellermannus (III, 18) saltem concedit, esse numos, in quibus urbis nomen מרת scribitur מרתע.

Digitized by Google

Beth, novam inde repetit doctrinam, ע nonnunquam etiam ס pingi, ridetque Tychsenium (ut solet in hunc iniquus esse), qui quartam litteram ad nomen proprium urbis pertinere negans numi valorem indicare coniecerat. Quid autem? Num *Ain* littera etiam figuram eandem habet atque *Mem*, ut litt. D, aut *Aleph*, ut litt. H, aut *Schin*, ut litt. K, aut adeo duarum triumve litterarum, ut litt. F. I? Id ut nemo statuet, neque sane Koppius fecisset, si eius generis exempla ante oculos habuisset: ita agnoverunt etiam abieceruntque errorem Palaeographi ea probantes, quae nos iam diu de vera harum epigrapharum ratione disputavimus (Allg. Litt. Zeit. 1825 no. 62 cf. Hohlenberg in Maanedsskrift for Litteratur T. I. p 259. Hamakeri Miscell. 262). Unus Lindbergius (l. c. pag. 19) non solum repetiit inveteratum errorem, sed adeo acriter defendit in *epistola ad Hohlenbergium* danice scripta (vide ad Melit. 1) p. 16 sqq., ficticii nominis מרתע etymon proponens a רתע עָתַר *pastum ivit:* quod eo magis mirandum est, quum exempla, quae iuxta מרת litteram מ haberent, iam tunc quum haec scriberet Lindbergius in libris satis notis (Dutens p. 140. Mionnet pl. 23 no. 15) edita essent eique ignota esse non possent. Nunc certe inspectis eiusmodi exemplis qualia dedimus litt. D. H. I. K, ipse vir doctissimus illius opinionis, quae impotentiore disputandi genere commendari non poterat, vanitatem abiiciet, facientque id omnes, quibus est de his rebus iudicandi facultas.

De epigraphis Mionnetianis (tab. 23, no. 11—21. tab. 24 no. 22. 23), quas male dispositas esse diximus, haec addere placet. In no. 11 litterae מרת sunt *primae* epigraphes, בת secundae, cifrae inversae. In numo ipso omnes ita positae sunt



Idem valet de cifris no. 12. In no. 13 littera מ imperfectius picta est, ut apud nos in numo Britannico litt. I. In no. 15 habes מ post מרת, ut in nostro litt. D. Integra tertia epigraphe est מת. Litterae מאת *centum* ad secundam epigraphen pertinent. — In no. 16 secunda epigraphe est ||||| שת מאת i. e. *anno CV*, tertia tribus litteris constat ענך. — In no. 17 *secunda* epigraphe est: |||| שת מאת (nam pro *Resch* reponendum est *Aleph*), *tertia* continet litteras עאל; ultimum enim signum est *Aleph*, quod coaluit cum supposito *Lamed*. — In no. 18 tertia epigraphe constat littera ע et signis illis obscuris in extrema linea, in no. 19 litteris בנ.א, no. 20 בן, no. 21 עך, no. 22 עם, no. 23 ..ע. Ceterum etiam horum numorum exempla turpiter detrita esse solent, ut litterarum figura saepe aegre discernatur.

VI.

ARADUS, BERYTUS, CARNE.

1. In *Aradiorum* numis, qui in adversa plerumque *caput muliebre turritum* vel *caput virile barbatum*, in aversa *proram*, *cornu copiae*, *mulierem* (Astartem?) *prorae insistentem* gerunt (vide litt. A. B ex Philos. Transact. l. c.), et vel graeca

Digitized by Google

epigraphe *ΑΡΑΔΙΩΝ*, vel monogrammate AP. agnoscuntur (vide Pellerin III, tab. 119. Swinton in Philos. Transact. L tab. 31. Mionnet V, p. 454 sqq. Lindberg p. 33 sqq.), paucae litterae Phoeniciae sunt, plerumque duae, rarius tres quattuorve (Pellerin tab. 119 no. 2. 22), in aliis exemplis aliae, velut אן, בן, נן, ער, praeterea in ima aversa cifrae Phoeniciae aeram indicantes, quae plerumque centenarium numerum excedunt. In epigraphe ער, quam nonnulla exempla habent, Lindbergius *Aradi* nomen reperisse sibi visus est: quum vero huius insulae nomen in V. T. scribatur אַרְוָד Ezech. 27, 8. 11, eaeque litterae in paucis exemplis inveniantur, in aliis, quorum origo Aradensis multo certior est, aliae compareant, has litteras insulae nomen continere mihi non persuadeo: et videntur eae potius, ut in Marathensibus tertiae epigraphes litterae, per compendium magistratuum nomen indicasse. Ceterum quum admodum incerta sit de his numis disputatio, quibus neque Palaeographia neque lingua Phoenicia magnopere illustrari potest, eos paucis attigisse satis habemus.

2. Neque certiora de *Beryti* numis dixerim. In aliis (v. Pellerin Suppl. IV tab. 3) sunt duae litterae בר, quae urbis nomen (בֵּרוֹת) continere possint: in aliis autem epigraphe ab aliis aliter picta (v. litt. C. a. b. ex Pellerinio l. c. et Mionneto V, 335), de qua, quum ipsum numum non viderim, tacere malo, quam ad temerarias coniecturas delabi.

3. *Carnae*, Phoeniciae oppido, in quo navale erat Aradensium (*τὸ ἐπίνειον τῆς Ἀράδου* Strab. XVI p. 753. Plin. 5, 20. Steph. Byz. v. *Κάρνη*) a Fr. P. Bayero (pag. 10 ed. germ.) tribuitur numus, quem dedimus litt. D ad Bayeri delineationem, litt. E secundum Mionnetum tab. 25, no. 88. Duarum epigrapharum quum tanta sit diversitas, nosque numum ipsum, qui perrarus esse videtur, non viderimus, certam sententiam dicere, temerarium est. Non displicet tamen Lindbergius (pag. 34), qui epigraphen litt. E legit: קרן צר *cornu Tyri*, quod cum Bayeri coniectura conciliari potest. Fortasse enim *Carne* קרן צר s. promontorium Tyri appellata est.

CAPUT SECUNDUM.

NUMI CILICII.

Antiquissimum numorum phoeniciis litteris inscriptorum genus est eorum, qui in variis Ciliciae urbibus sub Persarum imperio cusi sunt, quorum exempla in omnibus Museis non pauca exstant, saepe et edita et descripta (v. *Pellerin Recueil* III, tab. 122. *Dutens* diss. tab. 1. *Philos. Transactions* LVII tab. 12. *Eckhel Catalog. Mus. Vindob.* T. I, tab. 5. num. vett. tab. 16, *D. N.* III, 412 sqq. *Museum Wiczai* I, tab. 26. *Mionnet* III, p. 662 sqq. *recueil des planches* tab. 22. *Am. Peyron diss. de numis Tarsensibus*, in *Mem. della accademia di Torino* T. XXV. *Lindberg* p. 46), ab interpretibus autem admodum neglecta. Fabricae sunt tam elegantis, ut Panormitanis paene et Syracusanis palmam praeripiant, tantaque copia cusi, ut adeo in India exempla eorum inventa sint.

Digitized by Google

Antequam ad singulas earum classes describendas accedimus, nonnulla in universum praemittenda sunt:

Ac *primum* quidem ad Ciliciam pertinere huius generis monetam, quod nonnullis incertum visum est (Hamak. Miscell. pag. 145), recte iam effecerunt Pellerinius et Eckhelius (III, p. 412. 413). Namque non solum pleraque exemplа ex Caramania allata sunt (cf. Sestini lettere III, p. 103 sqq.): sed etiam emblemata eorum in aliis Ciliciae numismatis comparent, de quorum origine quum aliunde tum ex epigraphis graecis constat: cui accedunt nonnullae inscriptiones Phoeniciae, quae non minus certae interpretationis sunt, velut בעל תרז. *Dein* bona pars horum numorum (litt. C. D. G. M. N) figuris ornata est, quae ad mores et religiones Persarum spectant ideoque originem Persicam prae se ferunt, et in aliis etiam Ciliciis graece inscriptis (veluti in Malli moneta, Dutens l. c. no. 6) comparent: alii Daricorum more nonnisi unam partem cusam habent, alteram rudem sine forma. Ex his iam Eckhelius recte confecit, pleraque, nisi omnia, huius monetae genera Alexandri Magni aetatem excedere et imperii Persici tempore cusa esse (cf. ad no. VII): quo posito facile etiam intelligis, quid caussae sit, quod (ut diximus) usque ad Indiam disseminati sunt hi numi. *Tum* litterarum, quae in argenteis admodum distinctae esse solent, passim adeo ornatae (ita quidem, ut litterae pro lineis punctorum consertorum serie constent), in aliis, maxime aureis, eximiae parvitatis et saepe laesae, singularis quaedam indoles est, quae ad scripturae Hebraeae et veteris Aramaeae characterem quodammodo accedit (vide tab. 3. 4), et in eo maxime cernitur, quod litterarum capitatarum (Ain, Beth, Resch) capita superne aperta sunt. *Denique* illud admodum molestum est in his numis, quod, cuius urbis singuli putandi sint, certa ratione in paucis monstrari potest. Aliorum enim epigraphae minus certae lectionis sunt: aliorum lectio quidem satis perspicua est, quae vero urbes nominibus propriis Phoeniciis ערבעל, ארקמלך, בעלמלך indicentur, definiri non potest, quum Graeci scriptores, in historia coloniarum Phoeniciarum in Asia minore illustranda omnino parciores *), vulgaribus urbium nominibus perraro vetera et domestica addere soleant. De unis Tarsensibus certiora dici possunt. Hos igitur et qui his cognati sunt, separatim tractabimus.

VII. *TARSUS.*

Numorum, qui vel ipsius Tarsi sunt vel Tarsensibus certe imaginum epigraphарumque similitudine finitimi, praestantiores fere hi sunt:

A. **) *Iupiter solio insidens ad sin.*, *dextra sceptrum tenens*, in area *spica et uva*. Pone epigraphe בעל תרז. Sub sella et ante litterae solitariae מ et ן. AR. 6½.)(*Leo taurum devorans*, infra *muri urbis munitae*, supra undeviginti litterae

*) Vide quae admixtis suis coniecturis collegit *Bochartus* in Cánaan I, cap. 5—10.

**) Litterae A—T referuntur ad ea numorum exempla, quae ipsi dedimus tab. 36. 37.

Digitized by Google

Phoeniciae, de quibus infra. Ex exemplo Parisino ap. Mionnet. l. c. p. 668 no. 676 quocum per omnia convenit hoc quod ex Incisae Abbatis numophylacio dedit Amad. Peyron l. c. In epigraphes delineatione ap. Mionnetum tab. 22 no. 35 littera tertia et decima minus bene expressa est. — Alii in aversa habent *leonem, qui ad dextram graditur et serpentem calcat.* Epigr. מזרך. Exemplum habeo a Rochettio missum, ex Museo Parisino.

B. *Iupiter solio insidens ad sinistram super dextra aquilam tenens, sin. hastam*, in area *spica et uva.* Pone בעל תרז.)(*Leo taurum devorans*, epigraphe מזרך. In area נת, infra מ. Ex exemplo Parisino. AR. 6½. In aliis, quorum plura in Museo Britannico vidi, in aversa infra leonem sunt litterae סם. In aliis aversa habet *leonem, qui cervum devorat.*

C. *Iupiter solio insidens ad dextram*, in area *uva, spica et vasculum*, sub *sella anterior pars tauri.* Pone בעל תרז.)(*Vir cultu Persico sellae insidens ad dextram, ante eum globus alatus* et *caudatus* (Ferver s. genius tutelaris), inferius *arcus.* Pone litterae תכנמג? Ex exemplo Londinensi, cf. Dutens p. 20.

D. Eadem adversa.)(*Duo viri ex adverso stantes, quorum alter nudus, alter peregrino cultu vestitus est.* In medio eorum *arula* l. *candelabrum* et epigraphe תכנמג? Ex exemplo Parisino, ni fallor, inedito, quod meum in usum delineavit Hohlenbergius (tablette 61).

E. *Caput adversum muliebre diadematum sparsis crinibus.*)(*Caput modice barbatum galeatum ad sinistram.* Ante תכנמג. Ex exemplo Parisino cf. Pellerin pl. 122 no. 7. Dutens pl. 1 no. 5. Bellermann 1, 27.

Ut ab emblematis initium faciamus, *Iovis imago* in plurimorum adversa, ad impensiorem Iovis apud Cilices et maxime Tarsenses cultum pertinet, in quorum numis etiam imperatoriis eadem Iovis imago comparet (Eckhel III p. 71. 72): quanquam eadem figura etiam in moneta Nagidi Ciliciae reperitur (Eckhel p. 61. 413) et augustissimum totius Ciliciae templum Iovi consecratum erat Olbae, cuius summi sacerdotes longe ditissimi et potentissimi ab antiquis inde temporibus Trachiotidis dynastae et domini fuerunt (v. Strabon. XIV p. 989) multosque numos cuserunt, de quibus erudite egerunt Belleyus (Mémoires de l'acad. XXI p. 421) et Eckhelius (III, p. 62 sqq.). — De imaginibus adversae, in qua partim leo est taurum cervumve devorans, partim vir cultu persico indutus, olim ita statuebam, ut exempla cultum Persicum prae se ferentia (ut C. D. E) ad Persicam Ciliciae aetatem, reliqua cum leone taurum cervumve devorante, quod etiam in aliis eius regionis numismatis comparet, ad Alexandri Magni victoriam ad Issum reportatam referrem (v. Ephemer. litt. Hal. 1825 T. 1. p. 520). Nunc tamen non dubito, quin hoc quoque emblema ad Persiam pertineat, arguentibus id eius generis numis in quibus leo taurum devorans cum emblematis Persicis copulatus est (litt. F). Est autem hoc imperii Persici emblema simillimum illis, quae in monumentis et cylindris (i. e. annulis signatoriis) Persepolitanis et Babyloniis comparent, in quibus modo *leo* comparet *unicornem* devorans (Ker Porter Travels T. I pl. 35) i. e. ni fallor Persia vicinorum regnorum unum

Digitized by Google

devincens et perdens, modo *rex Persiae* bestiam alatam et cornutam (vide Dan. 7, 4. 6. 7. 8) gladio confodiens (Ker Porter l. c. tab. 52. 53. 54 cf. num. nostr. litt. N et plures cylindros Musei Britannici, quos sulphuri impressos ante oculos habeo) i. e. populum quendem hostilem fortem quidem et celerem exitio dans: neque dissimile est emblema, quod in moneta Anglicana in India orientali post Tippo-Saibi cladem cusa comparet, in qua *leo* (Angliam repraesentans) sistitur tigridem (Tippo-Saibum) dilacerans, hac epigraphe (ex numismatis Muhammedicis petita) اسد الله الغالب i. e. leo Dei victor.

His praemissis ad *epigraphas* explicandas accedamus. Ac *prima* quidem, quam habes in adversa numorum A. B. C. D. E, citra dubitationem legenda est בעל תרז, ut primus docuit *Swinton* (Philos. Transactions LVII p. 266): et vix memoratu digni Hamakerus (Miscell. 143), qui dubitat, utrum תרז an תרץ legendum sit, et O. G. Tychsenius, qui adeo בעל צבא legere volebat (v. Bayeri Vindic. III, pag. 88). Alteram huius epigraphes vocem תרז *Tarsum* urbem significare, et omnes consentiunt et vix dubitari potest: neque obstat quod Berosus (ap. Euseb. in chron. armen. T. I p. 43. Aucher.) Tarsum olim Tarsim (תרשיש?) appellatam fuisse tradit: horum enim numorum longe maior certiorque, quam illius scriptoris in hac historia fides est. Utrumque autem vocabulum בעל תרז omnes, quod sciam, *dominum* s. deum *Tarsi* explicant (coll. בעל צר inscr. Melit. 1) et *Iovem Tarsensem* intelligunt, cuius imaginem exhibet numus, ut in numo Hadriani apud Vaillantium (Eckhel III, p. 73) legitur *ΔΙΟΣ ΤΑΡΣΕΩΝ* *), et Iovis attributum *Ζεὺς Τέρσιος* i. e. *Τάρσιος* memoratur apud Eustath. ad Dionys. Perieget. 872. Nec displicet haec interpretatio: quanquam etiam alia habet quo se commendet. Potest enim בעל defective scriptum esse pro בעלי (lib. 1 §. 40), et בעל תרז = בעלי תרז *cives Tarsi* significare, ut numis Gaditanis et Tingitanis inscriptum est: מבעל אגדר *a civibus Gadium*, בעלת הגדר *civitas Gadium*, מבעל חנת *a civibus Tingis*, idque magis fere placet, quum nullum exemplum numi exstet, cui numinis tutelaris imago insculpta et insuper eiusdem numen appictum sit, contra *civium* s. *civitatis* mentio in numis frequens sit atque solennis.

De litterarum figuris, quae in omnibus huius epigraphes exemplis eaedem esse solent, unum monendum, in exemplo B Zain scriptum videri ז, cf. simile Zain infra litt. G.

Sequatur longior illa inscriptio aversae, quae diuturna interpretum crux primum ab *Amadeo Peyrone* laudabiliter tractata est in dissertatione, quam supra laudavimus, dein magis invita Minerva a Lindbergio l. c. et Hamakero, Miscell. p. 144, quorum

---

*) Nisi forte Vaillantius ex exemplo male conservato hoc exsculpsit pro *ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΤΑΡΣΕΩΝ*, quae vulgaris est numorum Tarsensium Hadriani epigraphe, v. Mionnet III, 624.

Digitized by Google

neutri Peyronis interpretatio innotuisse videtur. Et hic quidem a victoriae emblemate, ut videtur, profectus illas litteras legit et interpretatur

מזכא זא על עבדזהר וג חלך

Victoria haec super Abedeserum, principem Ciliciae.

Abedeserum Ciliciae montanae principem fuisse suspicatur a Tarsensibus ingenti proelio victum, cuius memoriae caussa haec moneta cusa sit. Sunt in hac lectione nonnulla, quae bene observata et rata videntur, veluti על עבדזהר et ultima vox חלך *Cilicia* (cf. Bocharti Canaan 1, 5, qui Ciliciae nomen primum parti asperae, Tracheioti, inditum censet a חלקים lapillis): sed primi secundique vocabuli interpretationem Palaeographis, quinti et Palaeographis et Philologis vix persuadebit. Namque primum vocabulum, quod in multis aliis exemplis (litt. B) solum comparet, salvis legendi regulis non aliter legi potest quam מזרך, ut recte viderunt Dutensius, Bellermannus, Lindbergius: quamquam horum interpretatio (B. *diadema tuum*, coll. נֵזֶר diadema; L. *diadema*, a rad. syr. quadril. ܐܙܕܟܠ *superbus fuit* (!)) admodum laborat. Tertiam enim litteram *Resch* esse, non *Caph*, ex littera ר in עבדזהר manifestum est, quartam et sextam vero *Caph* esse, non *Aleph*, ex ultima totius epigraphes figura apparet, quae semper in his monumentis Caph est. Neque sane cel. Peyron in lectionem מזכא זא *victoria haec* (quae vocabula Syra nobis offert) incidisset, si vulgaris lectionis commodam interpretationem invenisset, nisique victoriae emblemate deceptus esset. Quantopere vero fallantur, qui ubique emblematis et epigraphes quasi concordiam anquirunt, tum aliunde constat tum ex numo mox memorando apparet, qui eidem emblemati additam habet inscriptionem: *oculus regis magnus.* — Quintam vocem quo iure Peyron legerit וג, difficile est dictu, et quantumvis magno eruditionis apparatu (collatis *Βάγος*, *Bagoas* [quae tamen Persica sunt] et arab. وجيه spectabilis, princeps, a وجه facies) vix et ne vix quidem probavit, tale vocabulum, quod Phoenicium esse posse nego, *principem* notare. Sed haec praetermitto, quum altera littera Vav esse nullo modo possit. Quibus ita disputatis et in marginem expulsis Lindbergii et Hamakeri commentis *), quid nobis videatur, paucis exponemus. Nos enim epigraphen legendam censemus:

מזרך זך על עבדזהר כג׳ חלך

stella tua lucida super Abd-Sohar, pontificem magnum Ciliciae.

---

*) Lindbergius legit: מזרך זך על עבדלן בצר חלך *diadema purum super Abdlano in angustiis vitae* eumque numum in memoriam defuncti cuiusdam Abdlani a Tarsensibus, qui vitae miseriam illo erepto doluerint, cusum censet. Peius etiam Hamakerus l. c. p. 144: (vel מְדַדֵּךְ) מִזְדֵּךְ זך על עבדן נרת וחלך „*piaculum sincerum a servis solvendum est felicitas et beatitudo perennis*, vel simpliciter *longa vita* i. e. hoc demum mortalibus beatam vitae diuturnae conditionem affert, quod numen debitis sacrificiis expiatoriis sibi conciliare student.“ Quae eo solo consilio apposuimus, ne lectores nostro de his iudicio auctoribus iniuriam factam esse existiment.

Digitized by Google

Ordiamur a nomine proprio, quod iam A. Peyron bene explicuit *cultor Veneris*, coll. עֻזָּא quod Venerem et Artemidem Persicam significare supra vidimus ad Athen. 1: עבדזהר igitur idem valet quod עבדתנת. Duarum litterarum sequentium, quae inter עבדזהר et חלך interiecta sunt, posterior haud dubie est ג, prior in exemplo Parisiensi, cuius ectypum nunc cummaxime denuo examinavi, hanc habet figuram 𐤊 (non 𐤋, ut apud Mionnetum), quae non alia est quam Caph littera. Peyron quidem ex alio exemplo delineans eam litteram dedit 𐤋, et eodem modo Lindbergius (fortasse ex Museo Wiczay 1, tab. 26, quod ad manus non habeo), quae figura non alia est quam *Aleph:* sed subdubito tamen, et in omnibus exemplis eandem figuram haberi suspicor. Illud igitur כג, quod certius videtur, lego כהן גדל *summus sacerdos*, hoc אג (de quo subdubito) אדן גדל *dominus magnus* legi potest: fuitque Abd-Sohar vel *summus sacerdos* vel *princeps magnus Ciliciae;* quae utraque lectio et interpretatio bene quadrat in *Iovis pontifices* (ἀρχιερεῖς) *eosdemque tyrannos* et *dynastas* Olbes, quanquam posterior etiam ad principes regulosve tributarios applicari possit, quos sub imperio Persarum Tarsum tenuisse scimus (Xenoph. Anab. 1, 2). — Supersunt duae priores voces, quas מזרך זך legendas esse supra iam docuimus. Has autem (ita explicamus, ut מזר idem vocabulum esse censeamus, cuius plur. מַזָּרוֹת legitur Job. 38, 32 (Chald. מַזָּלָיָא) et litteris emollitis מַזָּלוֹת 2 Reg. 23, 5, quodque (quicquid de origine statues) *stellas*, *signa coeli* vel *zodiaci* recte iam veteres interpretati sunt. Singulari מזל (מַזָּל) autem in Targumim et in Talmude saepe utuntur de *sideribus*, ex quibus fata hominum dependere credebant, ita ut etiam ad *Fortunam* transferatur et saepe dicatur מזל טוב *sidus bonum* i. e. fortuna bona („quae vox optantis est et gratulantis" Buxt.). Inde מזרך זך על עבדזהר כג חלך est *stella tua lucida* (o Iupiter!) *sit super Abd-Sohar* cet. i. e. tu, o Iupiter, fausto tuo sidere faveas Ciliciae summo pontifici (dynastae): quod quam aptum sit, ii maxime intelligent, qui reputaverint, *Iovem Tarsensem* non aliud esse numen quam *Iovem Belum* Semitarum, maxime Babyloniorum, quem tanquam *Fortunae datorem* arab. سعد اكبر dictum, a Semitis cultum, cuique *Iovem planetam* sacrum fuisse scimus (v. quae copiosius disputavimus ad Jes. 65, 11). Quod vero מזרך *sidus tuum* vel *fortuna tua* in numo litt. B et similibus solum legitur, id mihi ita explicandum videtur, ut initium formulae pro integra formula positum sit *).

---

*) Hamakerus l. c. מזדך legit (quod per figuram non licet, cf. Daleth et Resch in עבדזהר bene distincta), idque מִזְדָּךְ pronunciandum, et Arabum speciem VIII. a rad. זכך *purus fuit* esse censet, ut arab. ازكّى, unde infinitivus Aramaeorum more formatus esse posset מזדך *piaculum*. Huic is iungit duas litteras סם [quae tamen in nonnullis tantum exemplis inveniuntur, quum in aliis aliae compareant!], quas coll. syr. et pers. سيم, سيمكن *argentum* interpretatur, ut מזדך סם *piaculum argenti* significet i. e. numus argenteus Baali Taraz piaculi caussa dicatus, sive ut beneficium numinis agnoscerent, sive ut iram illius

Digitized by Google

Litteras solitarias in area positas, sivè hae magistratus indicant, sive annos (quanquam anni in numis phoeniciis cifris indicantur), nunc mitto, ad *tertiam* inscriptionem me convertens, quae est in litt. C. D. E, et a Bellermanno (I p. 27) probabiliter legitur:

תכנמג,

vide maxime epigraphen in exemplis C et E, nam in D litterae minus perspicuae sunt. Secundam quidem litteram aliquis etiam *Resch* esse censere possit, collata eius figura in litt. A. B, in quibus *Caph* aliter pingitur: videtur tamen haec nostra figura, utpote caput habens depressius, ab illa paullulum differre. Differre eam a tertia, certissimum est, ut audiendus non sit Dutensius, qui תנגמג legendum censebat. Praeterea extrema littera etiam *Vau* esse possit, cui adeo similior est, quum suprema pars in nonnullis exemplis rotunda sit. Quae quum paullulum incerta sint, etiam de interpretatione certam sententiam non dixerim. Ex priore illa (Bellermanni) lectione תכנמג explicari potest תֹּכֵן מַג *dirigens magus* i. q. רב מַג (Jer. 39, 3) *archimagus* (v. ad Cit. 11), quo nomine summus sacerdos Olbensis appellàri poterat, cuiusque mentio a moneta Persicis figuris ornata profecto aliena non fuerit. Qui vero תרנמו legendum censeat, is pronunciare possit תֹּרֶן מוֹ (*malus aquae* cf. de מוֹ *aqua* ad inscr. 67 ter), quod pro domestico urbis cuiusdam Ciliciae (Malli?) nomine proprio habendum esset. De Flavii Ursini, Haymii et Swintonis nugis, qui ex quinque illis litteris Hannibalis nomen exsculpserunt, referre piget: nec nisi repugnans de Hamakeri in hanc quoque epigraphen coniecturis memoro. Is enim (Misc, p. 146) quinque illas litteras לרנמן legit, idque scriptum censet pro לְאִרֶנְמִין ab אירנים *insula victorum*, quomodo de (falsa) Koppii sententia in numis Cossuraeis (v. no. 13) legitur: priorem autem nominis partem in gentilicio abiectam censet, ut וְמִינִי ducitur a בְּנְיָמִין. Cui sententiae ante omnia hoc obstat, ex quo omnis disputatio pendet, quod litterae ita, ut fecit H., nullo modo legi possunt: quum neque prima *Lamed* esse possit (quodammodo simile quidem est Lamed Numidicum, sed superne rotundum

averruncarentur (imo: averruncarent)." Cui quidem explicationi vir doctus aliam statim subnectit his verbis: „Quanquam adhuc subdubito, utrum alia vocis מזדך explicatio praeferenda sit, grammatica ratione multum, sensu leviter discrepans. Cum enim constet in dialectis variari in Zain et Tsade et ﺽ efferre Syros, quod reliqui צדק pronuntiant, item saepenumero Caph pro Koph substitui, cuius permutationis luculentissimum exemplum est in צחק et ﺿﺤﻚ risit, nemo sane infitiabitur, quin זדך etiam pro זדק et צדק dici possit. Hoc vero in spec. II notat *stipem*, *eleemosynam*, *pecuniam* deo sacram largiri: eiusque participium passivum מְזַדָּךְ ipsam igitur designabit *pecuniam Deo dicatam:* et tota inscriptio מזדך סם *stipem argenteam* significabit. Iam ex utravis interpretatione hoc constat sine detrimento sententiae omitti potuisse illud סם, quod ut ante dixi, in nonnullis exemplis desideratur (imo potius: pro quo in aliis exemplis aliae litterae comparent)." Quantopere in his linguae rationes torserit vir doctus, ut adscitis omnium dialectorum formis ex falsa lectione מזדך (pro מזרך) sententiam quandam nugatoriam profecto et ridiculam (*piaculum argenteum* et *stips argentea*) exsculperet, nemo non intelligit, et talem explicationem ne memorassemus quidem, nisi a viro profecta esset, cuius de aliis litteris Orientalibus merita in debito honore habentur.

Digitized by Google

et super versum ascendens: quam figuram *Lamed* in Ciliciis habeat, vide in adversa eius nomi: בעל תרז): neque, et multo minus, extrema *Nun*. Accedit quod in numis Cossuraeis non אירנם legitur, sed אירבנם: et quod alii regioni, quam Ciliciae, hos numos tribuere, quum alias ob caussas (vide p. 276) tum propter emblemata Persica non licet. Quod quidem postremum quum ipsi Hamakero in mentem venisset, aliam is addit coniecturam, quae numum Ciliciae vindicet. Etenim רנמן (רָנִימִין) ab עיר רָנִים *urbs victorum* ductum, idque Phoenicium eius urbis nomen fuisse suspicatur, quae Graecis ab Alexandri M. victoria *Nicopolis* dicatur, sive ea ipsa Issus sit (v. Steph. Byz. v. *Ἰσσός*) sive huic certe vicina. Cui quidem alteri explicationi eaedem rationes palaeographicae obstant, quae priori: praeterea vero philologica repugnat, quod aegre tibi persuadeas, Phoenices *victores* appellasse רנים, quum רון in V. T. semel tantum, ibique de *vino* virum superante reperiatur.

Sed pergamus ad alios numos Cilicios his, de quibus disputavimus, cognatos. In his hic est valde eximius:

F. *Triremis cum tribus vectoribus galeatis clypeos tenentibus, cuius prora capite arietis ornata est.* In imo *equus marinus alatus.*)(*Leo taurum discerpens* addita epigraphe Phoenicia litt. F. AR. 2. v. Eckhel Mus. Vindob. I tab. 5.

Inscriptionem, qua nihil lectu facilius certiusque cogitari potest, iam Lindbergius (de numis Sextorum p. 15. inscr. Melit. p. 47) bene legit:

עין אלמלך גדל

Quod vero idem interpretatur: *oculus Regis* (i. e. Dei) *magnus* (est): id non placet, eique tum sententia obstat, tum sexus vocis עין: nec debebat vir doctissimus, ut אל articulum etiam in alio monumento nobis monstraret, provocare ad numum Marathensem Mionnet V, p. 363 (tab. 23, no. 17), in quo illud signum non ad מרת, sed ad tertiam epigraphen (v. pag. 273) pertinet. Nobis *oculus regis*, pariter atque *auris regis*, videtur notum illud in Persarum imperio munus designare a Satraparum munere vix diversum, cuius erat observare, audire et ad regem deferre, quidquid ubique in toto regno diceretur ageretur-que, ut verbo dicam *custodis curatorisve* (*κατασκοπῶ καὶ κατηκόον* Herod. 1, 100) regii munus, quod solenni et domestico nomine *ὀφθαλμὸν βασιλέως* appellat Herodotus 1, 114. Ita Xenophon (Cyrop. VIII, 2 §. 7) de Cyro: *κατεμάθομεν δέ, ὡς καὶ τοὺς βασιλέως καλουμένους ὀφθαλμοὺς καὶ τὰ βασιλέως ὦτα οὐκ ἄλλως ἐκτήσατο, ἢ τῷ δωρεῖσθαί τε καὶ τιμᾶν.* Suidas: *Ὀφθαλμοὺς βασιλέως, ἀντὶ τοῦ μέγα δυνάμενος παρὰ βασιλεῖ. οὕτω δὲ ἐκάλουν τοὺς Σατράπας, δι' ὧν πάντα ὁ βασιλεὺς ἐπισκοπεῖ. ὡς βασιλέως ὦτα τοὺς ὠτακουστάς, δι' ὧν ἀκούει τὰ πραττόμενα ἑκάστῳ πανταχοῦ.* Adde quae ex Aeschylo, Aristophane, Aristotele, Dione Chrysostomo, Plutarcho, Tzetze, Heliodoro, Philostrato, Apulejo collegit Brissonii industria, de regio Persarum principatu p. m. 127 (al. 264), et cf. similem locutionem Aethiopum, apud quos *Kâl Hatze* i. e. *verbum regis* appellatur *interpres regis* (Bruce Travels in Abyssinia III, 265. IV, 76), fortasse etiam arab. اعيان oculi, dein proceres,

Digitized by Google

magnates Har. Cons. VI p. 198 Schult. (quanquam hi oculi vocari possunt qs. lumina regni, nam nunquam additur *regis*). Ego igitur illam inscriptionem explicaverim:

oculus regis magni

i. e. regis Persiae, cuius haec appellatio est propria et solennis (*βασιλεὺς ὁ μέγας* Aristoph. Plut. 170 ibique interpp., *μέγας βασιλεὺς* Av. 486. Acharn. 65. 113). Erunt fortasse, qui ex trita syntaxeos lege occurrant, ad hanc sententiam exprimendam articulum ante adiectivum repetendum fuisse; sed his respondemus, etiam in legitimo V. T. Hebraismo eiusmodi exempla reperiri (2 Sam. 6, 3: אֲרוֹן־הָאֱלֹהִים הַחֲדָשָׁה. Jer. 2, 21: סוֹרֵי הַגֶּפֶן נָכְרִיָּה. Ez. 39, 27: לְעֵינֵי הַגּוֹיִם רַבִּים. Gen. 32, 23: בַּת־לֵאָה הוּא. 19, 33. 30, 16. 1 Sam. 19, 10. Ps. 12, 8: הַהוֹד זוּ, cf. Gen. 43, 14. Ps. 18, 18. Iud. 16, 5. 6. 15), Phoenices autem in articulo ponendo admodum parcos esse (v. lib. IV, c. 4). Persicum igitur Ciliciae Satrapam illa formula indicari numumque nostrum eius iussu cusum esse existimo, quod ad universam horum numorum rationem bene accommodatum esse nemo facile negabit.

Triremis imago in adversa, quae saepe comparet in Phoenico-Persicis (Mionnet VI, 641 sqq.), ad victoriam quandam navalem a Persis in Asia minore reportatam respicere videtur. Quarum licet plures sint, nulla tamen aetate Alexandrum Magnum proxime praecedente nobilior et illustrior, quam illa, qua Spartanorum classis duce Pisandro ab Artaxerxis II. et Persarum classe duce Conone ad Cnidum deleta est Olymp. XCVI, 3 (a. Chr. 394), quaque factum est ut in pace ab Antalcida composita Olymp. XCVIII, 2 (a. Chr. 397) Asiae minoris urbes cum Clazomenis et Cypro in Persarum potestatem transirent (Xenoph. Hellen. IV, 3, §. 10—12. V, 1 §. 31). Ad hanc igitur respici equidem suspicor. Atque ad eandem victoriam navalem pertinere videtur hic numus:

G. *Rex Persarum currui insidens ad dextram, ante eum auriga, pone figura stellam manu prae se ferens.* Supra quattuor litterae phoeniciae.)(*Triremis in fluctibus maris*, supra duae litterae phoeniciae. Ex Mionnet Recueil des Planches LXI, no. 1, cf. Bellermann III, p. 13. Kopp. II, p. 241.

Koppius l. c. utramque epigraphen copulatam ita legit:

מלכי בו

regere meum per id (naves),

numumque refert ad Antigonum, Asiae regem, eiusque victoriam navalem ad Cyprum reportatam anno a. Chr. 306. Sed quanquam Alexandrum M. post reditum ex India cultum Persicum Babylone assumsisse constat, tamen neque hunc, neque imperii heredes unquam tali cultu numis insculptos esse, compertum est: illum igitur regem nōn Antigonum habeo, sed Persiae quendam regem. Dein in epigraphe adversae altera littera Lamed esse non potest: neque facile monstret aliquis Vav litterae talem figuram, qualis est altera aversae littera. Legendum igitur potius:

מזרי בה

sidus meum (i. e. fortuna mea) *per hanc* (i. e. per hoc)

Digitized by Google

i. e. per navem, vel per naves. Etenim secundam primae vocis litteram Zain esse nil dubito, idque antiquissimae illius formae, unde Graeci Zeta faciebant (lib. I §. 18). מזרי autem idem vocabulum est atque מזרך in numis A. B. Cum hac epigraphe bene congruit stella, quam vir pone currum incedens vel manu vel in baculo prae se fert, quam Iovis i. e. Fortunae stellam esse putaverim. Vide supra numum A.

VIII.

INCERTAE CILICIAE URBES.

H. *Leo cervum devorans.* Epigr. לעיבעל.)(Sine forma. Ex exemplo Musei Britannici. In aliis aversa habet *Herculem ad s., dextra clavam, s. arcum.* Pellerin III, pl. 122 no. 10 (ubi tamen epigraphe male picta est). Mionnet T. III p. 663, no. 647. 649 (pl. XXII no. 20. 21), ubi in altero exemplo est עבעל sine ל.

Epigraphe in exemplis Parisiensibus et Londinensi admodum distincta לעיבעל, עיבעל hanc monetam indicat in Ciliciae quadam urbe עיבעל (tumulus Baalis) dicta cusam esse: sed quomodo haec a Graecis appelletur, discere malo, quam docere: quum et adversae et aversae typus pluribus eius regionis urbibus communis sit. Num forte *Olba* est (*Ibal* sensim mutato in *Olba*), an *Anazarbus*, quae utraque urbs in monte sita erat? — Hamakerus in Miscell. p. 45 hanc epigraphen tractans secundam nominis proprii litteram Graeco *N* similem etiam in hac litteratura *Nun* esse contendit et magno apparatu demonstratum it, sed argumentis usus ad nihilum redeuntibus, quanquam ipse hanc eius litterae potestatem ita probasse sibi videtur, „ut nihil ad certam rei demonstrationem desit.“ Provocat vir doctus 1) ad inscr. Numid. 3 lin. 2 litt. 1, ubi huius litterae inversae exemplum sit: sed hoc signum plane diversum *Schin* esse, nunc expositis scripturae Numidicae legibus nemo dubitabit; 2) ad Melit. 3, lin. 2 litt. extr., ubi hoc signum, ut alibi, *Jod* esse, et Hamakeri explicationem ferri non posse, supra vidimus (pag. 107. 108); 3) ad numos nostros, quarum epigraphen legit ענבעל (עֵינְבַעַל), sive viri nomen proprium sit (oculus Baalis), sive loci (*fons Baalis*). Sed עיבעל non minus aptum esse nomen proprium loci (viri nomen in his numis vix exspectes), nemo negabit: illius autem signi potestas *Jod* etiam aliunde ita probata est, ut dubitationi locus relictus non sit. Vide (quod ab Hamakero neglectum) numos Cossur. F. N. O (in איבנם) et Numid. 6 7, in quibus hoc signum identidem repetitur. Unum, quod cum veri specie opponi possit, hoc est, in ipsis numis Ciliciis signum huic simillimum (in numo G) *Sain* esse, et propterea fortasse legendum esse עזבעל (עֻזְבַעַל, עֲזִיבַעַל) *robur Baalis.* Quod quanquam non absonum fuerit: tamen duas litteras (in litt. G et in nostro) accuratius comparans facile intelliget, figuras earum inter se differre. (Ad litt. G cf. p. 27, ad litt. H p. 31 no. 16. 17).

I. *Hercules ad dextram, dextra sublata clavam, sinistra nescio quid tenens*)(. *Leo cervum depascens.* Epigr. בעלמלך. AE. Ad exempl. Paris. ex delin. Hohlenbergii. Cf. Mionnet l. c. no. 645. 646. (pl. 22, no. 18. 19). Pellerin l. c. no. 9.

Ex altero exemplo Mionneti no. 19 repetii epigraphen numo subscriptam, sub litt. I *bis*, למעל מלך, sed Hohlenbergius observat, scripturam ibi minime distinctam

Digitized by Google

esse, et Mionnetum ista ex analogia potius quam ex distinctis numi figuris dedisse. Quicquid est, etiam בעלמלך urbs Ciliciae nobis ignota videtur: ad verbum: *dominus regis* i. e. *locus regis, in quo rex est* (cf. בַּעַל גָּד, בַּעַל צָפוֹן), quod *regiam* significare possit, nisi rex potius *Baal* est s. Hercules. מעלמלך, si modo certa haec scriptura, idem valeret quod בעלמלך et ex eo ortum esset, ut חנמעל *Hannimal* pro *Hannibal* Numid. 1 (in postscr.).

K. *Hercules ad dextram, dextra clavam sublatam, sinistra arcum tensum.* In area *crux ansata.*)(*Leo cervum depascens.* Epigraphe phoen. duplex, altera supra, altera ad dextram. AV. Ad exempl. Mus. brit. Cf. Pellerin l. c. no. 11. Mionnet l. c. no. 641. 642.

Quantum ex tribus exemplis efficio, quae ante oculos sunt, epigraphe superior ita legenda est, ut eam sub numo litt. K. scripsi, id est מלכגמת, quod transferri possit: מלך גמת *rex coetus* s. populi (cf. ad Eryc. lin. 2), et n. pr. esse videtur. A dextro latere in exemplo Pellerini leguntur illa signa, quae secundo versu dedi: quaeque cifras esse non dubito.

L. *Caput barbatum galeatum ad sin.* Duplex epigraphe, una ante, altera pone.)(*Iupiter solio insidens cum sceptro, ad sin.* Pone epigraphe. Pellerin l. c. no. 8. Mionnet no. 669 ex delineatione Hohlenbergii.

Nisi in epigraphe adversae pingenda mirifice consentirent Pellerinus et Hohlenbergius, eam eandem esse putarem atque in numo E. Quid sit, ita ut nunc picta est, non expedio. Ceterum haec epigraphe litteris paullulum mutatis eadem esse videtur, quam habet numus

M. *Iupiter stans ad d., dextra sceptrum, sinistra porrecta nescio quid tenens*)(. *Ferver viri Persici ad dextram.* Ex Museo Brit.

N. *Vir cultu persico* (rex) *ad sin. bestiam alatam gladio perfossurus.*)(*Vacca vitulum lactans.* Supra epigraphe בעגא. Dutens p. 140.

O. *Hercules leonem cauda prehensum perfossurus.*)(*Ovis agnum lactans,* supra phoenicium ב. Dutens p. 68. Mionnet III, p. 670 no. 687.

Dutensius l. c. hunc numum Vagae, Numidiae urbi, tribuit בעגא *Vagam* interpretatus. Sed Persico-Phoenicium i. e. Cilicium eum esse, arguunt prioris attributa. Quid vero sit בעגא, et sitne fortasse scribendum בעלא (nam numum non vidi et videtur ille rarissimus esse), non definio.

P. *Caput Palladis galeatum*)(. *Caput Palladis adversum, galeam utrinque cristatam gerens,* cum epigraphe לארק מלך. Ad exemplum Mus. Brit. cf. Dutens p. 78. Mionnet pl. 54. T. III, p. 663.

Nihil certius est epigrapha לארק מלך. Hanc Koppius (II p. 205) tribuit Arcae Caesareae ad Libanum, eique assensit Lindbergius pag. 11, assensi et ipse in notis ad Burckhardti itin. Syriae I p. 271 ed. germ., ubi plura de illa urbe congessi. Sed denuo hanc caussam recolentes plura huic sententiae obstare vidimus, verumque vidisse videntur Mionnetus aliique Numismatologi, qui hanc monetam Ciliciae tribuunt. *Primum* enim huius numi fabrica longe elegantior et nitidior, quam Phoeniciae

Digitized by Google

propriae numorum esse solet, Phoeniciam dissuadet. *Dein* monetae Arcensis vestigia certa desiderantur (v. Eckhel D. N. III p. 354): ipse vero hic typus alibi quoque in Ciliciae numismatis comparet (v. Mionnet l. c. no. 677—680, cf. 651. 681), cui etiam litterarum character simillimus est. *Denique* Arcen Libani ab ipsis Phoeniciis et in domestica scriptura per *Ain* (non *Aleph*) scriptam fuisse arguit hebraeum עַרְקִי Gen. 10, 17 arab. عرقا, عرقة Geogr. Nub. p. 118. Abulf. Syria et Schult. ind. geogr. ad Salad. v. *Arca*, syr. ܥܪܩܐ Barhebr. Chron. p. 262. Videtur igitur ארקמלך i. e. *terra regis* (cf. chald. אַרְקָא Jer. 10, 11) Ciliciae oppidum designare, cuius nomen graecum latet. Quid si *Argon* Ciliciae intelligas (Eckhel IV, p. 49)?

* * *

Quae hucusque disputavimus iam prelo parata erant, quum ill. Rochettii beneficio ad nos pervenirent quindecim numorum maximam partem Cilico-Punicorum recens ex Caramania in Museum Parisiense delatorum exempla gypso impressa. In his duo erant exempla eius numismatis, quod dedimus litt. C, duo eius quod apud nos est litt. D, quinque numi litt. K, unum, cuius adversa est ut litt. A, sed aversa *leonem* sistit *gradientem ad sinistram cum epigraphe* מזרך, unum numi Alexandri Magni Acensis (v. no. III), denique duo ni fallor inedita, quae damus litt. Q. R.

Q. *Hercules ad dextram, dextra clavam sublatam, sinistra arcum tensum tenens.* Ad dextram epigraphe phoenicia septem litterarum.)(*Pallas ad sinistram dextra hastam, sinistra clypeum tenens.*

Epigraphe has litteras continet: מלמרמכ satis perspicuas, nisi quod *Mem* litt. 3 a litt. 1 et litt. 5 paullulum differt, siquidem linea media directa fere dubia est, et litterae extremae nonnisi parvum vestigium superest. Legi et suppleri illae possint: (ן)מל מרם כ, מַל מְרֹם כֵּן *antica excelsi basis* s. fundamenti, vel מִלְמָרֹם כֵּן *ab excelso fundamento*, sed nihil horum satisfacit, et hoc unum tenendum videtur, etiam in hac epigraphe, ut in reliquis Ciliciorum numorum, latere nomen proprium domesticum oppidi Cilicii aliunde ignotum.

R. *Iupiter solio insidens ad sin., dextra sceptrum, super sinistra aquilam tenens*, cf. litt. B. Ad dextram litterae peregrinae.)(*Leo alatus cervum devorans*, infra epigraphe peregrina.

Quattuor litterae in aversa Phoeniciae videri possunt, licet ex רכור vel רכנר non multum efficias: sed adversa eodem loco, ubi in aliis exemplis (litt. A. B) est בעל תרז, habet litteras, quarum ratio mihi adhuc ignota est, quaeque ad vicinam Pamphyliam pertinere videntur. In huius enim numis litterarum characteres comparent Phoeniciis similes et propterea subinde pro Phoeniciis habitae, probabiliter etiam ex Phoeniciis ortae, sed ita diversae a vere Phoeniciis, ut hucusque lectae non sint, nisi ab iis, qui sui ingenii somnia et commenta pro lectis venditare consueverunt. Exempli causa (litt. S) repetendum curavi numum (v. Mionnet III p. 472 no. 141 sqq. cf. Recueil des Planches tab. 22, no. 1. 3), cuius epigraphen interpres quidam Phoeniciam esse censuit et legit: צבס מלך סרד *Zabes rex Sardiniae*, non improbantibus aliis

Digitized by Google

viris doctis, cum litterarum Punicarum tum rei numismaticae alioquin non imperitis (v. Muenter über Sardische Idole p. 12): quum ex imaginibus certum exploratumque sit, eum ad *Siden Pamphyliae* pertinere (v. Mionnet l. c.): litterarumque characteres a Phoeniciis maximam partem diversae ad antiquissimam Persarum scripturam pertineant (v. p. 71). Eodem modo Pseudo-Phoeniciis annumerandus est numus

T. *Sagittarius hippocampo super undas vectus*, infra *piscis*.)(*Noctua cum flagello et lituo*, ad dextram signa Phoenicia, v. Mionnet V, p. 643 no. 17—25. Recueil des Planches tab. 29 no. 9—14.

Huius quidem numi in nonnullis exemplis quum legantur signa 𐤉𐤉𐤉𐤉 𐤏 ○, Bellermannus (phön. Münzen I p. 14 sqq.) duo priora legebat עי, et *Ai* (עַי), Palaestinae veteris oppidum, esse putabat. Quam sententiam vel hoc dissuadere debebat, quod in aliis pro 𐤏 ○ legitur solum ○, in aliis adeo manifestum *Mem*. Sed quid multa? illa signa numeralia sunt, epocham numi indicantes, ita quidem ut ○ numerum *vicenarium*, 𐤏 *denarium*, 𐤌 *centenarium* significet (v. pag. 87 et 270): numus ipse autem recte observante Mionneto l. c. numis Persicis annumerandus est in Asia minore, ni fallor, cusis.

Ad Pseudo-Phoenicia semel delatus addo numum in Phoeniciis saepe recensitum

Ų. *Vir nudus equo vectus*.)(*Hircus humi cubans*, supra signa peregrina. Vide Mionnet T. III p. 568, cf. Recueil des Planches tab. 22 no. 9—12, qui ad Celenderin Ciliciae recte refert. Litterae vero his similes comparent in inscriptionibus, quas edidit perill. *de Hammer*, Reisen in die Levante pag. 189. 190.

CAPUT TERTIUM.

NUMI SICILIAE ET ADIACENTIUM INSULARUM.

Ipsius Siciliae numi Punice inscripti omnium, qui exstant, numorum Punicorum longe elegantissimi et magnam partem eximiae fabricae sunt. Exempla etiam, quippe maximam partem argentea (paucissima aurea sunt, v. Mionnet T. I p. 264, nec multa aenea Mionnet l. c. p. 270 sqq.), omnino bene conservata sunt. Eximia tamen litterarum (quas edita exempla non accurate imitari, sed in maius auctas exhibere solent) parvitate effectum esse videtur, ut nihilominus epigraphae non bene editae et iccirco magnam partem non intellectae sint. Etenim ante Koppium omnes numi Siculi Punice inscripti ad Panormum referri solebant (v. Mionnet I, p. 264 sqq.): hic nonnullos Heracleae vindicavit (v. no. X): quibus nos *Syracusanos* addemus et *Motyenses*. Sunt autem hi numi, ut bene observat Eckhelius (D. N. T. I p. 230), Carthaginensibus Siciliae imperantibus ab artificibus Siculis cusi, ut mutuo cum reliquis insulae incolis commercio inservirent Poenique Siculorum, apud quos argenti signati usus erat, moribus assuefierent, quum Carthagine, ut videtur, argento rudi uti

Digitized by Google

solerent. Vilioris et materiae et fabricae sunt numi Cossurenses et Gaulitani, qui omnes aenei, hanc ipsam ob caussam autem satis crebri sunt.

IX. *PANORMUS.*

Panormum a Carthaginensibus una cum Motye et Solunto (*Σολόεις, — εντος, Σολοῦς* ea civitas graece scribitur, lat. Soluntum) conditam esse auctor est Thucydides nobili loco lib. 6, 2, eandemque florentissimam eorum in Sicilia urbem fuisse refert Polybius (1, 38), qui *βαρυτάτην πόλιν τῆς τῶν Καρχηδονίων ἐπαρχίας* appellat. Graecum *Πανόρμου* nomen ei ab Aeolibus Siciliam adeuntibus propter portus pulchritudinem datum esse, Diodorus narrat (22, 17): sed iam prius Punicum quoddam nomen a conditoribus ei inditum esse, quum aliunde probabile est, tum ex his numis apparebit, quorum ratione epigraphes has sex classes constituimus.

1. *Caput muliebre iuvenile eleganter comtum intexto arundine ad sinistram*, circum *quattuor pisciculi*. (Mionnetus Proserpinae caput existimat, Lindbergius auctore Muentero Astarten, nos Arethusam esse putamus, vide infra de numis Syracusanis). Al. *Caput Herculis imberbe exuviis leonis tectum ad dextram.*)(*Caput equi affabre factum ad sinistram*, pone *palma arbor*. Infra sex litterae עם מחנת. Exempla nostra A — F ex Museo Britannico sunt, de quorum varietate infra dicemus. Alia plus minusve accurate dederunt Barthelemyus, Mémoires de l'acad. LIV p. 59 (ed. in duod.) no. 8, Swinton in Philos. Transactions 54 tab. 11. Pellerin Peuples et villes III, tab. 121, Dutens diss. 2 pl. 1. diss. 3 pl. 1. no 2. 3. 4. Mionnet T. I. p. 268 no. 486 sqq. Recueil des Planches tab. 20, no. 15. 16. tab. 66, no. 5. 6. Cf. Lindberg de inscr. Melit. p. 16.

Sex illas litteras (cum Barthelemyo, Swintone, Koppio, Tychsenio, Lindbergio al.) legendas esse עם מחנת (non עם מחרת, ut volebant Bayerus p. 14 ed. germ. et Bellermannus I, 7. 15, vel מחלת, quod idem in aliis exemplis reperisse sibi videbatur p. 15. 17) certum est et indubitatum in omnibus, quae examinavi, exemplis Parisiensibus et Londinensibus; מחנת autem, sive hoc מַחֲנַת pronunciandum est sive, quod malim, singulari numero מַחֲנַת (ut מָרַת, אַיִת, מְלָכַת, בַּעֲלַת, צִירַת et alia multa, vide ad inscr. Carthag. 3, p. 168 et infra lib. IV c. 4) Punicum fuisse *Panormi* nomen, primus vidit Barthelemyus l. c. similia nomina *Castra Julia*, *Castra Caecilia*, *Castra Hannibalis* comparans, quibus addendum ipsum מַחֲנַיִם, de oppido transjordanensi in V. T. saepe memorato. עם (עַם), ut ubique, *populum* significat, et *populus* urbis idem est, quod in aliis, ut Gaditanis Tingitanisque, *cives* (בעלי) eius, cf. עַם יְרוּשָׁלַם 2 Par. 32, 18; fallunturque Koppius (Bilder und Schr. II, p. 190) et Lindbergius (p. 17), qui עם מחנת „complexus portuum" reddunt atque graeco *Πάνορμος* accurate respondere putant. Nam מחנת *castra* significat, quae tentorii constant, non *portum* sive *navale*, quod navibus: et עם ab Etymologis quidem redditur et reddi potest „complexus, coniunctio", sed in ipso linguae usu nunquam ita reperitur, imo gr. *πᾶν* est כל, non עם.

Digitized by Google

Numos, quibus מחנת inscriptum est, revera Panormitanos esse, et מחנת huius, non alius, urbis Siculae nomen esse, colligunt a) ex attributis, quorum pleraque etiam in certis Panormitanis compareant (v. Mionnet T. I p. 277); b) ex eo quod hi numi argentei magna copia in vicinia Panormi reperti sunt; c) quod egregia eorum fabrica urbem patriam prodat magnam et opulentam, urbium autem Sicularum a Poenis conditarum nulla maior, nulla opulentior fuerit Panormo (v. Barthélemy l. c. et Dutens p. 207, qui bene contra Swintonem disputavit, hos numos *Menis*, parvo in Siciliae mediterraneis, oppido tribuenti). Ut dicam, quod res est, primum et tertium argumentum etiam cum eorum sententia conciliari possent, qui hos numos Syracusis tribuunt (v. infra de numo Golziano), in cuius moneta eadem attributa comparent: sed secundum, quod in quaestione de numorum patria permagni momenti est, vulgarem sententiam ita commendat, ut ei accedere nihil dubitem.

De sex exemplorum in litteris pingendis varietate haec observanda sunt. A et B exempla sunt omnium integerrima et elegantissima. In C *Ain* habet caudulam a sinistra (ut litt. G a dextra) cf. pag. 40. 41, in D punctum in medio, ut saepe Graecorum Omicron: in eodem *Nun* habet nescio quid a dextra parte, quod tamen vitiosum videtur. In litt. E notandum est *Mem* puncta habens pro lineis (cf. Cit. 20, lin. 1), et *Chet* prope accedens ad *Chet* scripturae quadratae. In *F* est idem *Chet*, reliqua legitima. Ceterum E et F recentissima exempla censeo.

2. Idem typus, sed paullo plenior epigraphe, addito articulo, quem sane ferebat huius nominis proprii ratio:

עם המחנת

Vide litt. G ex Museo Britannico, cf. eiusdem generis exempla apud Pellerinum III, 88 no. 8. Dutens diss. 2 tab. 2 no. 1. Bayer ed. germ. 1 no. 4. Mionnet tab. 20 no. 18.

3. *Caput muliebre* (Arethusa) *quattuor piscibus cinctum ad dextram* al. *Caput muliebre ornamento Phrygio ad sin.*)(*Leo gradiens ante palmam ad sin.*, al. *caput equi ad sinistram*, *pone palma.* Infra epigraphe

שעם מחנת *populi Machanath* (Panormi),

quod respondet epigraphae graecae *ΠANOPMITAN.* Vide litt. H ex Mionneti exemplo, T. I p. 268 no. 468 tab. 20 no. 14, quod dederat etiam Barthélemy l. c. no. 9. Aliud in Hispania asservatum expressit Bayer ed. germ. no. 5 (in quo prima littera non satis perspicua est et ו picta est pro ה, cf. inscr. Numid. 1 lin. 4), et tertium Lindbergius ex Museo Regio Daniae tab. IV, 9. Tum in exemplo Parisiensi tum in Hauniensi (ex quo hoc modo pinxit Lindbergius ה) prima littera tam manifestum est *Schin*, ut nemo eam non agnoscere possit, quam qui in Palaeographicis plane caecutiat. Quod Barthelemyus et Bayerus eam *He* esse existimant, id ex noto Barthelemyi errore pendet ab ipso postea correcto, quo illam litteram *He* esse putabat (pag. 15. 95), ut mireris haec repetita esse a Lindbergio (p. 17): Koppius eam *Mem* putabat, quod magis ferendum est, quanquam hic breviorem caudam neglexerat (cf.

Digitized by Google

Mem in מחנת). De ש genitivi nota, vide mox no. 4, inscr. Sard. lin. 1, Tugg. lin. 6, et ab initio epigraphes in numis Iubae I (no. XX).

Eundem numum litteris inversis, quasi graeco more ad dextram curreret scriptura, habes litt. I ex exemplo Mionneti T. I p. 267 no. 478 cf. tab. 20 no. 7 et tab. 66 no. 7, quod iam dederat Barthélemy l. c. no. 10. Singulae litterae hunc in modum inversae subinde in numis reperiuntur, ut *Lamed* in Gaditano C, in alio Panormitano, Mionnet suppl. VIII, 50, et eodem modo in Graecis reperitur pro Γ *Gamma* (Boeckh C. F. no. 3 p. 6), et *Pῶ* al. cf. litteras *Caph* et *Mem* in scriptura vulgari Samaritanorum (tab. 3): cuius rei caussa apud Phoenicios in quadam Graecae consuetudinis imitatione quaerenda est (v. numum Heracleensem litt. F), apud Graecos in scriptura *βουστροφηδὸν* currente.

4. *Caput Herculis imberbe, pelle leonina tectum ad dextram.*)(*Caput equi ad sin., ante caduceus* (in aliis clava, quae et ipsa ab aliis abest), *pone palma.* Infra epigraphe:

מחשרם

Vide litt. K ex Museo Britannico, in quo tria eius exempla exstant, cf. Dutens diss. 2 pl. 2 no. 2. Mionnet I p. 269, no. 495. 497, tab. 20, 19. Lindberg p. 47, qui vero epigraphen neque loco ab ipso citato „tab. VI, 2", neque alibi dedit. In quinque illis litteris prae ceteris quarta dubia esse potest, quam *Beth* esse statuunt Lindbergius l. c. et Hamakerus (Miscell. 138), quum cauda eius apud Mionnetum paullulum dextrorsum inflexa sit. Quae inde prodit, lectio מחשבם, eam Hamakerus מֵחָשָׁבִם (imo מֵחָשָׁבִם), l. מֵחַשְׁבִם pronunciat et ad *Aspiden* Africae urbem trahit, quam a Poenis חָשָׁב = خشب *asperam* dictam fuisse coniicit, quanquam eam urbem ab Agathocle, Syracusarum tyranno, conditam esse constat (Cellar. Geogr. ant. II, p. 881 sqq.): quod multis verbis refellere piget, cum numi origo et patria ex attributis et eximiae elegantiae fabrica certa sit. Nec minus ab horum numorum ratione et consuetudine alienum, quod Lindbergius fingit: מְחַשְּׁבִם *praefecti monetae* (pr. artifices). — Praeterea etiam in tertia littera constituenda haeserunt interpretes, quam *He* esse statuit Dutensius de noto Barthelemyi errore (de quo diximus no. 3), ex מחהרם *Imacharam* Siciliae exsculpens: *Mem* esse putabat Koppius, Dutensii exemplum מחמרם vel מחמדם legens, de quo interpretando quum ipse desperasset, Hamakerus illud מֵחֵמָרִם *Himerensium* legi et explicari posse censuit. — Ut de lectione quaestionem ante omnia expediamus, exemplis Londinensibus et Parisiensi inter se comparatis, certum exploratumque est, tertiam litteram (cuius caudula multo brevior est quam primae) esse *Schin* (non *Mem*): neque minus nobis persuasum est, quartam esse *Resch*, quum in exemplis Londinensibus et apud Dutensium caudam rectam habeat, paullulum inflexam quidem in Mionnetiano et teste Lindbergio in Hauniensi, quod ipsum tamen non impedit, quominus *Resch* sit (v. pag. 44 lin. 31. 32 adde *Resch* in numo nostro litt. M). Litterarum מחשרם interpretationem iam aggredientibus nobis, hoc firmiter

Digitized by Google

tenendum est, hunc numum prioribus classibus per omnia similem non alius urbis esse posse, quam Panormi, et iccirco מחשרם significatu suo haud procul abesse a מחנת, et עם מחנת. Haec nobiscum reputantes legimus

מח' שרם *Panormus Romae* s. *Romana:*

ex מח' per compendium pro מחנת, ש nota genitivi, et רם Roma (v. Tripol. 1). Intelligenda igitur *Panormus colonia Romana*, cuius numos latine inscriptos exhibent Eckhel D. N. 1, 232. Mionnet I, p. 280. 281. cf. Strabo VI, p. 188: *Πάνορμος Ῥωμαίων ἔχει κατοικίαν.* Dio Cass. 54 §. 7 et Schiavo de Panormo colonia in Torremuzzae opere p. 189 sqq.

5. *Palma arbor*, ab utraque parte trunci litterae מחנת.)(*Equi frenati pars anterior ad d.*, supra *victoria advolans eumque coronans*, *ad d. granum hordei.* In aliis exemplis supra in loco victoriae est *granum hordei*, in aliis utrumque deest. Infra litterae קרת חדשת.

Vide litt. L ad exemplum Mionneti, cf. Bellermann I p. 7. In Museo Britannico tria exempla exstant, in quorum duobus epigraphe extrema detrita, in tertio paullo aliter picta est, ut litt. M. Epigraphas N et O paullo negligentius vel sculptas vel (quod malim) depictas repetivimus a Mionneto Suppl. 1 tab. 8. no. 48. 49, litt. P, quae in fine manca est, ibid. no. 5, cf. pag. 411. et Lindberg p. 24. Alia exempla dederunt Castellus, Siciliae vett. numi tab. 100. Auctar. II tab. 9. Barthelemy l. c. no. 7. Dutens III tab. 2. Mionnet 1, 331, tab. 20, no. 9.

Primâ epigraphe, quae in adversa est, hos numos Panormitanos esse evincitur: קרת חדשת, quod in aversa est, haud dubie significat *urbem novam*: ambigitur vero, utrum ita dicta sit Panormi ea pars, quae *νέα πόλις* dicebatur (Polyb. 1, 38 §. 9), an *Carthago*, sub cuius imperio hi numi cusi sunt, cuiusque attributum erat *caput equi* (Virg. Aen. 4, 447. Sil. 2, 40. Iustin. 18, 5). Ac posterior quidem sententia Barthelemyi est, quem plerique secuti sunt, prior Koppii (II, 189), quae non parvam commendationem habet a numis Syracusanis (no. XI), in quorum epigraphis similiter Syracusarum aliqua pars (אַיְת *Nasos*, Insula) comparet. Quanquam nihil certi definio. Quodsi enim verum, quod complures veteres tradunt, *Carthaginis* nomen *novam civitatem* significare (Boch. geogr. s. p. 167), etiam hoc vix aliter scribi poterat atque קרת חדשת.

De exemplo litt. M observandum est, intercapedinem inter ק et ר inde ortam esse, quod *Koph* littera ante equi pedem comparet. Praeterea notanda *Resch* et *Daleth*, caudis inflexis. — Exempla N. O. P vix recte delineata sunt (vide קר in litt. O, ת in litt. P), quod vix aliter fieri poterat, quum exempla, quae vidi, valde detrita sint. Iccirco in mira devia delati sunt, qui certam exploratamque horum numorum originem et epigraphas parallelas nil curantes corruptis illis ductibus inhaerentes inde pro lubitu interpretationes exsculpserunt, ut Hamakerus, qui (diatr. p. 43) inscriptionem litt. N legit: תרתעסת „numum sive ad Tartessum referens Hispaniae,

Digitized by Google

sive ad Tortosam (!), cum ambae urbes et Phoeniciae fuerint et eadem utriusque videatur fuisse appellatio", et (diatr. p. 58) litt. O: בקת חדשת, quod pro בקרת חדשת scriptum existimat.

Ad eandem classem referri possunt a) ea exemplа, in quibus typus quidem idem est, atque in his quae modo descripsimus, in antica autem infra palmam solae litterae חת comparent, in aversa infra equum ח. Mionnet T. I p. 331 no. 39. 40. 41. Bellermann III, 17 (qui infra equum חת scriptum refert). Quod B. litteras חת ad Chettaeam Marmaricae referri posse censet, eodem modo iudicandum est, atque Hamakeri commenta, quae nunc cummaxime perstrinximus. Contra statui poterit, breviores illas epigraphas significatione non differre a vulgaribus illis plenioribus: sive חת, ח' dictum est pro חדשת (omisso קרת), sive pro חנת (omisso מ servili), qua de re nihil definio, quum fortasse una alterave littera deleta sit. b) exempla a Mionneto (Suppl. I p. 411) et Lindbergio (p. 24) descripta, quorum hic typus est: *Caput muliebre ad sinistram*, pone epigraphe (חד)קרת חדשת.)(*Equus iuxta palmam gradiens ad sin.*

Denique memorandus est numus bilinguis a Golzio editus et repetitus a Barthelemyo (XXX p. 427), qui in antica habet *Palmam* et קרת חדשת (quanquam male sculptum), in postica *anteriorem partem equi cum victoria* et sub hac ΔΙΟΝΥ-ΣΙΟΥ. Quae inscriptio graeca si genuina esset, omnes hos numos non Panormi, sed Syracusarum esse evinceret. Sed non genuinam esse atque a Golzio, ut multa alia, fictam, ostendit Eckhelius D. N. I p. 258 (cf. Prolegg. p. CXLVIII), ad cuius disputationem lectores remittimus.

6. Sextam quandam classem constituunt *numi aenei* in omnibus Museis magno numero exstantes et ad Siciliam haud dubie pertinentes, quanquam de Panormo patria dubitari potest, quorum hic typus est:

Caput Cereris spicis coronatum ad sinistram.)(*Equus ante palmam stans ad dextram* al. *caput equi.* Infra litterae solitariae: א, ב, ח, ם, מ, צ al. Vide litt. Q. R et Mionnet I, p. 270 sqq. tab. 20, no. 24 sqq. Lindberg p. 64. Eiusdem generis multi exstant illiterati (v. Mionnet I, p. 273 sqq.).

X. *HERACLEA.*

Heraclea, cognomine Minoa, Siciliae urbs maritima erat (v. Cellar. not. orb. ant. I, p. 989), cui vetus Macarae nomen fuisse tradit Heraclides Ponticus (apud Gronov. ant. gr. VI p. 2831): *Μινώαν τὴν ἐν Σικελίᾳ Μακάραν ἐκάλουν πρότερον.* Quid valeat vetus illud nomen et quam egregius sit veteris novique nominis consensus, docebit praestantissimus huius urbis numus, quem a nemine hucusque recte delineatum et lectum esse video. Typus eius in omnibus exemplis hic est:

Caput muliebre (Arethusae) *quattuor piscibus cinctum ad dextram* (in uno ad sin.), ut in Panormit. H.)(*Vir stans in citis quadrigis ad d.*, supra *victoria coronam tenens advolat.* Infra septem litterae Phoeniciae.

Digitized by Google

In his legendis Palaeographi omnes partim exemplis detritis et male delineatis decepti, partim ad discrimen inter litteras *Schin* et *Mem* non satis respicientes plus minusve a vero aberrarunt. Ac Barthelemyus quidem (Mémoires LIII p. 59) falsam quam exhibet delineationem legebat עם מנקרת, Lindbergius (p. 8) עם מלקרת, reliquis melius Koppius (II p. 192) ex exemplo Eckhelii (sylloge num. vett. tab. 2 no. 13) רם מלקרת *excelsum Herculis*, numum, qui prius Panormitanis annumeratus est, recte ad Heracleam Minoam referens. In una tamen littera etiam hic a vero aberrasse censendus est. Nam in *quinque* exemplis Londinensibus, quae examinavi quorumque ectypa ad manus sunt, in Parisiensi (Mionnet T. I p. 267. no. 487), quem in hac littera non recte imitatus est Mionnetus tab. 20 no. 53, Viennensi apud Eckhelium (vide litt. F.) littera secunda caudae brevitate tam manifesto distinguitur a tertia, quae *Mem* est, et *Schin* esse evincitur, ut errari nequeat: et eodem modo in Hauniensi exemplo legi spoponderim, licet Lindbergius (tab. 5, no. 41) utramque litteram paene eandem faciat. Legendum igitur

רש מלקרת *caput Herculis*

i. e. promontorium Herculis. רש pro ראש (ראשׁ) vide Sard. 4, apud Phoenices autem *caput* translatum esse ad *promontorium* et *urbem maritimam in loco edito sitam*, testantur nom. pr. Punica urbium maritimarum *Rusaddir* ראש אדיר, *Rusci-nona*, *Rusibis*, *Rusicibbar* al. (vide lib. IV, cap. 3 hh. vv.). In nomine *Μάκαρα* autem facile agnoscas Punicum Herculis nomen מעקר *Mocar*, *Macar*, contractum ex מלקרת, de quo vide Trip. 2, 1, et lib. IV cap. 2 s. vv. מלקר, מלקרת, מעקר, מקר. Eiusdem originis est *Μακαρία Macaria* (Plin. Ptol.), urbs Cypri et filia Herculis (Pausan.), fortasse etiam *Μακάρων νῆσοι* in Africa Herod. 3, 26 proprie erant *Herculis* (איי מעקר) non *beatorum insulae*.

Superest, ut sex exemplorum nostrorum (A—F) rationem reddamus. Quinque priora (A=E) ex numis Musei Britannici desumta sunt, ubi etiam sextus est, is tamen non bene conservatus. In *primo* et secundo manifesto legitur:

רש מלקרת

In tertio (C) prima et extrema littera desunt et legitur אש מלקר, quod supplendum est: (ר)אש מלקר(ת), ita ut in hoc ראש plenius scriptum habeatur. In quarto (D) prima littera vel *Vav* est vel *Resch* imperfectius. Si Vav est, supplendum (ר)וש מלקרת, cf. רוש Deut. 32, 32 (quod tamen ibi de *papavere* dictum, v. Lex. man. p. 916). In *quinto* (E) prima littera iterum *Aleph* esse videtur (supplendum), quod iudicandum est, ut in litt. C. Valde memorabile autem et in suo genere unicum est exemplum litt. F (ex Eckhelii libro laud. tab. 2 no. 14), cuius litterae partim graeco more a sinistra ad dextram currunt, partim inversae sunt, more litterarum Graecarum. De hoc Phoeniciae scripturae graecissantis specimine vide lib. 1 §. 41.

Digitized by Google

XI. *SYRACUSAE.*

Numorum Siculorum Punice inscriptorum omnium qui exstant elegantissimorum nullum genus ad Syracusas, Siciliae urbium longe splendidissimam, referendum videri, saepe diuque miratus sum, mecumque mirati sunt alii rerum antiquarum scrutatores *). Tandem non sine magna laetitia inveni, duos nobilissimos numos Siculo-Punicos, qui reliquis volumine, pulchritudine et nitore tantum praestant, quantum Syracusae splendore et opulentia reliquis Siciliae urbibus antecellunt, testibus epigraphis Punicis non alias quam Syracusanas esse et ad antiquissimam Syracusarum partem, quae *Nasos* sive *Insula* appellatur, pertinere.

1. Prior est numus argenteus omnium Punice inscriptorum maximus:

Caput Cereris spicis coronatum et inauribus ornatum ad sin.)(*Pegasus volans ad dextram*, in uno exemplo (Bayer. l. c. tab. IV no. 18) *equus tolutim incedens ante palmam.* Infra quinque litterae Punicae, quarum prima in nonnullis exemplis deest. Ediderunt eum d'Orville in Siculis tab. 1, 4, ad exempla Parisiensia Pellerin Recueil III, pl. 88 no. 6. Mionnet T. I p. 267 no. 476. 477, et Recueil des Planches tab. 20, 6. tab. 66 no. 4, ad exempla in Hispania asservata Bayer ad Sallust. p. 376 (tab. IV no. 18. 19 ed. germ.), ad Monachiense Caroli a Gemming Wihl de inscr. phoen. in titulo, quibus nos addimus duo exempla Londinensia litt. A. B. Epigraphe litt. C ex altero Bayeri exemplo petita est.

In epigraphe legenda in alia omnia abierunt interpretes. Ut enim nuperas Wihlii nugas taceam, qui (p. 51) in oratione de hoc numo habita רצרצת *cursorem*, „*Schnell-Läufer*" (imo genere feminino: Schnell-Läuferin) interpretatur idque Pegaso, eo tamen *volanti* non currenti, adprime accommodatum censet (quasi vero necesse fuisset, verbis declarare, quid illa imago repraesentaret): Pellerinus (Recueil III p. 20. 21) et Lindbergius (pag. 42) eam legerunt בקרקת et קרקת, quod *Carthaginis* nomen esse coniecerunt, falsam de littera secunda et quarta sententiam secuti (v. supra p. 20); Bayerus l. c. et Bellermannus (I, pag. 20) בארצת (male, quum litt. 2 et 4 manifesto eadem sit), quod *Byrsam* Carthaginis significare censuerunt; unus Barthelemyus et post eum Pellerinus priora retractans (Supplem. IV p. 78) recte vidit legendum esse

באראת

licet de interpretatione dubitaret. Vide quae de illius litterae potestate disputavimus pag. 20. 21. Ut a lectione ad interpretationem progrediamur, iam prius nos (Ephemerid. Hal. 1825 no. 63. Palaeogr. Studien p. 66) quinque illas litteras in duas voces dispescendas esse et

באר את (בְּאֵר אֹת) *fons signi* s. *miraculi*

*) De Golzii numo adulterino, qui ad Syracusas referebatur a Barthelemyo, v. supra ad numos Panormitanos, no. IX extr.

Digitized by Google

interpretandas esse coniecimus, quae sententia nunc exemplo altero Londinensi B, in quo intercapedo est inter tertiam quartamque litteram, ita confirmatur, ut dubitationi vix locus relinquatur. Porro iam quaerens, quae Siciliae urbs a Phoeniciis באר את *fons signi* s. *miraculi* appellata sit, olim (ll. cc.) *Thermas Himerenses* cogitavi, Poenorum coloniam (Diod. 13, 79), a fontibus calidis dictas, quas Minerva vel Nymphae in usum Herculis ibi aperuisse ferebantur (v. Boch. Canaan. col. 515): quam quidem sententiam licet non improbet Grotefendius (Blätter für Münzenkunde. 1836 pag. 179), tamen aliam proponit sibi probabiliorem, *Lilybaeum* intelligi, primariam Carthaginis Punicae urbem, quae et ipsa a *puteo* (בְּאֵר) nomen invenerit (Diod. 13, 54: ὁ δ' Ἀννίβας ἐκβιβάσας τὴν δύναμιν, κατεστρατοπέδευσεν, ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ φρέατος, ὃ κατ' ἐκείνους μὲν τοὺς καιροὺς ὠνομάζετο Λιλύβαιον, μετὰ δὲ ταῦτα πολλοῖς ἔτεσι πρὸς αὐτῷ κτισθείσης πόλεως, αἴτιον ἐγενήθη τῇ πόλει τῆς ἐπωνυμίας), et a Phoenicibus fortasse באר את *puteus signi* (militaris), non *puteus miraculi* dictus sit. Quae Grotefendii coniectura quanquam ingeniose excogitata est, tamen ad Lilybaeum pertinere hos numos, non credibile est, quum huius moneta imagines prae se ferat a nostri numi imaginibus plane diversas (Mionnet T. I p. 249): neque magis eandem ob caussam ferri possent *Thermae Himerenses* (Mionnet ibid. p. 239 sqq.): contra et *Cereris*, quae Syracusis impensius colebatur, et *Pegasi* imago frequentissima est in *Syracusarum* moneta (v. Eckhel D. N. I, pag. 243. 244. 245. Mionnet T. I p. 290 sqq. 316 sqq.). In hac igitur urbe *fontem miraculi* quaerere iussi, haud ita diu haesitabimus Syracusarum situm locique naturam reputantes. Etenim in Syracusarum *Insula* s. *Naso* i. e. antiquissima urbis parte nobilissimus erat *fons Arethusae*, incredibili magnitudine pisciumque multitudine insignis, quem Alphei, Peloponnesi fluvium, esse, qui per ima maria in eam insulam permeaverit, vulgaris erat opinio (Strabo VI p. 187. Senecae quaest. natur. 3, 26. Plin. 31, 5), a plebe, qui mira quaeque (veluti *fimum* eum *redolere per Olympia*) de eo ferebat, atque a poëtis varie exornata (Aen. III, 692. Metam. 5, 573 sqq.): ut summo igitur iure *fons miraculi* vocari posset. Si quis forte miretur, fontis cuiusdam, etsi nobilissimi mentionem fieri in numo, eum memorem esse iubeo, etiam in graecis Syracusanis reperiri epigraphen *ΑΡΕΘΟΣΑ* (Eckhel D. N. I, pag. 246. Mionnet 1, 297): imaginem autem Arethusae non solum in Syracusanis, sed etiam in reliquis Siciliae numis frequentissimam esse: legatque is, quae ad caussam nostram egregie accommodata scite observat Eckhelius in Prolegomenis ad numos Siculos (D. N. T. I p. 185). „Amabant, inquit, Siculi in moneta sua proponere fluviorum suorum nomina et effigies. Eorum octo sunt comperti, Acragas Agrigenti, Amenanus Catanae, *Arethusa Syracusarum*, Asine Naxi, Chrysas Assori, Galas Gelae, Hipparis Camarinae, Hypsas Selinuntis. Eorum effigies sunt forma humana etc.“ Qui vero nobis occurrat (v. Grotefend l. c.), באר *puteum effossum* (φρέαρ) magis quam *fontem* significare, eum remittimus ad Gen. 16, 7 coll. 14. 24, 11. 13. 16, ex quibus locis apparet, eosdem fontes, qui באר vocati erant, mox עין vocari: neque facile aliquis dicat, Arethusae fontem sponte in superficie terrae, nec forte fodiendo ortum esse, ut באר recte

Digitized by Google

vocari non possit (vide de vocc. בּאר et עין discrimine thes. ling. hebr. T. I. p. 175). Ceterum nostram de huius numi origine sententiam magis etiam confirmabunt, quae de altero numo Syracusano statim disputanda sunt.

2. Huius hic typus est:

Caput Arethusae quattuor piscibus circumdatum (v. Panorm.) *ad sinistram.*)(*In citis quadrigis vir stans ad sinistram, supra victoria advolans corollam tenens.* Infra tres litterae Phoeniciae. AR. 6½. — Vide litt. D. ad exemplum Londinense, quocum convenit Parisiense apud Mionnetum T. I. p. 267 no. 484, tab. 20, no. 12, a quo non multum abest exemplum Parisiense no. 483 (no. 11), nisi quod unus tantum pisciculus iuxta epigraphen est. Contra in tertio exemplo Parisiensi no. 482 (no. 10), quod dedimus litt. E, tertia littera eadem est atque prima.

Imagines huius numi, quae simillimae erant in moneta Heracleensi, Syracusas suadere, nemo facile negabit. Caput enim muliebre piscibus cinctum non aliud esse quam Arethusae, docet eiusdem typi epigraphe graeca ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ (Eckhel I, p. 240) et in simili ΑΡΕΘΟΣΑ (ibid.): quadrigae autem in Syracusanis numis frequentissimae sunt (Eckhel p. 242. Mionnet I, p. 291 sqq.), ob caussam ab Eckhelio (p. 185) expositam.

Inscriptionem neminem tractare memini, praeter Bellermannum (III, p. 11. 12), quem consulto praetereo, et Hamakerum (diatr. p. 53. Miscell. p. 137), qui de errore, quem paullo superius refellimus (pag. 284) mediam huius epigraphae litteram etiam alibi obviam *Nun* esse sumens, אנא et אנת legebat, ad *Ennam* Siciliae hunc numum referens, cui praeter epigraphen (ut videbimus) etiam imaginum ratio repugnat, in Ennaeis plane diversa (Mionnet I p. 233). Quum post ea, quae pag. 31 laudata sunt, dubitari non possit, hanc figuram et puncto munitam (ut litt. D) et puncto carentem (litt. E) *Jod* litteram esse, certa est lectio

litt. D אירת

litt. E איא

i. e. אִירַת, אִיָא i. q. אִי *insula*, quarum formarum prior in Phoeniciis in stat. absol. usitatissima est (v. lib. IV cap. 4), quod h. l. non potest non nomen proprium loci esse.

Quae vero *Insula* intelligenda sit, ex nobilissima Syracusarum descriptione apud Ciceronem (Verr. Act. II. lib. 4 c. 52. 53) lectores discant. „Eorum (portuum) coniunctione, inquit, pars oppidi, quae appellatur *Insula*, mari disiuncta angusto, ponte rursum adiungitur et continetur. Ea tanta est urbs, ut ex quattuor urbibus maximis constare dicatur: quarum una est ea, quam dixi, *Insula:* quae duobus portubus cincta, in utriusque portus ostium aditumque proiecta est . . . in ea sunt aedes sacrae complures: sed duae, quae longe ceteris antecellunt: Dianae una, et altera, quae fuit ante istius adventum ornatissima, Minervae. In hac insula extrema est fons aquae dulcis, cui nomen Arethusa est . . . . Altera autem urbs est Syracusis, cui nomen Acradine est. . . . Tertia est urbs, quae, quod in ea parte

Digitized by Google

Fortunae fanum antiquum fuit, Tycha nominata est: . . . . . Quarta autem urbs, quae quia postrema aedificata est, Neapolis nominatur. . . .“ Graece antiquissima haec Syracusarum pars *Νᾶσος, Νῆσος* appellata est (Strabo VI p. 415. Diod. XI, 67), cui ad amussim respondet phoenicium אִיָּא, אִיָּת, quod ipsum fere nominis proprii vim induit, ut apud nos *Islandia*, *Isle de France*. Pertinet igitur hic numus ad eandem Syracusarum partem, in qua etiam priorem illum numum, qui *Arethusae* nomine insignitus est, cusum esse vidimus, nisi forte a Poenis *Insulae* (אִיָּת) nomen ab antiquissima urbis parte ad universam urbem significandam translatum est *).

In omnibus autem numis Syracusanis non alia emblemata reperiuntur, quam quae Siciliae domestica sunt, nulla, quae Carthaginis imperium prodant, ut in Panormitanis: unde recte colligas, hanc monetam a civitate Syracusarum in usum commercii cum Poenis, non a Poenis ipsis cusam esse.

XII. *MOTYE.*

Motye (*Μοτύη*) urbs Lilybaeo promontorio vicina, Thucydide (6, 2) et Pausania (Eliac. 1, 25) testibus a Phoenicibus et Libybus habitata, auctore Diodoro (14, 68) Carthaginiensium colonia erat, domorum copia et specie magnifica, nec non incolarum divitiis insignis. Huic urbi tribuo numum argenteum parvitate sua nobilem, de cuius inscriptione mira quaeque commenti sunt interpretes. Eius typus hic est:

Caput Medusae adversum.)(*Palma arbor*, in al. *Pagurus*, cum epigraphe quattuor litterarum. AR. 2. Vide litt. A. B ex exemplis Mionnetianis cf. T. I p. 269. 270 no. 502—505. tab. 20, no. 22. 23, ubi prior epigraphe male picta est. Non satis accuratae etiam delineationes Barthelemyi lettre à Olivieri tab. 4. Pellerinii Rec. III tab. 121. Suppl. IV, 13. Aliud exemplum, cuius duae tantum litterae postremae supersunt, dedit Neumann, num. inedit. T. II tab. 4.

In tertia maxime littera pingenda magnus est delineationum dissensus, sed in duobus exemplis Parisinis perbene conservatis, quorum ectypa ante oculos habeo et in tabula mea exhibui, haec littera vix alia esse potest quam *Vav*, unde oritur lectio

מטוא i. e. *Motye*,

quod ex usu loquendi Hebraeorum est *locus ubi netur* (Spinnerey) a rad. נָוָה nevit, ex usu Arabum, qui primariam radicis potestatem servarunt, *convolutio*, *complicatio* vel, quod malim i. q. طَيَّةٌ (pro طوية a طوى) *hospitium*, *quod quis petit*, *spec. longinquum*, a deflectendo, divertendo (cf. גור, זור). Quidquid autem de etymo statuis, orthographia certa est, et refellitur his numis coniectura Bocharti (Can. p. 509), qui *Motyam* a Phoenicibus מתוחה scriptam esse putabat. — Quod Lindbergius (p. 37) epigraphen nostram מטרה legendam et *Mazaram* Siciliae intelligendam censebat, id

*)Ceterum non desunt exempla typorum et epigrapharum, qui ad magnarum quarundam urbium *partes* referantur, veluti ad *Tychen*, tertiam Syracusarum partem (Eckhel I, p. 246), Neapolin Panormi (v. supra pag. 292).

Digitized by Google

per se non ineptum est: sed tertia littera in exemplis Parisinis Resch esse nequit. Longe autem a vero aberrat Hamakerus, qui (diatr. p. 41) אעבא legit et *Hipponem* Africae intelligit, falsa Mionneti delineatione (tab. 20, no. 22) deceptus, in qua pro prima littera Mem pictum est *Aleph*, pro tertia Beth. Sed poterant haec corrigi ex altero exemplo no. 23.

XIII. *COSSURA.*

Cossura, *Cosūra*, *Cosȳra* (*Κόσσυρα* Ptol. 4, 3, *Κοσσούρα* Strab. VI p. 191, *Κόσυρος* Steph. Byz.) parva est insula cum urbe cognomine inter Lilybaeum, Siciliae promontorium, et Africam sita, hodie Pantellaria dicta et plane deserta, olim licet sterilis (Ovid. Fast. 3, 567) tamen habitata et haud scio an metallurgis nobilis, id quod colligo partim ex Cabiri imagine in multis numis comparente (v. litt. E—O, cf. infra numos Malacae), partim ex numis aeneis magna copia in hac insula cusis, qui late per oras maris mediterranei disseminati esse videntur. Permulti in vetere Tolosa reperti sunt (v. d'Ennery catalogue p. 113): paene quinquaginta in insula Minorca (v. Alberto della Marmora Saggio sopra alcune monete fenicie delle isole Baleari. Torino 1834. 4, pag. 8, cf. Ephemerid. litt. Hal. 1836 no. 100).

Exempla horum numorum ediderunt d'Orvillius in Siculis tab. 15, no. —10, Castellus, Siciliae vet. numi, tab. 96. Barthélemy, in lettre à Oliviéri tab. 4, Swinton in Philos. Transactions LVIII p. 235, Bayer ad Sallust. p. 364 (cf. p. 31 sqq. et tab. 1 ed. germ.). Pellerin III, tab. 97. Neumann, numi inediti T. II tab. 4. Mionnet T. I. p. 340. tab. 20, no. 51.

Ratione epigraphes Punicae tres earum classes constituendae videntur:

1. *Caput mulieris peregrino cultu ad sinistram* (in Parisiensi exemplo ad dextr.), ante *victoriola corollam prae se ferens*, quae in aliis deest.)(Intra *coronam lauream* quinque litterae Punicae. Vide litt. A ad exemplum Pellerinii, quocum consentit Parisiense, nisi quod caput muliebre in antica ad dextram spectat; litt. B ad exemplum Bayeri tab. 1, no. 7. litt. C ad ex. Swintonis l. c.

His exemplis inter se et cum secunda classe comparatis nemo litterarum Phoeniciarum vel mediocriter peritus dubitabit, quin epigraphe legenda sit

אוכנם

Etenim *Aleph* in litt. B vulgare est, in litt. A et C eius generis, de quo dictum est lib. I §. 12 no. 1—3. 13—20, ubi eius potestas Aleph (non *Koph*) abunde probata est. Secunda littera *Jod* non minus certa est, et tres variae figurae egregie se invicem illustrant (cf. lib. I §. 21, no. 9. 20. 22): tertia littera in exemplo Pellerinii litt. *Resch* videri possit, sed in omnibus reliquis (B — O) et quotquot ipse inspexi, cauda sinistrorsum flexa est, ut nil dubitandum sit, eam *Beth* habendam esse, sive Pellerinius caudae flexum neglexit, sive Beth in hoc exemplo cauda recta pictum est, ut sine dubitatione factum est Tripol. 2, 1 (in רב) cf. p. 22.

Digitized by Google

Pellerinii autem exemplo non tantam fidem habuerim, in quo etiam *quinta* littera (quae in eo *Nun* est) male picta et ita supplenda esse videatur (solent enim hi numi detriti esse), ut *Mem* sit, quod omnia reliqua exemplа habent. Praeterea non negligendum est, litteras huius epigraphes hoc habere sibi proprium, quod caudis scapisque munitae sunt longioribus, quibus impleatur area vacua (vide pag. 18), et vel hanc ob caussam *Beth* litterae caudam minus inflexam esse. Quanquam igitur omnibus exemplis comparatis de illa lectione dubitari non potest, tamen Palaeographi in alia omnia abierunt. Ac Barthelemyus quidem quinque litteras (Mémoires de l'acad. XXX, p. 414 sqq.) legit קשרנם *Cossuranim*, Phoenicium insulae nomen cum graeco consentire ratus, cuius errorem licet saepe refutatum (v. Pellerin et Bayer ll. cc.) et ab ipso agnitum et retractatum (lettre à Oliviéri p. 43. Recherches sur les origines de Toulose p. 14. 15) tamen repetierunt Bellermannus (I p. 22) et Lindbergius p. 69., qui hoc uno errore ad plures alios eosque multo maiores deductus est (vide pag. 20. 31. 32), quippe qui hac lectione innixus plures figuras, quae *Aleph* sunt, Kophim facit, plures, quae *Jod* sunt, Schin. Tres litteras (קשר) male legerat Barthelemyus et qui eum sequuti sunt: in duabus, secunda et tertia, legendis aberrat etiam Bayerus, qui אשדנם legit et *Istonim* s. *Iston*, *Udenoen*, Libyae insulam (v. Steph. Byz. v. Ἰστός) intelligere vult: et in una tertia Koppius (Bilder und Schriften II, 196), quem sequitur Hamakerus (Miscell. 146), legens אירנם „*insula victoriarum*“ vel „*insula victorum*“, cui quid etiam a linguae rationibus obstet, iam supra (p. 282) dictum est.

Quid autem est illud איבנם? Equidem nil dubito (v. Ephemerid. Hal. 1825, no. 63. Palaeogr. Studien p. 64) quin pronunciandum et explicandum sit

אִיבְנִם *insula filiorum* s. *iuvenum*

(v. בָּנִים Cant. 2, 3); quo nomine apte appellari poterat *colonia*, iuventute ut plurimum constans: et levissimum sane est, quod nobis occurrit Hamakerus, id nominis ita aptum esse, ut cuivis fere coloniae tribui possit, certae cuidam designandae iccirco minus accommodatum: cui argumentandi generi respondimus in exercitatt. palaeogr. p. 64. 103. Illud autem non alius *insulae coloniaeve* nomen proprium esse quam *Cossyrae*, id ea horum numorum exempla evincunt, in quibus pro inscriptione Punica reperitur latina COSSVRA. Pellerin III, 97, no. 2. Mionnet I, 340, vide nostr. litt. D (in quo, ut hoc in transcursu observemus, figura intra coronam comparens non est „machina triangularis“, ut vult Lindbergius, sed vulgaris illa Baalis atque Astartes imago, v. inscr. Carthag. 1—3). Castellus de Turre Mucia habet etiam bilinguem numum, in quo praeter Punicam inscriptionem est *KOΣΣY:* sed de auctoritate eius subdubito, memor eorum, quae narrat Eckhelius (D. N. I, 259).

2. Secunda classis tum typo differt a priore, tum epigrapha, quae partim tribus cifris aucta, partim negligentius scripta est, et ita, ut litterarum figurae ad scripturam Punicam recentiorem s. Numidicam propius accedant: unde consequitur, huius classis exempla priore classe recentiora esse.

Digitized by Google

Cabirus (s. Pataecus) i. e. *nanus deformis succinctus dextra malleum, sinistra plerumque serpentem tenens: capite tribus cornibus s. radiis munito.* Ab utroque latere litterae Phoeniciae solitariae.)(Inscriptio איבנם cui accedunt tres cifrae, in nonnullis intra coronam, in aliis intra margaritulas in orbem positas. Exemplum litt. E ex Museo Lond. cf. Bayer tab. 1, 7. litt. F. G. ex Neumann. num. vett. inedit. II, tab. 4, litt. H ex Alberti della Marmora libro cit. tab. 1, litt. c, litt. I ex eodem litt. b, litt. K ex eodem litt. a. Cf. Mionnet T. V p. 471. tab. 30 bis, no. 3. 4.

Figurarum varietas in litteris איבנם Palaeographiae studiosis ad observandum utilissima est. *Aleph* in E. F. K vulgare, in G. H. I Numidico more pictum est: *Jod* in E. F. K vulgare est in Hispanicis et Numidicis, in G. H. I negligentius etiam pictum: *Nun* in his omnibus vix tale esse agnosceres, nisi ex primae classis figuris id certo constaret (cf. p. 38). Nulla enim certior est tutiorque via ad litterae cuiusdam incertae potestatem ipdagandam, quam ea quae in variis eiusdem epigraphae numariae exemplis comparandis cernitur (lib. I §. 11. Kopp II, p. 204): siquidem litterarum figurae temporis decursu facile mutantur, nomen ipsum perraro mutatur. Quam ipsam ob caussam non audiendus est perill. Alb. della Marmora (l. c. p. 10), qui in huius et tertiae classis exemplis aliter atque in prima legendum existimat, modo איבתם „*insula Baeticorum*", modo איבתא „*insula Baetica*", hosque numos insulis Balearicis tribuit, quas Baeticas appellatas fuisse existimat. Nemo enim facile negaverit, epigraphan in omnibus his numis (A — O) in universum eandem esse: variasque quintae litterae figuras *Tau* habere, per leges palaeographicas non licet. Possit ea *Schin* videri (vide pag. 46 no. 17. 18 ex numis Iubae): sed quis sibi persuadeat, nomen איבנם postea mutatum esse in איבשם (insula pudefactorum)? posset etiam pro *Jod* haberi, nisi huius ipsius litterae alia eaque certa forma statim praecederet: at *Nun* eam esse, et priorum exemplorum analogia evincit et bene explicari potest. Omnes enim istae figurae ex iis ortae sunt, quas ex numis maxime Sidoniis petitas supra in Palaeographicis (pag. 38) sub no. 14 — 17 recensuimus. De extrema littera nil dubii est: ea *Mem* legitimum est in E. F. K, Numidicum in reliquis, Aleph in nullo.

Difficilior est quaestio de tribus signis secundi versus, de quibus explicandis desperat Barthelemyus ad Olivierium p. 15, mira quaeque coniicit Lancius apud Alb. della Marmora p. 15. Nobis ea cifrae esse videntur, quarum extrema semilunaris etiam alibi *denarium* numerum indicat (p. 87), duae priores formae *H* (ut E. F. H. I. K) vel ח (litt. G) vel *Λ* (litt. L) nescio an *vicenarium* designant. *H* eandem potestatem habere atque *N viginti* ex aliis etiam numis apparet (vide p. 87): ἅπαξ λεγομένων autem *Π* et *Λ* potestas ex analogia conficitur, si modo certa est horum signorum auctoritas. Coniicere enim possis, pro ח in ipso numo (solent enim valde detrita esse haec numismata) *H* fuisse, pro *Λ* — *N*. — Quid sibi velit iste numerus *quinquagenarius* si quaeris, pro numi cusi anno ille haberi vix potest, quandoquidem in nimis multis varii commatis numismatis idem numerus comparet: fortasse annus

Digitized by Google

quidam in historia insulae memorabilis, v. c. libertatis vel autonomiae adeptae, indicatur.

Quotus sit ille Cabirus, quomodo appelletur, Sidik an Esmûn, non disquiro: lectores coniecturarum amantes remittens ad b. Muenterum et Alb. della Marmora l. c. pag. 27. Id unum observo, Cabirorum imaginem officinas metallicas indicare videri, ut in numis Malacae (no. XIX).

In uno exemplo, quod dedi litt. L, omisso אי, legitur tantum בנם (ut apud Eckhelium, syll. tab. 7), in quo eadem ellipsis esse videtur, atque in שָׁלֵם Gen. 14, 18. Ps. 76, 3 pro יְרוּשָׁלֵם, יַעַר Ps. 132, 6 pro קִרְיַת יְעָרִים, et in linguis nostris *St. Pauls* sc. *church*.

3. Tertiam classem constituunt tres eximii bilingues, quibus in lucem protrahendis nuper meruit perill. DELLA MARMORA in libello iam memorato, tab. 1 litt. d. e. f, apud nos litt. M. N. O.

M. *Caput principis nudum ad dextram.* GERMNICVS CAES.)(*Cabirus*, ut in cl. 2, a sinistra איבנם, a dextra INS AVG. (insula Augusti).

N. *Idem caput*, sine epigraphe.)(Eadem aversa, ut litt. M.

O. *Idem caput.* Circum AVGERM TI CAES.)(ut in litt. M. N.

De epigraphe Punica non est quod multi simus, nisi quod *Nun* novam etiam formam assumsit a Palaeographis diligenter notandam (v. lib. I §. 25 no. 19). *Mem* extremum, ut solet in scriptura Numidica, non multum differt ab *Aleph* initiali, at *Mem* esse eam litteram (non Aleph, ut volebat perillustr. della Marmora) docent exempla, quae laudavimus in Palaeographia (§. 24 ad no. 23). Plus difficultatis est in latina et in rationibus historicis. Numus M in honorem Germanici Caesaris cusus esse debet, cui multi coloniarum numi, etiam post obitum a Caligula filio, dedicati sunt (Eckhel D. N. VI p. 211. Rasche II, 1 p. 1419). Sed in numo O scriptura edita, quae supplenda esset *Augustus Germanicus Tiberius Caesar*, mihi suspecta est. Nam Tiberius Augustus nunquam, quod sciam, Germanicus appellatus est, neque legitimus ordo videtur: Aug. Germ. Ti. Caesar. Facilius *Caium Caesarem* s. *Caligulam*, Germanici filium, cogites, qui usque ad annum urbis 792 *Germanici* cognomen gessit, et haud scio an legendum sit AUGERMNI (Augustus Germanicus) pro AVGERMTI. *Insula Augusti* autem non potest non honorificum nomen fuisse, nunc primum quod sciam in lucem emergens, quod *Cossura* ab Augusto, sive Tiberius hic erat, sive (quod malim) *Caligula*, obtinuerat. Insularum Balearium unam intelligere mavult Alb. della Marmora: sed, ut vidimus, caussa idonea nulla.

XIV. *GAULOS.*

Gaulos (*Γαῦλος*), freti Siculi insula prope Melitam, cum oppido cognomine teste Diodoro (5, 12) portuum commoditate praestans, a Phoenicibus primum frequentata (*Φοινίκων ἄποικος*), hodie *Gozzo* dicta. *Γαῦλον πόλιν* memorat Scylax in Periplo p. 118: *Γαῦλον* autem, *Gaulon* (per l) scribunt tum scriptores veteres (Steph. Byz. h. v. Plin.

Digitized by Google

3, 8. Mela 2, 7. Sil. Ital. 14, 275. Solin. Martian Capella al.) tum inscriptionum auctores (v. Spon. Miscell. p. 190. 192), praeter unum Strabonem, apud quem libri manuscripti habent *Γαῦδος* (I p. 44. VI p. 277. VII p. 299 Casaub.), quae forma a Criticis vix sollicitanda confirmatur arabico غودش apud Edrisium p. 197 et melit. *Gaudesch* (Vassalli Lex. melit. p. 323), unde ortum videtur hodiernum nomen Gozzo. Hamakero (Miscell. p. 141. 142) haec posterior forma primaria et nativa esse videtur a Phoeniciis fortasse גודש scripta q. d. *νῆσος φακόεσσα insula lenticularis*, unde litteris d et l permutatis ortum sit *Gaulos*, quod tamen parum credibile est: contra *Γαῦδος* غودش, *Gaudesch* recentior videtur forma ex illa per corruptionem orta, et *Γαῦλος* graeca vox esse videtur, origine eadem atque *γαυλός* (secundum Grammaticos etiam *γαῦλος*, v. Schweighäuser ad Herod. 3, 136) navis oneraria, maxime Phoenissa (Herod. 3, 136. 137. 8, 97).

Huic insulae vulgo tribuuntur, nec (ut videbimus) sine magna veri specie hi numi *φοινικικῶς* inscripti:

A. *Caput muliebre velatum et diadematum ad dextram.*)(*Osiris cum flagello et lituo, pedibus arcte iunctis, ab utroque latere duae figurae eum adorantes.* AE. Supra tres litterae אבן. Vide litt. A ex exemplo Musei Britannici. Eundem numum dederunt Swinton in *Allgemeine Welthistorie* T. XV. Bres Malta illustr. tab. 1. Muenter antiq. Abhandl. tab. 1. Lanci de monum. Carpentoract. tab. 2 (quae quidem delineatio ornatior est quam accuratior). Mionnet I p. 341 no. 8.

B. *Caput nudum ad dextram, crinibus et barba crispatis* (ut in numis Iubae). Ante *caduceus*.)(*Intra coronam lauream tintinnabulum*, infra litterae אבן. Æ. Ex eodem, cf. Pellerin Rec. III, tab. 104. Mionnet I, 341.

C. Ut litt. A.)(. *Tripus*, ab utroque eius latere bis repetita epigraphe אבן. Ex eodem, cf. Bres Malta illustr. tab. 3.

D. Eadem adversa.)(*Caput arietis ad dextram*, infra אבן. Ex eodem, cf. Dutens diss. 1. tab. 2 et p. 118 in fronte. Pellerin l. c.

Praeter quattuor hos numos integros litt. E. F. G exhibemus tria epigraphes exempla ex numis Gothanis (v. Kopp. II, 194), et litt. H. 1—36 triginta sex alia a Lindbergio (tab. 4. 5) ex numis Hauniensibus (perfrequentes enim hi numi) petita, quorum nonnullis, de quibus subdubito, interrogandi signum apposuimus. Tot autem cumulavi exempla, ut tandem de huius inscriptionis, admodum perspicuae illius, lectione conveniret inter eruditos, quorum mira est in his legendis licentia, tantusque dissensus, quantus vix esse solet in rebus ex sola coniectura pendentibus. Legunt enim, ne Fourmontium memorem similisque farinae Palaeographos de quibus retulit Eekhelius III, 418, modo אלל (Bayer ad Sallust. p. 349. Lanci de monum. Carpentoract. p. 54 sqq.), modo אלן (Hamaker. diatr. 29 sqq. Miscell. 48. 141, qui dubius haeret inter אלל et אלן), modo קנן (Dutens p. 58. Lindberg p. 29), et adeo קלן (Swinton in Philos. Transact. LX p. 91) atque ארן (O. G. Tychsen ap. Hartmann II, 2 p. 598.

Digitized by Google

603); unus Koppius (II, p. 197), quod sciam, recte legit אנן, quod tam certum est, ut non possis non illam eruditorum discordiam cuidam artis palaeographicae infantiae tribuere. Nam *prima* littera in aliis est Aleph maxime vulgare (vide litt. A. C. F. G. H. 5—8. 11—14. 17. 18. 19. 20. 22. 29. 31. 32. 34. 36) in aliis (B. D. E. H. 2. 3. 4. 9. 10. 15. 16. 23—28. 35) figuram habet a dextra clausam, quam primariam et nativam huius litterae fuisse ostendimus p. 19. 20. 21, in paucis (H. 30. 33) imperfectiorem illam, quae etiam Athen. 3. Cit. 20, 1. 33, 1. 3 habetur: et plane repudianda Lindbergii opinio, qui falsa monetae Cossuraeae lectione deceptus et errore inde hausto paene occaecatus a Gaulitanis et Cossurensibus certe ק litteram ita scriptam censet, ut ab *Aleph* vix differret. „Quomodo Gaulitani et Cossurenses, inquit, inter א et ק distinguerent, ob monumentorum penuriam definiri nequit: id tamen verisimile videtur, eos א figura a vulgari haud parum diversa scripsisse [imo scribebant א ipso vulgari modo]. Ceterum [ita ipse fatetur L.] per se facile intelligitur, *insuetas* litterae ק formas [sed unde apparet, eas ק esse?] ex his numis collectas ad alia monumenta explicanda non temere esse adhibenda.“ — Secunda autem et tertia littera, *quae in omnibus exemplis eadem est*, ubique crus habet femore multo longius, et propterea *Nun* est, non *Lamed*.

Missis igitur omnibus interpretandi periculis, quae a falsa lectione profecta sunt, de quibus vel uberius referre taedet *), videamus, quid significare possint litterae אנן, quas *Gauli insulae* Phoenicium nomen continere admodum probabile est (vide quae de nominibus urbium et locorum Phoeniciis disputavimus infra lib. IV, cap. 3). Duplex autem in his interpretandis ratio iniri potest, prout אנן aut simplex vocabulum esse statuimus aut compositum. Si prius est, אנן litteras pronunciare licet אָנֹן vel אֳנָן, ut idem valeat quod אֳנִי *navis*, et nomen Phoenicium congruat cum graeco *Γαῦλος*, quod navem mercatoriam significare supra vidimus. Ita Koppius (II, p. 197), in una re vituperandus, quod ן appellativis adiectum nominibus propriis formandis inservire putat, ut אֳנִי sit *γαῦλος*, אנן *Γαῦλος*. Nil vero obstat quominus אנן (sive אָנֹן, sive אָנוּן, אֳנָן pronunciandum) idem significare et ab eodem verbo ductum censeatur, unde אֳנִי navis, ad similitudinem formarum הֵרֹן a הָרָה, כָּדָן, תְּכֵן a נָדָה, תְּנָה, גָּאוֹן a גָּאָה al. — Sin autem compositum est אנן, pronunciari potest אִינוּן *insula piscis* vel *piscium*, vel אִי נִין *insula prolis* s. *sobolis;* quod idem fere valet ac אִי בָנִים (Cossura); sed illud tamen praefero, cum אי insula in Cossurae nomine plene (אי) scribatur (cf. tamen עבעל pro עיבעל Numid. 1).

Superest quaestio de patria huius monetae, quam plerique quidem *Gaulo*, alii tamen (ut Honor. Bres, Hamakerus l. c.) *Melitae* tribuunt: quanquam neutri argu-

*) Lancius אלל explicat: אֱלֵל pro אֱלְאֵיל *deus aries* et *Jovem Ammonem* intelligit, collata arietis imagine in litt. D; Hamakerus אֵלֹן *quercus*, quod fortasse Melitae insulae nomen fuerit; Swinton קלן effert *Caulin* fortasse i. q. Gaulos; Lindbergio קנן idem significare videtur quod *γαυλός* (uter, cadus) coll. ܩܘܠܩܠܐ, قنينة ampulla, sam. קלצל canistrum.

mentis usi sunt ad persuadendum satis idoneis. Qui pro Melita stant et אגן hanc insulam (non Gaulum) significare putant, provocare possint ad cultum Osiridis (litt. A) etiam in aliis Melitensium numis conspicuum (Eckhel 1, 268. Mionnet 1, 342), adque alia quaedam sacrorum Aegyptiacorum in hac insula vestigia (v. ad עבראסר Melit. 1): Gauli vero patroni ad monetam nostrae similem (quanquam non eandem), cuius typus hic est:

Caput muliebre supra lunulam.)(*Miles gradiens dextra hastam intorquens*, hac epigraphe *ΓΑΥΛΙΤΩΝ* Mionnet I p. 341: eique praeterea favent, quae supra de congruentia vocc. *Γαῦλος* et אגן dicta sunt, quum contra *Μελίτη* ipsum nomen Phoenicium esse videatur (p. 92). Poterat etiam Osiridis cultus apud Gaulitanos non minus vigere, quam apud vicinos Melitenses. Sed ut verum dicam, desunt rationes prorsus certae et indubitatae, quae hos numos Gaulo vindicent, et quanquam credibilis est haec eius origo, non tamen certa et explorata. Ceterum numus Bodlejanus nostro litt. A similis, sed bilinguis, additam habens epigraphen graecam *Βασιλίσσης Φιλίστιδος* (Swinton, in Phil. Transactions LX p. 80) ita suspectus est, ut in hac caussa nullus eius usus sit (v. Eckhel 1, 265).

CAPUT QUARTUM.

NUMI PUNICI HISPANICI.

Moneta in Hispaniae Baeticae urbibus maritimis, ut Gadibus, Abderae, Malacae, cusa et Punice inscripta, maximam partem aenea, multo rudiore arte facta est, quam Siculo-Punica, et litteris inscripta, quae pleraeque inferiorem aetatem produnt et in multis ad scripturae Numidicae similitudinem accedunt: id quod confirmant etiam nonnulli bilingues, qui Tiberii imaginem nomenque gerunt. Prioris aevi Palaeographi et Numismatologi plerosque huius generis numos Gadibus tribuerunt: a quibus segregandos esse Abderitanos primus docuit Bayerus, Sextanos et Malacenses addidit Lindbergius, quibus nunc accedent Belani. — De Florezii, Velasquezii, Sestini libris, qui una cum reliquis numismatis Hispanicis etiam Hispanicas Punicas illustrarunt, v. pag. 6. 7.

XV. *GADES.*

De veterum Gadium situ, mercatura, divitiis et opulentia v. prae ceteris Strabonem III p. 168 Casaub. sqq. et quae docte congessit Bochartus, geogr. sacr. I c. 34. Nomen eius apud Phoenices et Poenos fuisse *Γάδειρα*, *Gadir* (גדר) et *septum* significare complures veteres observant, ut Dionys. Perieget. 456. Hesych. *Γάδειρα, τὰ περιφράγματα, Φοίνικες.* Sallust. fragm. apud Prisc. 5, 648. 698. Festus Avien. descr. orbis 268. 615. Plin. 4, 36.

Digitized by Google

Numos urbis Punice inscriptos, qui in omnibus Museis exstant (in solis Hauniensibus Lindbergius 82 exempla vidit) multi vel ediderunt vel descripserunt, ut Florez Medallas de España tab. 37. Velasquez Ensayo tab. 17. Sestini p. 49. 50. tab. extr. Dutens diss. II p. 152. III tab. 2. Bayer ad Sallust. p. 373 (tab. 4 ed. germ.), de numis hebraeo-sam. tab. 5. Vindic. p. 1. Mionnet T. I p. 12 no. 77 sqq. cf. tab. 19 (ubi quidem plures male picti sunt). Lindberg pag. 13, praeterea tractarunt Bellermannus I, 29. Koppius II, 206.

Secundum epigraphen tres eorum classes facimus:

1. Primae classis praecipui typi sunt:

Caput Herculis imberbe exuviis leonis tectum ad sinistram, pone *clava* (in aliis: ante clava).)(*Duo thynni situ parallelo*, inter eos *lunula cum globulo et littera* ת. Supra מבעל, infra אגדר. AE. Vide litt. A ad duo exempla Londinensia, cf. Bayer tab. 4, 14 ed. germ.

Eadem adversa.)(*Thynnus unus ad sin.* Eadem epigraphe partim supra, partim infra. AE. 5. 3.

Eadem adversa.)(*Delphinus ad d.* Eadem epigraphe. AE. 3. 2. Exempla in Museis Hauniensibus et Londinensi obvia sunt.

Epigraphe in plerisque tam perspicua et bene conservata, ut dubitationi locus relictus non sit, et nil fere differt ab his, quas dedimus litt. A et C-bis (ex Museo Brit.). Reliqua exempla, quae notatu digniora videbantur, D—H ex Parisiensibus desumta sunt, quae Hohlenbergius nostrum in usum comparavit (litt. D. Mionnet no. 86., litt. E inedit., litt. F. Mionnet no. 83. 84., litt. G no. 89. litt. H inedit.), atque in litt. F observanda *Daleth* et *Resch* capitibus infra apertis, ut in Abderitanis, in G *Lamed* ad sinistram versum (vide pag. 290), in H, ubi altera pars manca, Ain auritum. In Mionneti horum numorum delineationibus (tab. 19) plura sunt, quae emendes. Nam no. 5. 6 convertenda sunt, ut summa ima fiant, no. 10 et 12 litterarum Daleth et Resch teste Hohlenbergio caudae inflexae esse non debent, no. 13 litterae Daleth cauda restituenda est, no. 14 in ipso numo (no. 88) est vulgare illud מבעל, non ממעל, quod teste Hohlenbergio in nullo exemplo Parisiensi reperitur. Non minus dubitandum de exemplo Bayeriano no. 16 in quo *Lamed* pictum est duplici crure, quod nunquam factum esse spoponderim. Ridiculo denique errore, quem suum fecit Lindbergius (pag. 13), Sestinus in uno pro מבעל dedit litteras latinas COER. Quovis enim pignore certabo, eum in numo vidisse

COIX

idque nonnullis lineolis ex ingenio additis legisse

COEX

i. e. COER, cf. infra Swintonis artes in numis Iubae.

Digitized by Google

De interpretatione non multum dubii est. Litterae, quas iam Rhenferdus (Opp. p. 735) recte legit

מבעל אגדר

interpretandae sunt

מִבַּעֲלֵי אַגְדָּר *a civibus Gadium.*

מ est מן auctoris, ut in moneta Beli F. F bis. G (non in Panorm. H. I., ubi *Schin* legitur) cf. de hoc eius particulae usu Jes. 22, 3. 28, 7. Lex. man. p. 585. בעל pro בַּעֲלֵי, ut שן בן pro שְׁנֵי בְּנֵי Melit. 1, cf. numos Sextanos et Tarsenses, nihil enim est quod opponit Hamakerus (Misc. p. 85 inf.), vocabulorum בן pro בני et בעל pro בעלי aliam esse rationem. Articulus in hac numorum classe ubique א est, ut in altera ה. Reddidi autem: *cives Gadium*, non, ut Velasquez, Dutens, Lindbergius, *domini Gadium*, et in secundae classis epigraphe: בעלת הגדר *civitas Gadium*, non *senatus* s. *dominium* Gadium (Hamak. Misc. p. 85): tum propter loquendi usum Veteris Testamenti, in quo בַּעֲלֵי עִיר nunquam non sunt *cives urbis* (v. Thes. ling. hebr. I, p. 224), non domini eius (licet fuerint, qui nonnullis in locis ita interpretarentur), quocum convenit Phoenicum usus (v. Athen. 3), tum propter ipsius rei naturam. Sive enim autonomi sunt hi numi, sive sub Romanorum imperio cusi, omnes hae civitates olim liberae et mercatura florentes, tam acres erant civium libertatis propugnatores, ut vix et ne vix quidem numos a *dominio* l. senatu, non a *civibus* s. civitate cusos concessissent: Romani vero in his rebus non difficiles urbibus hanc libertatis speciem facile indulgebant.

Quod Bayerus et Tychsenius (N. Act. Upsal. VII, p. 98) pro מבעל legunt מפעל *opus Gadium* et in secundae classis numis פעלת (פְּעֻלַּת) eadem sententia, id non adeo ineptum est, quum secunda littera revera etiam Pe esse possit (p. 41), sed *primum* tres illae litterae ל ס) = בעל tam frequentes sunt in Phoeniciis, ut alio atque vulgari modo eas legere religio sit (palaeogr. Studien p. 65); *dein* מִפְעָל et פְּעֻלָּה *opus* in Vetere certe Testamento nonnisi poëtice dicuntur pro מַעֲשֶׂה *opus*, *fabrica*, et magis de Dei operibus frequentantur, quam de fabrica humana; *denique* prior lectio commendatur similitudine numorum Tarsensium, in quibus lectio בעל non dubia est. Non magis probandae sunt aliae nonnullae lectionis vulgaris explicationes, ut Koppii (B. und Schr. II, 208) מִבַּעַל אגדר „propter dominum (in honorem domini) Gadium“ i. e. Herculis; Dutensii et Bellermanni (I, 29) מְבַעֵל אגדר *dominator Gadium* (nam Piel in hoc verbo non usitatum est): Dan. a Coelln (ad Zeph. p. 8) מ' בעל pro מלך בעל.

Denique observatu dignum est, exstare etiam exempla, quae in antica supra *delphini* imaginem pro מבעל unam litteram מ, infra pro אגדר unam litteram א habeant (Lindb. p. 14 cl. IX), in quibus igitur litterae מ et א manifesta scribendi compendia sunt indici nostro p. 54 contexto addenda. Intelligimus autem ex hoc exemplo, cuius explicationem sola coniectura nemo unquam recte assecutus esset, nisi integra epigraphe tam crebra esset, quantum lucis lateat in litteris illis solitariis, quae haud dubie integrarum

Digitized by Google

formularum compendia sunt, si modo certum eas interpretandi fundamentum exstaret. — Quod in nonnullis, quos laudat Lindbergius p. 15 pro אגדר — אג legitur, de eo dubito, utrum compendium sit an pars commatis perierit, quum אג in margine numi compareat.

2. Secunda classis multo rarior hunc typum habet:

Caput Herculis, ut cl. 1.)(*Delphinus tridenti implicitus ad sin.* Supra et infra epigraphe בעלת הגדר. Vide litt. B sec. Bayerum tab. IV, no. 16 (ubi tamen altera delineatio minus fida), litt. I ex Paris. inedito, quem Hohlenbergius mihi delineavit, litt. K ex Mionnet no. 98 (delineatum ab Hohlenbergio, quocum convenit Lindbergius tab. IV no. 4), litt. L ex Paris. inedito, in quo Tau et Aleph vix integra, litt. M ex Velasquez Ensayo tab. 17 no. 14.

Huic classi peculiare est, quod pro א articuli ubique ה scriptum est, et soli negligentiae tribuendum censeo, quod Lindbergius (p. 14) eam legit בעלת אגדר (cf. tab. IV, 4). Pronuncianda et explicanda autem inscriptio:

בַּעֲלַת הַגָּדֵר *Civitas Gadium*

non: *senatus* (v. ad no. 1), multoque minus: „*dominantes Gades*" (pr. domina Gades), ut Koppius (1, 208), nedum *praedita munimento* (Hamak. Miscell. p. 85), ut בעלת הגדר integrum sit Gadium nomen, ut בעל מעון et מעון, בעל חצור et חצור. Est autem בעלה *civitas* abstractum pro concreto positum, *civium*que *universitatem* significat, ita ut femininum eandem vim habeat atque Pluralis (v. gramm. hebr. §. 105, litt. c) et בעלת הגדר idem sit quod בעלי הגדר. Intelligis iam, quid sit quod idem oppidum in septentrionali parte Judae situm, quod בַּעֲלָה vocatur Jos. 15, 9. 1 Par. 13, 9, etiam בַּעֲלֵי יְהוּדָה appelletur 2 Sam. 6, 1, cf. Thes. ling. hebr. p. 226.

3. *Caput Herculis.*)(*Thynnus ad dextram.* Epigraphe supra et infra מהלם אגדר. Vide litt. C. ex Bayeri exemplo l. c. cf. Florez tab. 27.

Si certa est huius epigraphae, quae perrara esse videtur (neque Parisiis est neque Londini), scriptura, recte eam legerunt et interpretati sunt Bayerus et Tychsenius:

מהלם אגדר *percussura* (*κόμμα*) *Gadium* (Gepräge von Gades),

a הלם feriit, percussit, quod ad pecuniam cudendam transferri poterat, ut arab. ضرب, lat. *ferire*, gr. *κόπτειν*, nostr. *Geld schlagen*, hisp. *herir moneda*. Est autem *percussura Gadium* non minus apta inscriptio, quam in innumeris turcicis ضرب في قسطنطنية *cusus est Constantinopoli*, id quod Koppio respondendum est, qui monetae nomen (quanquam non hoc, sed *percussura* memoratur) in moneta frigidissimum esse affirmat. Ceterum subdubito, sitne in numo ipso scriptum



quod legerim מחתם a חתם signavit, sigillum impressit arab. ختم signavit, pecuniam signavit. — Quod Koppius et Lindbergius dant: מהנם אגדר (מֵהֹנִם אַגָּדֵר) *ex divitiis Gadium*, vel *ex divitiis*, *Gadibus*, neque per litterarum figuras, neque per gram-

Digitized by Google

maticam licet, neque aptum est ad sententiam, quia ad numum cupreum parvi moduli cudendum non opus erat divitiis.

XVI. *SEXTI.*

Monetae Gaditanae simillimum est aliud horum numorum genus, quod olim *Canacae* aut *Concanae* tribuerunt (v. Rhenferdii peric. Phoen., Velasquez Ensayo p. 154. Bayerum ad Sallust. p. 371 sqq. p. 48 ed. germ., Bellermann II, p. 23), *Sextis* nuper vindicatum ivit LINDBERGIUS, in Commentatione de numis Punicis Sextorum, olim Canacae et Concanae tributis, quae ex Miscellaneis Hauniensibus seorsim typis exscripta est Hauniae 1824. 8.

Exempla eius dederunt Velasquez tab. 17. 18. Florez tab. 27. Sestini tab. 2. Bayer ad Sallust. 371, tab. 4 ed. germ. Mionnet I p. 12. tab. 18, no. 1—3. 19, no. 19. Suppl. I, p. 25. tab. 5, no. 3. 8. 9, ex his Lindbergius in tabula libello suo adiecta. Duae maxime eius classes sunt:

1) *Caput Herculis imberbe exuviis leonis tectum ad dextr.* (raro ad sin.), pone *clava* (in al. *sinistro humero imposita*).)(*Duo thynni ad sin.* (in all. ad dextr.), inter eos epigraphe margine quadrato cincta, quam Lindbergius legit מבעל צכץ. Infra lunula cum globulo, in nonnullis supra est stella. In aliis exemplis lunula et stella sunt intra pisces, epigraphe partim supra partim infra. AE. Vide litt. A ad exemplum Bayeri no. 1. (tab. 4, 7). Cf. Velasquez no. 1. 3. 5 et 2. 4.

2) *Caput Herculis*, ut supra. In aliis: *Caput virile nudum imberbe ad d.*, item *caput galeatum ad d.*)(*Duo pisces*, inter quos צכץ, in aliis *piscis unus ad d.* infra eadem epigraphe, in aliis *prora navis*, supra epigraphe. Vide litt. H. I. K ex exemplis Bayeri tab. 4, no. 9. 10. 11. Quibus fortasse accedit tertia:

3) *Caput barbatum ad sinistram.*)(*Duae spicae.* A sinistra litterae תנת, v. N, in alio (v. litt. P) מבעלי תנתנת.

In duabus prioribus classibus urbis nomen est, cui in priore accedit מבעל i. e. מִבַּעֲלֵי *a civibus*, plane ut in Gaditanis, nisi quod litterarum formae ad Numidicam formam propius accedunt. *Mem* enim, quod recte et primus fere omnium agnovit Lindbergius (pag. 17 sqq.), quum priores interpretes, in his Hamakerus (Miscell. p. 84) *Tau* esse putarent, in plerisque cruciforme est, ut in Malagensibus (cf. p. 36 no. 18), in uno (litt. Q) dubium. Eo maior autem difficultas est in urbis nomine, quod in aliis exemplis aliter pingitur, quamvis vix dubitari possit, quin idem ubique nomen sit (cf. numos Cossuraeos, no. 13). De qua varietate, quae forte maior etiam est in editis exemplis, quam in ipsis numis (quorum pauciores ipse examinare potui), ut integrum esset lectorum iudicium, in variis epigraphes exemplis depingendis non parcus fui, quorum fontes h. l. indicare placet. Initium autem fecimus ab iis, quae certioris fidei sunt. Ac litt. B est ex ectypo Mionneti, Gad. no. 79 (Mionnetus enim hos numos inter Gaditanos recenset). litt. C, in quo punctum est inter duas voces, ex eod. no. 78. litt. D. ex Velasquez tab. 18, 3. litt. E. ex eodem no. 1. litt. F. Sestin. tab. 2, no. 11. G. ex exemplo Parisiensi, quod delineavit Hohlenbergius, v. Mionneti tab. 19 no. 19. H. I. K. ex Bayerianis (v. supra). L. ex Parisiensi

Digitized by Google

(Hohlenb.). M. ex Mionneti suppl. I pl. 5 no. 3. N. ex exemplo Parisiensi ab Hohlenbergio delin. Mionnet. no. 678. O. ex alio Mionnetiano eiusdem typi atque N. P. ex Velasquez tab. 18, 7. Q. Bayer tab. 4 no. 8. R. Florez. tab. 27, 6. S. Lindberg no. 10 (cuius fontem indicatum non reperi). T. Mionnet tab. 18, 3 (in quo scapus litterae Tau omissus est, ut litt. F.

In legendo urbis nomine pristinam eorum sententiam, qui קנק (Canacam, Concanam) legebant, nihil moror, tum quia prima et ultima littera ק esse non possunt, tum quia illae urbes tam exiguae sunt et nullius momenti, ut vix memorentur a geographis. Non contemnenda autem Lindbergii ratio, qui tres litteras (ut diximus) legit צכץ et Hispaniae Baeticae urbem maritimam intelligit *Sex* (Ἕξ), item *Sexti* (orum) et *Firmium Julium* dictam, inter Malagam et Abderam sitam, de qua videndi sunt Strabo, Mela, Plinius ap. Cellarium I p. 74. צכץ enim domesticum eius urbis nomen fuisse statuit, quod Latini in *Sex* contraxerint, ut פַּלָּגְשׁ *παλλαχίς* contractum est in *πάλλαξ*, *pellex*. Nam media littera in plerisque exemplis (A. C. D. H. I. K. L. Q) manifestum est *Caph:* prima et tertia in multis omnino litterae *Zade* similis est (vide maxime A. B. C. R. S, in F et T scapus a sinistra deest). Propterea ei toti assensimus in Ephemerid. Hal. 1825 no. 64 et exercitatt. palaeogr. pag. 65, de etymo quoque, quod intactum reliquerat Lindbergius, coniecturam addentes (צכץ pro צכצך, ut שַׁרְשׁוֹת catenae Exod. 28, 22 pro quadril. שַׁרְשְׁרוֹת, idque pro צחצח *apricus*, ח et כ inter se permutatis, ut אכת pro אחת soror, in Sidoniis). Postea tamen dubitationes nobis subortae sunt, novaque sententia (quam supra tetigi pag. 47. 117) placere coepit, tres illas litteras תנת (תַּנִּית) legendas esse, quod proprie *Tanaïtin* s. deam Coelestem Poenorum (p. 117. 168) significaret, h. l. autem n. pr. sit oppidi *Tingis* (*Τίγγις*) in Mauritania, e regione Gadium siti, quod ab illius deae cultu hoc nomen acceperit. Namque 1) littera media in exemplo F manifestum est *Nun:* eandem vim habere possunt figura in litt. E et omnes, quae Caph litterae speciem habent, quum huius figurae Nunim etiam alibi exstent (p. 37. 38). 2) In prima et tertia littera offendebat pars dextra nimis longa et deorsum flexa v. c. I. K, offendebant etiam figurae superne rotundae in B. D. E. L, quae hanc litteram *Tau* esse suadebant, cf. Tau scripturae aramaeo aegypt. (tab. 4) et Palmyrenae (tab. 5). Accedebat 3) tertiae classis epigraphe (v. N. O. P), in qua prima et tertia littera manifesto *Tau* est, altera in N. O. *Nun* esse videtur, cuius femur periit, in qua igitur lectio תנת admodum probabilis est. תַּנִּית s. תִּנִּית *Tinnith*, *Tinnis* efferri poterat *Tingis*, sicut latine permutantur *annus* et *agnus*, *stannum* et *stagnum* (thes. ling. hebr. p. 340). Nec improbabilis videbatur eximia haec pecuniae Gaditanae et Tingitanae similitudo, quum hae urbes parvo freto separatae, mercaturae commercio arctissime iunctae essent, adeoque *Tingitana* sub recentioribus imperatoribus Hispaniae provinciis annumerata sit (Isid. Etym. XIV, 4. Mannerti Geogr. X b, p. 393). Nihilominus fatendum est, etiam huic coniecturae plura obstare. Minime enim certum exploratumque est, illam tertiae classis epigraphen (N. O. P.) eandem esse, quae in reliquis habetur: et haud paucae mediae litterae figurae (B. M. N. O. R. S. T) ita comparatae sunt, ut (quae nostra est Palaeographicae artis

Digitized by Google

scientia) ad neutrum, neque ad Caph, neque ad Nun, referri possint. Fortasse igitur tertia classis a duabus prioribus separanda, et haec cum Lindbergio, *Sextis*, illae ex nostra coniectura *Tingi* tribuenda est: quanquam nihil certi definio, donec multa horum numismatum exempla ipse examinavero.

De nonnullis exemplis pauca dicenda supersunt. Namque in litt. G. Lindbergius (l. c. p. 28 sqq.) signa vocalia agnoscere sibi visus est, quae in Phoeniciis neque reperiri neque exspectari posse iam supra (p. 56) diximus. Quattuor priores litterae integrae sunt, duo *Zade* autem inversa et praeterea fracta, cf. Mionnet pl. 19, no. 19. — In Q prima littera (quam non bene imitatus est Lindbergius no. 2) mihi suspecta est et fortasse non differebat a figura in reliquis. In litt. P plenior est epigraphe:

מבעל

תנחגת

Sed num certum sit adiectum גת et quid significet, in epigraphe ἅπαξ λεγομένῃ difficile dictu. Potest *fortunam* significare i. q. גד, cf. עת pro עמת populus, לַת pro לָדָת) et non absurdum est, deam תנת et propterea etiam urbem ab ea appellatam, תנחגת appellatam cogitare, ut in V. T. גַּבַּע גֶּד de oppido ad Libanum Jos. 11, 17. 12, 7.

XVII. *ABDERA.*

Abdera (Ἄβδηρα, Ἄνδηρα) oppidum erat Hispaniae Baeticae maritimum, ibi situm, ubi hodie *Adra*, teste Strabone a Phoenicibus conditum (III p. 157 Casaub.). De numis eius docte et subtiliter egit F. P. Bayer ad Sallust. (p. 46 ed. germ.), penes quem quadraginta erant huius monetae exempla omnia in vicinia Adrae reperta. Praeter eum hos numos ediderunt Florez tab. 27. Velasquez tab. 27. Sestini tab. 1. cf. Mionnet I, 13 tab. 19 et Suppl. I, p. 9. 10. 117, tab. 5. Typi eorum sunt:

Templum quattuor columnarum.)(*Duo thynni ad sin.*, inter eos epigraphe עבדרת. AE. Vide nostr. litt. A. ex Bayero tab. 4 no. 2 ed. germ. litt. B. ex exemplo Parisiensi (simile habet Bayerus no. 4). litt. C. item ex Paris. (cf. Bayer no. 1).

Caput galeatum ad d.)(*Thynnus et delphinus*, inter quos eadem epigraphe. AE.

Caput nudum ad d.)(*Delphinus*, infra epigraphe. AE.

Caput Tiberii laureatum ad d. AVGVSTVS. TI. CAESAR DIVI. AVG. F. *Templum quinque columnarum*, quarum secunda et quarta piscis formam habent: in fronte inscr. Punica, intra columnas ABDERA. Vide litt. D. ad exempl. Paris. cf. Bayer no. 6.

Epigraphen, quamvis variis modis scriptam, legendam esse

עבדרת

et ad amussim respondere inscriptioni latinae *Abdera*, explosis superioribus interpretibus, quorum alii litteras Punicas cifras arabicas (1999o), alii piscatus instrumenta esse crediderunt, evicit Bayerus l. c., ut mireris novum Hamakeri commentum, qui (diatr. p. 50) numi bilinguis, quem dedimus litt. D, inscriptionem עלנן *(Superi)* legendam putabat.

Digitized by Google

Quae quanquam satis certa sunt, tamen de litterarum figura variisque exemplis nonnulla animadvertenda sunt: in quibus non negligendum est hoc, apud Bayerum alias accuratissimum litteras בדר in עבדרת paene sine discrimine pictas esse, quod secus est in ectypis Mionnetianis et in ipsis numis ex delineatione Hohlenbergii, quam in plerisque secutus sum. In exemplis autem nostris eum secuti sumus ordinem, ut ab iis profecti, quae plenas et legitimas haberent litterarum formas, ad ea progrederemur, quorum figurae mancae sunt et negligentiores. In litt. B בדר satis bene distincta sunt, *Tau*, ut in Numidicis. In C. litterarum בדר capita infra, in D a dextra parte aperta sunt (p. 22. 24. 45). Quae sequuntur epigraphae repetitae sunt litt. E ex Mionneti suppl. I pl. 5 no. 6. F ex exemplo Dresdensi. G. Mionnet tab. 19 no. 18. H ex exemplo Parisiensi (Hohlenb.) cf. Mionnet suppl. I pl. 5, no. 1.

Nomen proprium עבדרת Phoeniciae originis esse, in colonia Phoenicia (v. supra) satis credibile est. Iam Bochartus quoque (Geogr. s. p. 617) etymon circumspexit, sed, quod proponit أوزار *propugnacula*, *munimenta*, ipsis numis nostris, qui veram orthographiam monstrant, refellitur.

De meliore etymo litterarum עבדרת mihi non constat, fortasse tamen viam ad illud inveniendum munit epigraphe nostra litt. H, quae esse videtur

עבדרעת

unde contractum esse possit עבדרת, ע abiecto.

XVIII. *BELUS seu BELON*,

pariter atque Abdera, Hispaniae Baeticae oppidum maritimum, extra columnas Herculeas ad ipsum fretum et ad fluvium cognominem situm erat, ubi plurimus in regionem Tingitanam traiectus. Strabo III p. 140: *καὶ μετὰ ταῦτα* (Mellaria) *Βελὼν πόλις καὶ πόταμος. ἐνταῦθεν οἱ διάπλοι μάλιστα εἰσὶν εἰς Τίγγιν τῆς Μαυρουσίας, καὶ ἐμπόρια καὶ ταριχεῖαι.* Marcianus Heracleota: *ἀπὸ δὲ μενλαρίας εἰς Βελῶνα πόλιν στάδια οὐ πλεῖον ρμ', οὐχ' ἧττον στάδια ρ'.* Eodem modo appellat Plin. 5, 1. Mela 2, 6, Steph. Byz. v. *Βέλων*, sed Ptolemaeus 1, 4. *Βαίλων* (quod reprehendere non debebat Vossius), Plinius 3, 1 *Baelon*, et Steph. Byz. *Belus* et *Melus*, *Βῆλος*, *Μῆλος* v. hac voce, ubi tamen confundit cum Mellaria, quod recte observat Berkelius. In numis scribitur *Bailo* (v. Eckhel 1, 16. Mionnet I p. 7), hodie est *Bolonia*. Huius urbis nomen בעלת (בַּעֲלַת) scriptum i. e. *civitas* (cf. in V. T. בַּעֲלָת a Salomone renovatum 1 Reg. 9, 18, it. בַּעֲלָה de duobus oppidis in tribu Judae Jos. 15, 9 et 29) in non paucis legitur numis Hispanicis, qui hucusque inter incertos errarunt. Typus est:

Caput barbatum nudum ad sin.)(*Duae spicae* (vel *folia*), a dextra epigraphe בעלת. AE. Vide litt. H ex exemplo Musei Britannici. Simile descripsit Lindbergius p. 41 ex Museo Monradii.

Caput barbatum nudum ad dextram.)(*Uva et spica*, supra בעלת, infra phoenicium י. Vide litt. D et E, ad exempla Parisiensia Mionnet Suppl. I p. 117 no. 676. 691 pl. 7 no. 7, quae delineavit Hohlenbergius.

Digitized by Google

Caput Herculis exuviis leonis tectum.)(*Spica*, supra בעלת. Lindberg p. 41, cuius epigraphen dedi litt. A. — Litt. B. C ex duobus aliis Hauniensibus apud eundem tab. 5, 48. 49.

Illas litteras בעלת legendas esse recte vidit Lindbergius l. c., in eo tamen erravit, quod hanc vocem appellative acceptam *Senatum* (cuius urbis?) interpretatus numumque propterea inter incertos retulit. Quid autem dicamus de Hamakero, qui (diatr. 40. Miscell. p. 136) epigraphen nostram litt. D צעך legebat et ad *Zeugitanos* referebat? — — In litterarum figura nonnulla sunt peculiaria et a Palaeographis non negligenda, veluti *Tau* littera in exemplis A et D (cuius figuram pag. 48 adnotare neglexi), et *Lamed* in exemplo E.

Ceterum Belo s. Beloni etiam hunc numum tribuerim, quem describit Mionnet Suppl. I p. 118, cf. tab. 5, 12 et mihi delineavit Hohlenbergius:

Caput Augusti. AVGVSTVS.)(*Caput nudum et barbatum adversum*, cum *sceptro* et epigraphe litt. F a, in qua fortasse nihil omissum est, ita ut legenda sit: מבעלת (מִבַּעֲלַת). Disertis verbis observat H., eam a Mionneto (quo errore nescit) perperam ita descriptam esse, ut dedimus F bis. Ibidem exstat numus cum inscr. AG. et tribus litteris litt. G i. e. .... מבע. — Verbo memoro, Hamakerum, ut solet ex his monstra exsculpere, etiam in hac inscriptione sibi constare, quam legit (diatr. p. 40): מצעכנן *a Zeugitanis.*

XIX. *MALACA*

(hodie Malaga), quinta Hispaniae urbs maritima, cuius numi Punici supersunt, inter mare et montana tum vitibus tum metallis abundantia sita erat et vel domuum specie originem Phoeniciam prae se ferebat. Strabo III, p. 156 Casaub. postquam dixit de montium iugo auro aliisque metallis feraci, quod oram a mediterraneis dividat: *πόλις δὲ ἐστὶν ἐν τῇ παραλίᾳ ταύτῃ πρώτη Μάλακα, ... ἐμπορεῖον δ' ἐστὶν ἐν τοῖς ἐν τῇ περαίᾳ σαίμασι· καὶ ταριχείας δὲ ἔχει μεγάλας*, et paullo post, ubi a Maenaca, graecanica urbe distinguendam esse docuit: *ἡ δὲ Μάλακα καὶ πλήσιον μᾶλλον, Φοινικικῇ τε τῷ σχήματι.* Cf. Thomas a Pinedo ad Steph. Byz. v. *Μαλάκη.* Atque hi *Μάλακα* scribunt, Plinius vero 3, 1 et Avienus *Malacha*, quod praestat, ut mox videbimus, quamvis inde non collegerim, cum Bocharto, Th. de Pinedo al., id nomen scribendum esse מלחה *salsamentum.* Nam veram eius orthographiam exhibent nobis numi Punici, hac epigraphe

מלכת

quam recte legit Lindbergius (p. 21) *), interpretatur autem *reginam:* ego *opificium* interpretor, ut מלכת *(Malâchat)* sit i. q. מלאכת opificium, h. l. *officina* max. fabrorum cf. מְלֶאכֶת חָרָשׁ Ex. 35, 35: idque duplicem ob caussam. Una est in forma

*) Hamakerus (Miscell. 32) legerat חלבת, *Talubath* Getuliae urbem vel *Telepten* Byzacii intelligens, in duabus litteris satis manifestis a vero aberrans.

Digitized by Google

nominis *Μάλαχα*, accuratius *Malacha* cum vocali *A* in altera syllaba et כ raphato: quum מלכת (מַלְכָּה מַלְכַּת) graece et latine efferendum esset *Μάλχα*, *Malca: Malacha* autem ad amussim exprimit phoen. מלאכת, Schwa primae syllabae in *a* mutato, ex noto Canone (v. lib. IV cap. 4. Lehrgeb. p. 69). Altera in re ipsa: Malaca enim, quam officinis metallurgicis abundasse quum propter situm ad montem metalliferum credibile est, tum Cabirus testatur (sive Vulcanus sive alius quispiam) cum forcipe in eius numis conspicuus, apte poterat מלאכת *officina* vocari, *regina* vix poterat, quum haec urbs ipsa libera inter alias urbes liberas et maritimas sita esset. Ceterum haud scio an מלכת ubique cum forcipe coniunctum etiam legendo cum hoc fabrorum instrumento et emblemate copulandum sit, ut plenius urbis nomen fuerit מלכת חרש *opificium fabrorum* (Exod. l. c.), cf. infra ad numos Vaccae in Numidia.

Numos eius ediderunt Velasquez tab. 16. Florez tab. 57. Sestini tab. 3. Barthélemy lettre à Olivieri tab. 4. Muenter Rel. d. Carthager tab. 2. Mionnet VII tab. 30. cf. Lindberg p. 21.

Typus est:

Caput Cabiri (Vulcani) *barbatum et pileo tectum ad d.* (al. *ad sin.*), pone *forceps* et inscriptio מלכת, quae in aliis exemplis ante faciem est.)(*Caput muliebre adversum radiatum*, in aliis *stella octo radiorum*, in aliis *templum tetrastylum*. AE.

Exemplum litt. A. dedit Bayerus tab. 4, no. 17 cf. Velasquez tab. 17, no. 4. Epigraphas B. C. D. E a Lindbergio repetivimus tab. IV, 19. 20. 21. 22, hic ex exemplis Hauniensibus, F. G. H a Velasquezio l. c. no. 5. 6. 7, quae minus certae fidei sunt.

In uno exemplo D pro *Tau* esse videtur *He*, itaque מלכה ipsum *Malacha*, pro מלכת, quae posterior forma in Phoeniciis usitatior est.

CAPUT QUINTUM.

NUMI PUNICI AFRICANI.

Quum ipsius Carthaginis sive liberae sive Romanae numi Punice inscripti non exstent *), contra probabile sit, Carthaginenses liberos moneta signata usos non esse (v. Eckhel. D. N. IV pag. 137): cunçti, qui exstant, numi Africani Punice inscripti vel regii sunt a Numidiae regibus Iuba I et II signati, vel autonomi urbium in honorem Augustorum cusi. In utrisque ea depre-

*) Licet enim קרת חדשת (urbs nova) in nonnullis numis legatur et pro *Carthaginis* nomine proprio haberi possit (v. p. 289): hos tamen numos non Carthagine, sed Panormi cusos esse constat. Quod vero alia quaedam numorum genera v. c. numi Pegaso insignes (p. 294), ad Carthaginem relata sunt, id falsae epigraphārum lectioni tribuendum est. — Carthaginis Romanae numi *latine* inscripti plures exstant, quōrum unum dedimus tab. 16.

Digitized by Google

henditur litterarum forma, quam supra Numidicam appellavimus; utrique non raro bilingues sunt et praeter epigraphen Punicam etiam latine inscripti esse solent.

A. NUMI REGUM.

XX. *IUBA MAIOR.*

Iuba I, Hiempsalis II filius, quo anno Numidiae imperium capessiverit a patre hereditate acceptum, non satis constat. Videtur tamen Hiempsal pater mortuus esse paullo post annum V. C. 673 (a. Chr. 81), quo post insignem Domitii Ahenobarbi et Iarbae cladem eam etiam Numidiae partem, quae prius Iarbae fuerat, a Pompeio impetraverat. In bello civili Pompeianas propterea partes secutus Iuba Caesaris duces Africam infestantes magnis detrimentis affecit: tandem vero ad Thapsum a Caesare victus una cum Petreio inter epulas mutuis vulneribus occubuit anno V. C. 708 (Hirt. bell. afr. 94. Epit. Liv. 114. Flor. 4. 2).

Huic regi recte tribui videntur hi numi:

REX IVBA. *Caput regis barbatum bene capillatum* (quibus verbis de Iuba utitur Cicero de leg. agrar. 2, 22 cf. de Mauris comam in cincinnos cogentibus Strabon. XVII, p. 1184) *ad dextram, cum sceptro.*)(*Templum octo columnarum* cum undecim litteris numidicis. Vide nos litt. A. cf. Pellerin III, pl. 120 no. 1. Mionnet VI, p. 597. 598. tab. 30, no. 18. Exstant satis multa exempla aurea et argentea, cf. Lindberg p. 22. In Museo Britannico quattuor vidi.

Caput Iovis Ammonis ad d.)(*Elephas stans ad dextram* cum eadem epigraphe duabus litteris aucta. Vide litt. B, cf. Pellerin l. c. no. 2. Mionnet tab. 30, no. 2. Aliud exemplum in Museo brit. exstat.

Caput mulieris (Africae?) *exuviis elephanti tectum ad dextram.*)(*Leo gradiens ad d.*, eadem epigraphe tredecim litterarum. Vide litt. C. Pellerin l. c. no. 3.

REX IVBA. *Caput iuvenile galeatum ad s.*)(*Equus currens.* Epigraphe eadem. Mionn. VI, p. 598, no. 6. Exemplum in Museo britannico vidi.

In inscriptione legenda nemo, quod sciam *), ingenium exercuit praeter Lindbergium (p. 21), qui alteram eius partem legit רם מלכת. Et recte quidem. Integra autem epigraphe minor undecim litterarum, ut iam docuimus (exercitatt. pag. 99), legenda est:

יצב עי רם מלכת

i. e. *qui erexit ruinam altae sedis imperii:*

*) Nisi forte memorandae sunt Swintonis nugae, qui primi versus litteras Phoenicias latine IUBAI legebat (v. Pellerin III, p. 146): aliorumque ingeniosissimi lusus, qui ex alterius versus litteris vel exsculpebant רתחלו *Ruttilius* (Bellerm.), vel cifras eas Romanas esse statuentes, Iubae annos ex iis computabant (v. Eckhel. D. N. IV p. 155).

Digitized by Google

maior, quae tredecim litteris constat ita:

שיצב עי רם מלכתן

eius qui erexit ruinam altae sedis imperii nostri

i. e. metropoleos. Quod in priore epigraphe est יצב (יְצֵב), in posteriore plenius effertur שיצב (שֶׁיְצֵב) praemisso Schin praefixo: עי *ruina* in Phoeniciis obvium (vide ind.): רם מלכת (רָם מַלְכַּת) et רם מלכתן (רָם מַלְכַּתְנוּ) pr. *excelsum imperii* (cf. רָמִים excelsa coeli Ps. 78, 60) s. *alta sedes imperii* urbem regiam i. e. Cirtam designare videtur, urbem munitissimam cum arce in *loco edito* exstructam (v. Strabo XVII p. 1188. Mannert X, 2 p. 311): quanquam, ut satis constat, imperii sedes alta vocari poterat, licet in planitie sita (v. Chr. B. Michaelis de not. superi et inferi §. 36 sqq). Saepius quidem in mentem venit, pro רם מלכת melius fortasse legi רש מלכת *caput imperii*, quod ad rem accommodatius etiam esset, et in hoc scripturae genere fortasse excusandum fuisset: sed obstat sane huic coniecturae, quod ש initiale alio modo sculptum est: abiiciendum quoque, quod in exercitt. l. c. רם מלכת interpretatus sum: *imperium Romanum;* id enim Punice appellatur מלכת רם (v. inscr. Tripol. 1). Neque ferri potest Lindbergii sententia, qui רם מלכת *magnum regnum* interpretatur, Numidiam (ut videtur) intelligens.

Quare autem Iuba I (ad hunc enim ea verba manifesto referenda sunt) appellatur *restitutor metropoleos*? Respondeo, id tituli a civibus ei datum videri propter metropolin, quae ab hostibus vastata erat, a se instauratam novisque aedificiis auctam et ornatam, quanquam de tali regiae urbis instauratione a Iuba profecta (Micipsae simile meritum tribuit Strabo l. c) nihil memoriae proditum est. Quum enim ante Hiempsalis II mortem in bello cum Domitio et Iarba gesto universa Numidia eximie devastata esset, admodum credibile est, Iubam, imperii novis incrementis aucti heredem, pace restituta ad ruinas regiae instaurandas se convertisse et inde hoc cognomen traxisse. Si quis hos quoque numos minori Iubae tribuere velit, is urbem Jol intelligere possit, quam a Iuba II auctam et ornatam esse scimus: sed obstat caput regis bene comatum, quum Iubae II paene calvum sit, regisque vultus ab illo diversus.

Iubae maioris autem etiam hic Bayeri numus (tab. 3, no. 7 ed. germ.) longe rarissimus esse videtur:

Caput regis (Iubae) *modice barbatum, galeatum, ad sinistram.* Pone epigraphe ממלכת.)(*Intra coronam uva*, et litterae Phoeniciae. Vide litt. D.

De epigraphe anticae non dubito, quin ab initio ר evanuerit, et legendum sit רם מלכת, ut in aliis huius regis. Litterae posticae autem ita, ut a Bayero pictae sunt, valde obscurae sunt: una prima littera certo est *Schin*, secunda *Lamed* videri possit. Fortasse in illis figuris latet vulgaris huius monetae inscriptio שיצב עי: qua de re iudicent, qui numum examinare possint.

Digitized by Google

XXI. *IUBA MINOR.*

Iuba II s. minor, Iubae maioris filius, caeso patre paene infans Caesari victori traditus, Romae liberaliter educatus, ab Octaviano circa annum V. C. 724 (30 ante Chr.) paternum Numidiae imperium et cum eo Cleopatram, M. Antonii et Cleopatrae filiam, uxorem obtinuit: aliquot vero annos post Numidiam Romanis cessit et pro ea Mauritaniam Caesareensem et Tingitanam accepit, cui postea Gaetulorum provincia addita est. Mortuus est circa annum V. C. 772 (post Chr. 18) relicta praeclara sui memoria, quam moderatione et multiplici eruditione editis etiam libris comprobata promeritus est (v. Sevin in Mémoires de l'acad. IV, p. 457).

Huic autem Iubae plures numorum Numidice inscriptorum classes tribuendae sunt:

1. *Caput regis barbatum nudum ad sin.*)(*Eques equo ad d. currenti insidens sine ephippio et freno* (de Numidis hunc in modum equo vehi solitis v. Strabon. XVI p. 828). Infra epigraphe novem litterarum, quam ante nos nemo interpretatus est (v. palaeogr. Studien p. 100). Vide litt. A, ex Falbii recherches pl. VI, no. 4.

Caput regis barbatum diadematum ad sin.)(*Eques equo ad sin. currenti insidens.* Eadem epigraphe. Vide litt. B. Falbe l. c. no. 5. Descripsit numum etiam Mionnetus (inter Siculos) T. I p. 273 no. 548 eiusque epigraphen dedit pl. XX no. 49, quam repetivimus litt. C.

In epigraphe delineanda propter eximiam litterarum parvitatem facilis erat error. Quam ipsam ob causam lectio paullulum dubia est, nobisque, qui nullum numi exemplum vidimus, ex varia trium exemplorum scriptura contextus constituendus est. Qua quidem in re hoc certissimum est, quattuor litteras extremas, quae in tribus exemplis fere eaedem sunt, legendas esse מלכת (מַלְכַּת) *regnum:* duas priores vestigia legens exempli B restituo ita ut feci litt. C bis (nam hoc exemplum, quod uncis inclusi, coniecturale est) בת = בֵּית *domus:* media vox in exemplo C manifesto est קדם, quod ipsum probabile est in litt. A. B. Ita prodit epigraphe

בת קדם מלכת

בֵּית קֶדֶם מַלְכוּת

i. e. vel *domus perpetua imperii,*

vel *domus sustentans imperium,*

prout קדם, quod non potest non part. act. aramaeo more formatum esse a rad. קום, vel vulgari significatu intransitivo accipis, vel transitivum ei tribuis (coll. שוב redire et i. q. Hi. *reducere*, unde Samaritanorum Messias השהב dictus i. e. *reducens, restituens*), quanquam hic ex usu V. T. probari non potest. Ego plures ob caussas prius praetulerim, neque rara sunt exempla genitivi pendentis ex nomine regente, quod adiectivo munitum est, cf. Jes. 36, 9: פַּחַת אַחַת עַבְדֵי אֲדֹנִי. *Perpetua* autem *imperii domus* vel *familia regia* esse potest, vel, quod malim, *sedes imperii* s. *regia*, id est

Digitized by Google

Jol, quam Iuba II novi regni regiam sedem fecerat, novis aedificiis auxerat et Caesaream appellaverat (Mela 1, 6. Strabo XVII, pag. 1188), a cuius oriente erat commune regiae gentis monumentum (Mela l. c.), cuiusque nomen latinum *Caesarea* in huius ipsius regis numo exstat (Eckhel. IV, p. 156). *Perpetui* atque *aeterni* epitheto Numidas in diis, regibus, regnis magnopere delectatos esse vidimus inscr. Numid. 1, 2. — Quae quanquam satis credibilia sunt, non dissimulo, mihi displicere formam participii קדם, ab Hebraeae et Phoeniciae linguae indole alienam et solis Aramaeis dialectis propriam, quam ut in epigraphe Punica admittam, non nisi necessitate urgente a me impetro. Haud scio igitur an media epigraphes vox ita scribenda sit, ut feci litt. C bis, atque legenda ראש (Aleph huius formae in ipso vc. ראש vide in num. Heracl. litt. E), ut integra epigraphe haec sit:

בת ראש מלכת *domus capitis regni*,

qua locutione *regia* et *sedes imperii* melius etiam exprimeretur (cf. ad Iub. I p. 315 Tripol. F. Ab his igitur, qui numi ipsius examinandi opportunitatem habent, humaniter peto, ut videant num litterarum ductus in numis conspicui coniecturae faveant nec ne.

2. REX. IVBA. *Caput iuvenile diadematum ad d.*)(*Caput barbatum adversum*, ab utraque parte tres litterae. Vide numum litt. D, ut eum edidit Falbius l. c. no. 10, et epigraphen separatim litt. E ex auctoritate Lindbergii (p. 22), qui exempla in Muenteri et Thomsenii numophylaciis vidit.

Idem caput barbatum adversum.)(*Inter uvam et spicam stella.* Supra et infra eadem epigraphe, vide litt. D bis. F. G. (Falbe l. c. no. 11. 12. 13). H. (Falbe no. 14, ubi hic numus inverso ordine stat).

Hos numos, qui diu incertis Hispaniae annumerati sunt, recte Africae et speciatim quidem Iubae minori vindicarunt Lindbergius et Falbius, bene provocantes ad numum litt. D, qui eandem habet epigrapben atque F. G. H et Iubae nomen in antica gerit, cui accedit quod omnes hi numi ex Africa allati sunt. Quod attinet ad spicae, uvae et stellae emblemata, ea in Hispaniae numis omnino frequentia iisque paene propria sunt (v. Eckhel D. N. I, p. 7. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 29. 31), utpote ad insignem Hispaniae interioris fertilitatem pertinentia: sed eandem, imo maiorem fuisse Mauritaniae fertilitatem docent Strabo (XVII, p. 1187), Mela (3, 10) al. Astrum etiam alibi quoque in Iubae II numis habetur (Eckhel IV, 156).

Epigraphen Lindbergius l. c. se legere posse negat. Equidem nuper (palaeogr. Studien p. 101) eam legi

מקם ימי *locus dierum mearum* i. e. vitae meae

nunc persuasum est, eam legendam esse

מקם שמש *locus* (s. urbs) *Solis.*

De priore voce in exemplis Falbianis D bis. F. G nihil dubii est, in Lindbergiano litt. E *Mem* ita pictum est, ut inversum videatur, cuius rei aliud exemplum in eadem littera habemus litt. K, ubi prius Mem recte collocatum, posterius inversum est (qua

Digitized by Google

de re mox). In posteriore voce ea littera, quae in imo numo prima et extrema est, sane congruit eam *Jod* scripturae Phoeniciae antiquioris et legitimae: sed in Numidicis hae formae *Schin* sunt (ad litt. E cf. Iuba mai. litt. B. C, ad litt. F. G cf. inscr. Numid. 4 lin. 3 in שמע) ex vulgari eius litterae forma *inversa* orta, ut, integro numo ita inverso, ut ima summa fiant, litteras שמש vulgari more scriptas habiturus sis et dubitare possis sitne fortasse epigraphe numo inverso contemplanda.

Numum litt. H in Falbii opere inverso ordine pictum fuisse iam supra diximus. Vel aristae et uvae imagines hoc docere poterant, quarum prior in omnibus his numis erecta stat, posterior deorsum pendet. Eo autem inverso eadem apparet epigraphe, quae in reliquis est, quanquam מקם non bene pictum est.

Quae Africae urbs sit מקם שמש *locus* s. *urbs* (cf. מָקוֹם de urbe, oppido Gen. 12, 6. 18, 24, ut apud recentiores Judaeos) *Solis*, pro certo affirmare non possum. Fortasse est *Apollinis Promontorium*, in Mauritaniae (quam possidebat Iuba minor) ora maritima haud procul ab Jol s. Caesarea situm (Mannert l. c. p. 421), a Solis templo procul dubio appellatum: nisi forte ipsa regia Jol i. e. יאובעל *splendor Baalis* significatur a Baalis Solaris cultu ita dicta.

3. *Caput barbatum adversum.*)(*Inter uvam et spicam stella.* E epigraphe litt. K, Lindberg p. 23 ex Museo Muenteri.

Si certa est Lindbergii delineatio (solent enim epigraphae in his numis detritae esse) vix aliter legi potest atque מקם תנת i. e. ni fallor, *urbs Tingis*, cuius nomen iam supra in numis spicae imaginem habentibus deprehendimus (v. num. Sext. litt. N. P).

4. Idem typus, cum epigraphe L. Mionnet suppl. I, p. 117, tab. 5 no. 10. Lindberg p. 22, qui eam intactam relinquit. Lego:

מעכת מלרם

i. e. מעכת מלך עלם רם

imperium regis aeterni excelsi, et Mauritaniam intelligo, Iubae iunioris regnum. מעכת (lege: *Mocuth*) scriptum est pro מלכת, alibi מכת, plane ut מעקר pro מלקר, ex singulari illa linguae Punicae contractione saepius exposita (vide lib. IV, c. 4): מע in Numidicis per compendium dici pro מלך עלם et *Baalis* epitheton esse, vidimus inscr. 57 lin. 1. cf. 58 lin. 1. 60 lin. 1. רם *altus*, *excelsus* h. l. aliud eiusdem epitheton esse videtur, sed utpote minus usitatum sine compendio scriptum. Lindbergius addit: „In aliis eiusdem typi epigraphe *alia* (?) penes ill. Muenter, Thomsen, Falbe et Devegge.“ Utinam eam dedisset! Sed fortasse litterarum ductus evanidi erant, nec satis discernendi.

B. NUMI URBIUM.

XXII. *ACHULLA.*

Huius urbis in ora maritima Byzacenes sitae, etiam Acholla, Achilla, Acilla dictae (v. lib. IV c. 3 h. v.) unum habemus numum bilinguem:

Digitized by Google

Caput imberbe nudum ad dextram. ACHVLLA P QVINCTLI VARI.)(*Caput Augusti nudum ad sin. inter Caji et Lucii duo capita nuda.* AVG PONT MAX. Infra C et L et epigraphe Phoenicia litt. A. AE. Barthélemy lettre à Olivieri tab. 4. Lindberg p. 39. Eckhel IV, 133.

Epigraphen Lindbergius legit „קשר (Caesar?)“, ex noto eius errore palaeographico, quo signum ע Schin esse comminiscitur (p. 31. 32. 299). Vix autem dubium, quin illa legenda sit

קיר

(murus), quod nescio an vetus aliquod et domesticum eius civitatis nomen fuerit, ut in V. T. קִיר חָרֶשׂ, קִיר חֲרֶשֶׂת.

XXIII. *VACCA seu VAGA.*

Vacca s. *Vaga* (*Βάγα* Plut. Mar. p. 409 sqq. *Οὐάγα* Ptolem. *oppidum Vagense* Plin. V, 4) Africae civitas erat ab occidente Bagradae fluvii sita, magna illa et opulenta forumque rerum venalium totius regni maxime celebratum auctore Sallust. Iug. 47. 69. Sponte Romanorum partes secuta postea defecit et a Romanis vastata est, Plinii autem tempore a civibus Romanis habitata, a Iustiniano denuo munita et Theodorias appellata (Procop. de aedif. VI, 5). Arabum Geographi باجة appellant, plenius باجة القمح *Badscha tritici* (v. Abulfeda ap. Büschingium, Magazin für neue Historie und Geogr. IV, 216. Jakut. in Moschtarek h. v.), ut distinguant ab aliis quibusdam oppidis cognominibus, ut باجة الزيت *Badscha olei*, quae est Vacca Byzacii apud Hirtium bell. afr. 74, aliisque, de quibus vid. Hamak. Miscell. p. 29. 30. In hac nostra hodieque forum frumentarium celebrari narrat Shavius (Voyages T. I. p. 209), qui etiam de situ urbis exponit. Prae ceteris autem memoratu dignum est, in vicinia eius, in ea maxime regione, quae inter *Badscham* (Vaccam) et Keff (Siccam) interiacet, multa monumenta Punico-Numidica tum litterata (Numid. 2. 3. 4) tum illitterata (vide pag. 210) reperta esse, unde recte colligi potest, et oppidum et vicinam regionem olim florentissimam incolisque celebratissimam fuisse.

De domestica nominis forma Hamakeri haec est coniectura (Miscell. p. 30), *Βάγα* olim בגא, صحا scriptum fuisse, quod *hortum* significet, cuiusque scripturae vestigium in ipsa inscriptione Numid. 4 lin. 3 (vide pag. 207) reperiatur. Sed neque in hac tale quid legitur, neque illud veriloquii inveniendi periculum credibile est, quum صحا *hortus* proprie Persicum sit (باغ), cuius originis vocabula in lingua Punica et Numidica vix exspectes. Genuinam autem nominis formam continere videntur hi numi, qui Boccho in libris numismaticis vulgo tributi sunt (cf. palaeogr. Studien p. 101):

A. *Caput Augusti nudum ad sin. in corona laurea.*)(*Duo capita, virile et muliebre* (Antonii et Octaviae cf. Pellerin pag. 147), *ex adverso posita*, cum epigraphe IV litterarum, v. Pellerin III, tab. 120, no. 4. Mionnet VI, 612.

Digitized by Google

B. *Caput muliebre bene cincinnatum* (Octavia) *ad sin.*)(*Clava*, supra et infra plenior epigraphe octo litterarum. Pellerin ibid. no. 5. Swinton de inscr. Cit. tab. 2. Alia exempla, sed minora sunt ap. Bayerum, in Museo Britannico et in Hauniensibus, v. Lindberg p. 25. 26.

C. *Caput Augusti ad sin.*)(*In corona oleae clava et thyrsus decussatim positi.* Epigraphe brevior. Pellerin ibid. no. 6.

D. *Caput Augusti ad dextr.*)(*Capricornus cum cornu copiae, inter pedes globus.* Epigraphe eadem. Pellerin ibid. no. 7. In exemplo Dresdensi est epigraphe *D bis.*

E. *Caput muliebre turritum* (urbem repraesentans), pone *aristà.*)(*Clava et thyrsus decussatim positi*, in quattuor angulis eaedem quattuor litterae. Pellerin no. 8. Mionnet VI, 611. Aliud exemplum Dresdae repperi, in quo epigraphe *E bis.*

F. IMP TIB CAESAR AVG C. (Cos. III? v. Eckhel VI, 156). *Caput Augusti laureatum ad d.*)(AVGVSTA MATER PATRIAE. *Mulier velata sedens, ad d., dextra porrecta* (pateram? v. Eckhel VI p. 155. 156) *sinistra hastam tenens.* Infra epigraphe. Vide Falbe tab. 6, no. 7. cf. pag. 114. Eundem numum describit Lindberg pag. 26 ex exemplo Timmii Hauniensis, sed male conservato: et nescio an idem sit, quem ex Theupoli cat. p. 664 citat Eckhelius l. c., ubi epigraphe ita exhibetur: AVGVSTA. MATER. PATRIAE. VIBII. Illud VIBII enim, de cuius integritate iam Eckhelius dubitat ex litteris Phoeniciis לבקי procul dubio exsculptum est (pag. 305. 310. 314).

G. *Caput Augusti ad dextram.*)(*Aquila et pavo* (aves Jovi et Junoni sacrae), inter quas epigraphe. Dutens diss. III, tab. 1. Mionnet VI, 611.

H. *Caput muliebre turritum.*)(*Caput barbatum*, cum epigraphe H. In Museo brit.

Quod Swinton in primis de hac litteratura periculis (inscr. Cit. p. 78 sqq.) pleniorem illam inscriptionem litt. B legit לבדר כבדר *Lapethos Cabdor* i. e. Cypri, id memoratu vix dignum est, quanquam saepe ad hoc commentum provocatum est (Bellermann IV, 17), prioremque eius partem adoptarunt etiam Pellerinius (Rec. III p. 146, Suppl IV p. 82) et Dutensius, licet hi לבדץ *Leptin* esse coniicerent. At inde a Barthelemyo (Journal de Savans 1763) plurimi hanc priorem, in plerisque unicam, partem legebant לבקש *Bocchi*, numosque ad Bocchum minorem referebant, quam sententiam etiam nuper tuiti sunt Lindbergius (p. 27) et Hamakerus (Miscell. p. 155), quorum ille pleniorem epigraphen (litt. B) legit לבקש מבקד *Bocchi* ..... (de hoc enim explicando fere desperat), hic לבקו מבקר (לְבַקּוּ מְבַקֵּר) *Bocchi, armentorum pastoris* i. e. *Numidae.* Sed quominus Boccho, eique minori, tribuantur haec numismata, tum chronologicae rationes obstant (Bocchus enim mortuus est A. V. C. 721 biennio ante proelium Actiacum et Tiberii aequalis fuisse non potest, v. Hamak. p. 154. 155. Falbe Recherches p. 113. 114. cf. numum nostrum F): tum numismaticae, siquidem in numis a rege libero cusis huius, non familiae Augustae, imagines desideres: tum maxime palaeographicae et philologicae. Primum enim vocabulum neque לבקש legi potest

Digitized by Google

neque לבקו, sed necessario est לבקי: quandoquidem tertia littera in exemplis F. G. H. et in Mionnetiano notissimas habet litterae Jod figuras, unde apparet, etiam figuram aliunde non cognitam in reliquis (eadem reperitur in incertis no. XXVI litt. A. B) *Jod* esse, quod ipsum bene explicari potest. Est enim illa Jod litterae figura no. 23. 24 (pag. 31) inversa, cuius generis formas in Numidicis iam plures observavimus (v. in numis Iubae II pag. 317. 318). Fallitur Lindbergius, qui eandem litteram in Cossuraeis secundo loco comparere observat (mihi tale exemplum non cognitum est, neque dedit Lindbergius): si vero compareret, idem hoc probaret, eam Jod esse, non Schin. Praeterea Bocchi nomen (de cuius vero etymo v. lib. IV, §. 18 h. v.), in quo *os*, *us* a Graecis et Latinis additum est, in ipsa lingua et scriptura Punica scribi non poterat בקש: ipsumque בקו Hamakeri probabili etymo careret. — Alterum autem vocabulum haud dubie legendum est מלקר (non מבקר), cf. ad secundam litteram Numid. 2, 1. 3, 1 (in מלך).

Prodit itaque integrae epigraphes haec lectio:

לבקי מלקר *urbis Herculis*

brevioris haec:

לבקי *urbis (Vaccae)*

quod ita illustro. Nimirum בקי mihi esse videtur vocabulum Aegyptiacum satis tritum ḥaRi *urbs*, quod in linguam Phoeniciam receptum est, ut tot alia Aegyptiaca (יְאֹר, אָחוּ) in linguam Hebraeam. Aliud eius vestigium in Punicis habes in verbis Plautinis (Poen. V, 2, 42): *mi bar bocca* i. e. מי בר בקי *quis filius urbis*, ex qua urbe oriundus es? (v. lib. IV §. 14), et in Heliopoleos Syrae nomine domestico apud Arabes servato بعلبك *Baalbek* i. e. *Baalis civitas*. Nomen proprium igitur urbis, in qua numus noster cusus est, integrum erat בקי מלקר *civitas Herculis*, utpote Herculi consecrata, ut innumerabilia alia oppida Punica, id quod egregie convenit cum *clavae* emblemate in postica et ipsius Herculis capite, quod in nonnullorum antica comparet (Lindberg p. 26 cl. IV). Brevius autem illa civitas, omisso מלקר, בקי appellabatur, quod proprie quidem *urbem* significans in nomen proprium abierat, ut *Cirta* Numidiae i. e. קרת urbs, apud Arabes مدينة النبى *urbs prophetae*, vulgo مدينة *Medina*, in Sacris עָר מוֹאָב *urbs Moabi*, brevius עָר (urbs) Num. 21, 15. Deut. 2, 9, atque sexcenta id genus alia v. c. *Colonia Agrippina*, brevius *Colonia*, unde *Cöln*, *Keulen* *). Pronunciabatur illud proprie *Baca* (בָּקַי cf. סִינַי LXX *Σινᾶ*, שָׂרַי *Σάῤῥα*), dein *Vaca*, *Vacca* (cf. illud Plautinum bocca), et c littera ex peculiari quodam Afrorum idiomate **) mitigata *Vaga*, *Βάγα* (arab. باجة), quod quanquam et ipsum antiquum et genuinum est, tamen apud Sallustium optimorum codicum scripturae, qui

*) Vide quae contra Hamakerum disputavimus in exercitatt. palaeogr. p. 102. 103.

**) Cf. Tucca, Dugga; معاقة *Malga* p. 162. Hodieque Mauri ق et ك in multis vocibus g pronunciare et tribus punctis scribere solent, v. c. قال vel كال *gâl* dixit.

Digitized by Google

Vaca, *Vacca* habent, antèponi non debebat, ut fecit Kritzius ad Iugurth. 29. Ex hoc autem etymo facile intelligitur, quid caussae sit quod *Vaga* باجة non unius, sed plurium Africae oppidorum nomen proprium factum sit, quae tam apud Poenos, quam apud Arabes addito genitivo distinguebantur (בקי מלקר, باجة القمح, باجة الزيت).

Imagines adversae omnes impensiorem domus Augustae cultum produnt, cui adulari solebant Africae civitates. Ex aversae imaginibus de clava iam diximus: capricornus quid significet, ignoro, sed idem etiam in Tripolitanis est (no. XXIV litt. C) et in numis Iubae minoris (Eckhel IV, p. 156).

XXIV. *SABRATHA seu TRIPOLIS.*

Sabratha (*Σαβραθᾶ* Procop. de aedif. 6, 4. *Σαβάθρα* Ptol.) civitas erat a Phoenicibus condita (Sil. Ital. 3, 256), Syrtim minorem contingens (Plin. 5, 4), Flaviae Domitillae uxoris Vespasiani, matris Titi et Domitiani (Suet. Vespas. 3) patria, una cum Lepti Magna et Oea a Septimio Severo Leptitano (v. ad Tripol. 1) *Tripolis* appellata (Solin. c. 27), quod quidem nomen postea soli Sabrathae cessit (v. Bocharti Canaan p. 479. Mannerti Geogr. X, b, p. 139), ita tamen ut etiam vetus et orientale nomen servaretur apud Arabes, quibus hoc oppidum صبرة et سبرة appellatur (Geogr. Nub. clim. 3 part. 2. Bochart. l. c.), qua auctoritate refelluntur duae de veriloquio eius coniecturae, quas proposuit Hamakerus (Misc. 274). Illud ipsum autem nobis offerunt eius urbis numi (de inscriptionibus in eius vicinia repertis v. lib. II, no. 64. 65):

A. *Caput Augusti nudum ad dextram, ad collum lituus.* CAESAR.)(*Caput barbatum cum modio* (Serapis!). Epigraphe צברתעל לעמת Pellerin III tab. 120 no. 9. Mionnet VI p. 592.

B. Eadem adversa, sed omnia intra *coronam oleaginam.* CAESAR.)(*Caput barbatum laureatum ad dextram.* Pone epigraphe צברתעל, infra תי.מל. Ad exemplum Mionneti l. c. no. 5. tab. 30, 12. cf. Barthélemy lettre à Olivieri tab. 4. Eckhel syll. 1. tab. 7.

C. *Caput Mercurii ad s.*, *pone caduceus*, ante epigraphe צברתעל.)(*Capricornus* cum *cornu copiae ad d.*, infra *gubernaculum*, inter *pedes globus.* Pellerin l. c. no. 11. Mionnet VI, p. 610.

D. *Caput barbatum laureatum ad d.*, *ad collum stella.*)(*Templum pentastylum*, *in fronte stella*, infra צברתעל. Bayer p. 365. tab. 3, no. 6 ed. germ.

E. Adversa et aversa ut litt. A. Epigraphe צברתעל לי.מת Mionnet VI, 592 no. 6. pl. 30, no. 13.

F. Idem typus, sed epigraphe longior: רם עם עכבר צברתעל. Mionnet ibid. no. 15.

G. Idem typus, epigraphe צברתעל (ut litt. C) negligentius scripta. In Museo Britannico.

In his omnibus nomen urbis idem est. Plerumque illud sex litteris צברתעל scribitur, bis (litt. C. G) eiecto *Ain* צברתל, de qua lectione dubitari non potest,

Digitized by Google

quum litterae in plerisque exemplis admodum perspicuae et certae potestatis sint. Nihil igitur moror Dutensium (explication pag. 137), Lindbergium (pag. 56. 57) et Hamakerum (Miscell. 24), qui in Numidicis non satis versati צברכעת, צברקעת (Lindb.), צברקז (Hamak.) legentes *Tabracam* Numidiae intelligebant, nedum Bellermannum (II pag. 5), qui קברנז legens hunc Numidiae regem fecit. Plenior forma צברתעל mihi orta videtur ex צברת בעל *tumulus* s. *collis Baalis* extruso ב, ut in חכמתעל pro חכמתבעל Numid. 4 lin. 2 et *Jugurtha* pro *Jugurthal*, *Jugurthbal* (timor Baalis), v. lib. IV cap. 3 h. v. Magis etiam contracta est forma צברתל in litt. C. G. Utramque latine efferebant *Sabratha* (pro *Sabrathal*) abiecto l, ut in *Jugurtha*, *Juba* aliisque, pro *Jugurthal*, *Jubal*. Arabes, ut diximus, صبرة et صبرة scribentes alteram integri nominis partem (בעל) plane abiecerunt.

Accedamus iam ad pleniores epigraphas in litt. A. B. E. F. Quod est in litt. A:

לעמת צברתעל

populi Sabrathae s. *Tripolis*,

prorsus certum est, cf. ad עמת pro עם Numid. 4, 2. 3. Cit. 24. Idem fere valere videtur, quod habet litt. E

לי·מת צברתעל,

quanquam in singulis explicandis magna est difficultas. Punctum enim, quod etiam in litt. B deprehenditur, vel otiosum est vel *Ain* litteram repraesentat, ut Omicron Graecorum subinde, velut in numis Arsacidarum, perparvum et puncto fere simile est. De posteriore sententia prodiret צ׳ ליעמת plene scriptum pro לְעַמַּת, de priore צ׳ לימת, in quo ע solutum esse possit pro לעמת, ut in Sigensibus (no. XXV) בילה pro בעלה civitas: quanquam neutrum mihi satisfacit. Maior etiam difficultas in litt. B., eiusque epigraphe

מל.תי צברתעל

de qua nonnisi timide hanc coniecturam propono, legendum et explicandum esse: מלעתי i. e. מִלְּעַתֵּי *a populis*, a מִן, לְ (cf. מִלְּמַעְלָה) et עַתֵּי, quod esse possit plur. estr. ab עת = עמת, עם populus (Numid. 1, 3. 6, 2. 3. 4). Magis apertum est, quid sit

רם עם עכבר צברתעל

in litt. F (ita enim legendum videtur, littera quarta, quae, ut nunc est, Cheth esset, suppleta in ○), vix aliter transferendum quam:

regia populi Achbor, Sabratha.

Achbor (עַכְבּוֹר), quod proprie *murem glirem*ve significans etiam in V. T. duorum virorum n. pr. est (Gen. 36, 38. — 2 Reg. 22, 12. 14. Jer. 22, 26. 36, 12), conditor gentis fuisse videtur, unde ipsa gens עם עכבר appellatur, ut עַם יְהוּדָה, עַם יִשְׂרָאֵל. רם (רָם) autem *regiam sedem*, *metropolin* significare vidimus ad numos Iubae I.

Digitized by Google

Fortasse statui poterit, hunc ipsum gentis auctorem et conditorem repraesentari capite barbato et laureato in numis B. D.

XXV. *SIGA.*

Siga (*Σίγα*, *Σίγαθα* Steph. Byz. h. v.), urbs maritima Mauritaniae, a Tyriis condita et urbibus metagoniticis annumerata, Syphacis, Masaesylorum principis, regia erat (Strabon. XVII, p. 1186. Plin. V, 2. Mela 1, 5 cf. Mannert l. c. p. 427). Huius esse videntur haud pauci numi a Numismatologis male vulgo auctore Swintone urbi *Jol* tributi, veluti

A. *Caput Augusti nudum ad d., ad collum lituus.*)(*Caput muliebre turritum ad d.*, e regione faciei epigraphe trium vocum spatiis distinctarum: סיגא בילת מעקר Pellerin III, tab. 120 no. 12. Mionnet pl. 30, no. 10, cuius epigraphen dedimus litt. E.

B. Eadem adversa.)(*Caput muliebre turritum.* Epigraphe ordine diverso: סיגא בילת מעקר. Pellerin ibid. no. 13.

C. Eadem adversa, ante littera C.)(*Caput iuvenile laureatum.* Epigraphe בילת מעקר. Ibid. no. 14. Mionnet pl. 30, 17.

D. AVGVSTVS TI CAESAR. *Caput Tiberii nudum ad sin.*)(*Caput laureatum (Apollinis) ad d., ante lyra.* Epigraphe סיגא. Pellerin tab. 121. no. 1. Bayer p. 366. Mionnet VI p. 593. pl. 30, no. 9. 11, quas epigraphas dedimus litt. F. G.

Alios typos, in quibus solum urbis nomen סיגא comparet, descripserunt Mionnet VI, p. 591 sqq. Lindberg p. 42. 43.

Ut ante omnia de urbis nomine agamus, quod in aliis exemplis sine accessione (litt. D), in aliis cum duobus aliis verbis copulatum reperitur, haud sane est quod Swintonem moremur, qui quattuor litteras ויעל legebat et ad *Jol* urbem referebat, approbante Pellerino (III p. 152. Melanges 1, 143) et Mionneto, aut Bellermannum (II, 9), qui נסען, Hamakerumve (Miscell. pag. 34), qui צוען (צוּעָן) legebat et *Zeugitanos* interpretabatur, quibus omnibus palaeographicae rationes ita repugnant, ut eos refellere esset otio abuti. Enimvero etiam Lindbergio (p. 42) assentiri non possumus, qui כשעת legit, et *Cissam*, Mauritaniae municipium, intelligit. Haec enim lectio nititur falsa eius de signo ϩ opinione, quod L. *Schin* esse putat, quum *Jod* sit (v. pag. 31. 32. 299 al.). Certissimae igitur tres posteriores litterae יעת: de prima nuper, quum hos numos tractarem in exercitt. palaeogr. p. 104, dubitavi, utrum *Caph* esset an *Zade* (inter quas litteras fluctuabant etiam Hamakerus et Lindbergius): nunc examinatis lapidibus Numidicis Neapolitanis (Numid. 6, 7) certus sum, hanc litteram non aliam esse quam *Samech* scripturae Numidicae, quod subinde etiam *Sin* litterae vicem teneat. Hac potestate hoc signum reperitur in Numid. 6 lin. 2 litt. 6 et lin. 5 litt. 2. Numid. 7 lin. 2 litt. 5, ibique manifesto distinguitur a *Zade* Numid. 6 lin. 2 litt. 10. A *Caph* autem ita differt, ut Caph litterae cauda sinistrorsum flexa sit (v. num. Iubae maj. in מלכת, Malac.), huius dextrorsum. In nostri numi exemplis ea optime picta est a Mionneto (litt. nostr. E. F. G) et maxime legitima eius figura haec est,

Digitized by Google

quae deprehenditur in litt. E atque originem eius ex plenioribus antiquae litteraturae formis (pag. 39) monstrat (vide append.). Legendum igitur

סיעת

quae non alia Africae urbs esse potest, quam *Siga* seu (secundum Steph. Byz.) *Sigatha:* nam *Sicca* (Venerea), quae magis placere videtur Grotefendio (numismat. Zeitung 1836 no. 131), haud dubie scribenda erat סכה, סכת, solique Sigae favent et etymon (סִיעָא, in V. T. n. pr. viri Neh. 7, 47, Chaldaeis et Syris [ ] est coetus, societas, max. agmen militum, exercitus) et quae de urbis attributo statim dicentur.

Duae enim voces, quae litt. A urbis nomini praeposita, litt. B postposita sunt, et in litt. C solae sine nomine proprio comparent, ab Hamakero et Lindbergio infausta ave et lectae et explicatae *), sine controversia legendae sunt: בילת מעקר, ut integra inscriptio sit:

litt. A. בילת מעקר סיעת *civitas Herculis, Sigata*

litt. B. סיעת בילת מעקר *Sigata, civitas Herculis,*

quo attributo ad Sigae urbem nihil cogitari potest accommodatius, quum Masaesylorum principes, Syphacis posteri, quorum regia erat Siga, genus suum ab Hercule ducerent teste Plutarcho (Sertor. 9). In litteris nihil dubii est, nisi quod ב in בילת litt. A male pictum est, corrigendum ex exemplo Mionnetiano litt. E, in quo posteriore *Resch* in מעקר collum habet paullulum flexum, quod quidem non impedit quominus Resch habeatur (p. 290 lin. 2. 3 a fine). Interpretatio autem utriusque vocis satis certa est. Nam בילת littera י emollita dictum est pro בעלת *civitas*, ut apud Palmyrenos בול pro בעל v. c. עגלבול *Ἀγλίβολος* (Philos. Transactions T. XLVIII tab. 30), זבדבול pro זבדבעל al., et apud ipsos Numidas n. pr. *Bulla* (בולה), quod idem valere videtur atque בעלה *civitas*. De forma מעקר pro מלקר, מלקרת vide ad Tripol. 2, 1. p. 218, et quae infra disputata sunt lib. IV, §. 9. 18 hh. vv.

Quod in numo C omisso nomine proprio סיעת solum attributum comparet בילת מעקר *civitas Herculis*, id arguit, ipsum hoc attributum nominis proprii vim quodammodo induisse. Ceterum cave offendas in eo, quod in hoc exemplo מעקר a dextra

*) Hamakerus (Miscell. p. 34) litt. A legit בולן תעדר צוען *Bullenses conventus Zeugitanorum*, vel בולז ת׳ צ *Bulla, conventus Zeugitanorum* errores palaeographicos saepe a nobis refutatos cumulans, neque curans (ut videtur) epigraphen B., in qua legendum esset צוען בולן תעדר *Zeugitani Bulla conventus:* nulla sententia. Lindbergius (p. 43): „reliquas litteras לשלת מעקר, *si e lingua Hebraica iure Mauritanica epigraphe possit explicari*, לְשַׁלֶּת מְעַקֵּר legendas esse censeo. שלת (ל praef.) pro שַׁלֶּם dominus, praefectus: litteras ת et ם haud raro invicem permutari notum est; .... nisi forte potius a rad. שלל cum termino foem. ת explicare vis (cf. קהלת), adeo ut *praedatorem, devastatorem* proprie denotet. מעקר autem ad radicem עקר *eradicavit, funditus evertit* refero, ergo מעקר *qui funditus evertit* (cf. impr. Pa.) *devastator* i. e. *potentissimus.* Totam igitur epigraphen לשלת מעקר כשעת *domino potentissimo* (Augusto) *Cissa* explico."

Digitized by Google

legitur, בילס a sinistra, et propterea מעקר בילת legendum existimes: quum etiam in epigraphis latinis litterae variis modis currere soleant (cf. numum Sig. D et Coss. M. O.). Eadem vocum consecutio esse videtur etiam in alio Sigensi, quem, utpote incertiorem, ad sequentem paragraphum remisi.

XXVI. *AFRICAE ALIARUMQUE REGIONUM NUMI INCERTI.*

1. Numis Sigensibus simile est aliud genus, ad eandem urbem probabiliter referendum, cuius quidem epigraphe difficilior est ad explicandum.

Caput Augusti nudum ad sin. corona laurea cinctum.)(*Lyra*, ab utroque eius latere sex litterae Phoeniciae. Litt. A, Pellerin III p. 121 no. 18.

Idem typus, sed epigraphe plenior trium vocum, quas dedimus litt. B. Mionnet VI p. 612. Tab. 30, no. 16.

Hamakerus (Miscell. p. 153) inscriptionem pleniorem litt. B legit חלק צוען ששו (חֶלֶק צוּעַן שִׁשּׁוּ) *regio* (vel nomus) *Zeugitanae sexta*, in erroribus palaeographicis, quos in Numidicis cumulare solet, sibi constans. In una re is verum vidisse censendus est, plenioris epigraphae mediam vocem eandem esse, quae in Sigensibus comparet, quanquam haec סיעת legenda est (non צוען). A סיעת in Sigensibus no. XXV quidem duae priores litterae differunt, sed secundam Jod esse, ex Vaccensibus constat, primam *Samech* esse censeo ex illo ortum, quod erat in Sigensibus litt. E. Reliquarum vocum una, quae in A a dextra est, in B trium postrema, non potest non legi טטי, quod Liby-Phoenicium esse et *pater meus* (fortasse patres mei) significare existimo, collata eadem voce in epigraphe Libyphoenicia Tuggensi (no. 56) lin. extr., quae ibi respondet Phoenicio אבי *pater meus* (cf. quae disputavimus pag. 195). Tertia vox, quae et ipsa in utroque exemplo comparet, חסק legenda videtur. Nam extrema littera certum est *Koph:* media eadem, quae in סיעת prima erat, itaque *Samech:* prima *Jod* videri possit: quum vero Jod in hac epigraphe bis obvium (in סיעת, טטי) aliam formam habeat, *Chet* ea habenda erit, eius fere formae, quae est in Panorm. E. F. et Numid. 4, 1. 2 (pag. 28, no. 11. 12) cf. Chet scripturae aramaeae aegyptiacae. חסק autem, quae radix in Semiticis rara est et paene dubia, pro חזק scriptum existimem, ut סכר pro זכר Athen. 1, 1, סך pro זך Tugg. lin. 7. Quibus ita positis epigraphen litt. A a sinistra numi parte orsus (ut Sig. litt. C) legerim

חסק טטי *munimentum patris mei*

litt. B autem:

חסק סיעת טטי *munimentum agminis* (Sigae) *patris mei*

quanquam dubito sintne verba apud Mionnetum (ut saepe) transposita, ut in ipso numo legatur:

סיעת חזק טטי *Siga, munimentum patris mei.*

Digitized by Google

Comparet igitur Siga in hac numorum classe alio attributo ornata, quam vulgari בילח מעקר, quod quidem ipsum ad Herculem referri videtur. Haud scio enim an *pater meus* (sive rex loquitur, sive civitas) urbis patrem s. conditorem significet, cuius *robur* s. *munimentum* urbs ab eo condita appelletur.

2. Longe difficilior ad interpretandum est alia epigraphe, et ipsa ad Africam pertinens, in tribus, quae vidi, apographis, paullulum diversa.

Caput Augusti nudum ad sin. IMP. AVG. P. P.)(*Caput muliebre velatum ad dextr.*, pone *sceptrum cruciforme.* Litt. C sec. Bayerum tab. 3, no. 4 ed. germ., litt. D sec. Pellerinum III, tab. 121 no. 17. litt. E secundum Falbium, recherches p. 119. 120 tab. 6 no. 21.

Duae litterae posteriores in C. E manifesto sunt צר, in D קר, quod vix probabile est. Tres priores in Falbii exemplo, quod reliquis distinctius et accuratius est, vix aliter legi possunt quam פטר. Integra igitur epigraphe esse videtur

פטר צר *primogenita Tyri*

quod urbis cuiusdam a Tyriis conditae et ultimam antiquitatem affectantis sive nomen domesticum sive attributum (cf. Sig. litt. C et supra litt. A) erat (cf. פֶּטֶר רֶחֶם in V. T. de primogenito). Sed cuius sit, id in medio relinquo.

3. Sic in numi, quem a Pellerinio (l. c. no. 25) repetitum dedi sub litt. F, aversa parte satis perspicue legitur

חץ נקב *telum pungens.*

Sed quid hoc sibi velit et quo pertineat numus, neque ego dicere possum, neque ab alio quoquam dictum est.

* * *

Addo alia quaedam rariora, ut videtur, numismata, ab aliis aliter delineata et edita: eo potissimum consilio, ut harum litterarum periti, quibus exempla eorum ad manus sunt, epigraphas denuo diligenter examinent et accuratius edant.

4. *Hercules nudus ad dextram gradiens, manu dextra extensa, sinistra clavam tenens.* In area duae litterae Phoeniciae בז.)(*Pagurus*, infra quattuor litterae phoeniciae. Vide Pellerin Suppl. III, 91. Mionnet V, p. 472. no. 910. 911, tab. 30 bis no. 9. 10. Bellermann IV p. 10—12. AE. 3.

Planta vel *folium.*)(Eadem aversa, v. Neumann num. ined. T. I. tab. 1, no. 13 cf. T. II tab. 4 no. 8. AE. 3.

Epigraphes Phoeniciae quattuor exempla dedi, litt. A ex Neumanni T. I. tab. 1., B. C ex Mionneto l. c., D ex Bellermanni delineatione. Valde diversae sunt interpretum de ea coniecturae (Eckel III p. 419). Bellermannus l. c. רחסי legit et *Raphiam* Palaestinae urbem intelligit, quod quum alias ob causas tum per litteras quamvis in variis exemplis diversas non licet: Pellerinus contra *Birth* numumque ad *Bruttios* retulit,

Digitized by Google

quod non magis credibile: quanquam hoc propius accedit ad litterarum potestatem, quae בהבי, בהרי, רהבי esse videntur. Ego nihil definio, quum de vera litterarum figura mihi non satis constet. Pagurus alibi in Cossurae moneta apparet et fortasse in eius vicinia numi patria quaerenda est.

5. *Duo capita virilia laureata iugata ad d., supra duae stellae.*)(*Duo equi gradientes ad d.* supra inscriptio Phoenicia, quam litt. L dedimus ad delineationem Mionneti tab. 20 no. 43 (T. I. p. 273), litt. M ad delin. Bellermanni (IV, p. 8).

In utroque apographo duae postremae litterae sibi constant, sed שף legendae sunt, non מת, ut fecit Bellermannus; prima a Bellermanno rectius picta Aleph esse videtur. Ita prodit

אשף

quod hebraice (אַשָּׁף) *incantatorem* significat, h. l. autem n. pr. urbis est. At cuius urbis cuiusve regionis sit, eo minus definio, quum ipse numum non examinaverim. Mionnetus l. c. eum Siculis annumerat: Bellermannus Amatho Cypri tribuit epigraphen legens אמת, quod posterius haud dubie falsum est.

6. Numus ex longo rotundus. *Avis* (aquila) *ad sinistram in tetragono.* Pone quattuor litterae, quas Bellermannus (II in tit.) ita pinxit, ut nos dedimus litt. N, Mionnetus pl. 30 bis no. 11, ita ut litt. O. Ante quattuor signa litt. P.)(*Taurus stans ad sin.*

Bellermannus (II, p. 20. 21) epigraphen legit שקלא *Sicilia:* sed Asiae minoris numum esse, universa eius ratio docet, et recte Mionnetus eum Persico-Phoeniciis annumerat. Ceterum, si modo certa est Bellermanni delineatio, lectio illa non reprehendenda erit, et שקלא vel urbis nomen vel *siclum* notare possit. *Aleph* litterae forma eadem est atque in numis Maccabaeorum.

7. Numos litt. Q. R a Bayero repetii tab. 3. no. 8. 9, qui eos Africae tribuit, neque usquam alibi depictos vidi.

Digitized by Google

LIBER QUARTUS
LINGUAM PHOENICIAM ILLUSTRANS.

CAPUT PRIMUM.
LINGUAE INDOLES ET HISTORIA.

§. 1.

Duplex eius cognoscendae fons.

Absoluta iam monumentorum quae Phoenicio charactere exarata sunt illustratione pro consilio nostro superest, ut de linguae Phoeniciae Punicaeque ratione et indole separatim agamus paullo copiosius. Cuius quidem cognoscendae duplicem habemus fontem: unum eumque sane locupletissimum in his ipsis monumentis domestica litteratura scriptis, alterum in glossis et nominibus propriis Phoeniciis, quae litteris Graecis Latinisque expressa apud veteres scriptores satis magno numero reperiuntur, quibus in Plauti Poenulo accedit nobilissimum integrae et continuae orationis specimen. Utriusque autem huius fontis suae quaedam propriae et virtutes sunt et vitia, ut neutro carere possit, qui universam linguae indolem cognoscere cupiat. Etenim monumenta illa secundo et tertio libro a nobis tractata *linguae* quidem *scriptae* imaginem fidam *oculis* nostris repraesentant et, quae linguam litteris exprimendi ratio (*ὀρθογραφία*) apud Phoenices Poenosque usitata fuerit, accuratissime docent: quae vero fuerit *sonorum* et *pronunciationis* ratio, id in dubio relinquunt haec monumenta eo magis, quum a vocalibus indicandis paene omnino abstineant (vide lib. I §. 40). Contra verba Punica, quae apud scriptores Graecos Romanosque reperiuntur, *sonum* quidem litteris Graecis Latinisque utcunque expressum *auribus* tradunt et quibus vocalibus ea apud Poenos pronunciata fuerint, nos edocent: sed tamen in his ad etymon et orthographiam Punicam revocandis saepe permagna est difficultas, quum vulgaris pronunciandi ratio formas contrahere litterasque ad etymon cognoscendum necessarias negligere soleat: cui accedit quod exterorum scriptorum in Punicis explicandis auctoritas non ubique satis certa est. Quae quum ita sint, ad pleniorem linguae

Digitized by Google

cognitionem uterque ille fons adhibendus est, ut alter alterum suppleat, et omnibus numeris absoluta eorum duntaxat est verborum Punicorum notitia, quorum exempla in utroque fontis genere reperiuntur, ita ut de orthographia non minus quam de sono nobis constet. Verbi causa hebraeum ראש *caput* a Phoenicibus plerumque defective רש scriptum fuisse scimus ex numis Heracleae Siculae (pag. 293) et inscriptione Sardica (p. 156), sed *rûs* (non *rosch* more Hebraeorum) pronunciatum esse docent nomina propria urbium et promontoriorum Africanorum *Rusaddir* (ראש אדיר), *Rusconia* (ראש כנעה), *Rusicade* (ראש יקדה): Herculis nomen מלקרת, מלקר in inscriptionibus et numis etiam מעקר (Tripol. 2, 1. num. Sig.) et מקרת (Tugg. lin. 2) scribi videmus, sed hanc posteriorem formam *Mokar*, *Mokart* pronunciatam esse docet n. pr. Βαρμόχαρος Polyb. 7, 9, et confirmat aliorum verborum analogia, in quibus pro *al* pronunciatum est *au*, *o*, ע scriptum pro ל. Alĭa huius generis exempla sunt:

in monumentis	in scriptt. Graecis et Romanis	apud Hebraeos	
אשמן	Ἐσμοῦνος	. . . . .	Aesculapius
בדעשתרת	Bodostor	. . . . .	(servus Astartes) n. pr.
חכמשבעל	Hiempsal	. . . . .	n. pr.
מלכת	Malaca	(מָלָאכָה)	n. pr. (officina)
מעשלים	Massyli	. . . . .	
נחם	Ναοῦμος	נַחוּם	n. pr.
סיגת	Sigatha	. . . . .	n. pr. oppidi Africani
סברתעל	Sabratha	. . . . .	n. pr. Tripolis
רו	*rû*	רִוִּי	irrigatio, pluvia
ש	si, sa	שֶׁ־, שֶׁ־	qui (pron. relat.)
שלש	salûs	שָׁלוֹשׁ	tres
שם	sim	שֵׁם	nomen
שפט	sufet (s)	שׁוֹפֵט	iudex
תנת	Tanaïtis	. . . . .	Diana Persica.

de quibus vide indices cap. 2 et 3 contextos, ubi singulorum fontes laudati sunt.

2. Ex solo altero fonte hauserunt tantum non omnes, qui inde a renatis litteris de lingua Phoenicia et Punica egerunt. Quorum primus est Bernardus Aldrete, Canonicus Cordubensis, qui in libro praestantissimo: *Antiguedades de España* cet. (vide pag. 1) pag. 180—239 satis multa tum appellativa tum nomina propria ex veteribus scriptoribus collegit, ad litterarum ordinem digessit et pro illius aetatis modulo scite illustravit. Hunc excipiebant Thomae Reinesii „Ἱστορούμενα *linguae Punicae* errori populari Arabicam et Punicam esse eandem opposita, nunc post tot annorum latebras in lucem protracta operâ Tobiae Seifarti, Schol. Altenb. rectore. Altenburgi 1737“, saepius recusa (Lipsiae 1660. 1670 et in Graevii syntagmate dissertationum rariorum 1702), libellus quamquam exiguae molis, tamen bonae frugis

Digitized by Google

plenus. Utriusque autem curas longo spatio post se reliquit Sam. Bochartus, qui *Geographiae sacrae* (Cadoni 1646. fol.) libro secundo s. *de lingua Phoenicum*, quaecunque in veteribus scriptoribus reperiri poterant, appellativa et nomina propria permulta collegit, ad ordinem scriptorum disposuit, et, qua erat doctrinae copia ingeniique sollertia, explicavit. Praeter eos, qui de locis Punicis apud Plautum egerunt (§. 11), his nuper accessit Hamakerus, qui *Miscellaneorum Phoeniciorum* libro quinto (pag. 164—307) tum Phoenicia, quae apud Sanchuniathonem deprehenduntur, tractavit, tum nominibus propriis hominum et locorum colligendis et ad etymon revocandis bene meruit, apud quem laudata etiam reperiuntur, quae Scaligerus (Canone isagogico, ad fragmm. Graecorum al.) et Mignotus (dissertatt. de Phoenicibus, in Mém. de l'acad. T. XXXIV—XXXVIII) in hoc genere tentarunt. Qui utroque illo fonte ad linguae indolem illustrandam usi fuerint, pauciores sunt, velut *O. G. Tychsenius* in commentatione de linguae Phoeniciae et Hebraicae mutua aequalitate (N. act. Upsal. T. VII) et nos ipsi in: *Bemerkungen über die phönizische und punische Sprache*, in hist. linguae hebraeae p. 223 sqq. *).

§ 2.

Linguae Phoeniciae indoles et cum hebraea necessitudo.

1. Linguam Phoeniciam Punicamque linguae Hebraeae admodum affinem esse, iam ex veteribus non semel observarunt Hieronymus et Augustinus, et hic quidem permagnae in hac re auctoritatis, quippe qui vigente adhuc lingua Punica in Africa vivens (§. 6) ipse se Poenum agnoscat (contra Julian. lib. 3 c. 17). Ita in Quaestionibus in Iudices lib. VII qu. 16 (T. III p. 477 ed. Bened.): *istae linguae* (Hebraea et Punica) *non multum inter se differunt.* Id. contra litteras Petiliani lib. 2, cap. 104 (T. IX col. 198): *Hunc* (Christum) *Hebraei dicunt Messiam, quod verbum linguae Punicae consonum est, sicut alia permulta et paene omnia.* In Ioann. tract. 15 (T. III, b col. 302): *cognatae quippe sunt linguae istae et vicinae, Hebraea, Punica et Syra.* De verbis Domini serm. 35, ubi explicat, quid sit Mammona: *Hebraeum verbum est cognatum linguae Punicae: istae enim linguae significationis quadam vicinitate sociantur.* Et libro I Locutionum in Gen. 8, 9: *et extendit manum suam. Locutio est quam propterea Hebraeam puto, quia et Punicae linguae familiarissima est, in qua multa invenimus Hebraeis verbis consonantia.* Neque aliter Hieronymus in Jerem. 5, 25: *Tyrus et Sidon in Phoenices littore principes civitates rel. Quarum Carthago colonia. Unde et Poeni sermone corrupto quasi Phoeni appellantur. Quarum lingua linguae Hebraeae magna ex parte confinis est.* Et in Jes. lib. 3 cap. 7: *Lingua quoque Punica, quae de Hebraeorum fontibus manare dicitur, proprie virgo alma* appellatur. Et Quaestionibus in Gen. 36, 24 de voce ימים: *nonnulli*

*) Alii, qui singularia quaedam philologiae Punicae capita tractaverunt, ut Bellermannus (p. 5), Schelling (v. infra §. 17) suo loco vel laudati sunt vel laudabuntur. Perexiguus est Matth. Norbergii libellus *de colonia et lingua Carthaginensi*; Londini Gothorum 1787. 4.

Digitized by Google

putant aquas calidas iuxta Punicae linguae viciniam, quae Hebraeae contermina est, hoc vocabulo significari. Concinit Priscianus lib. 5 p. 123 his verbis: *maxime cum lingua Poenorum, quae Chaldaeae vel Hebraeae similis est et Syrae, non habeat neutrum genus.* Contra falsa sunt, quae Hieronymus in Jes. 19, 18: „*non possumus*, inquit, *loqui lingua Hebraea, sed lingua Cananitide, quae inter Aegyptiam et Hebraeam media est et Hebraeae magna ex parte confinis*, nisi forte pro *Aegyptiam* scribendum est *Aramaeam.*

2. Idem recentiores quoque Philologi intellexerunt, quotquot linguae Phoeniciae reliquiis operam suam dicarunt vel de iis iudicium fecerunt *), quanquam hos in duas diversas sententias discessisse videmus. Alii enim praeter exiguum scribendi et pronunciandi discrimen linguam Phoeniciam eandem atque Hebraeam fuisse affirmant dialectorum cognatarum formis non infectam **), alii Hebraeae quidem similem, sed

*) Praeiverat iam Aben Esra ad Jes. 19, 18: וזה נלמוד כי הכנענים בלשון הקדש המדברים, valde improbante Abarbenele. Ex recentioribus Jos. Scaliger epist. ad Ubertum p. 362 (cf. infra §. 11). Id. castigat. in Festum v. Europa: *nemo paullo doctior dubitat, Phoenices Hebraice esse locutos.* Reinesius IV, 4: *Fuit autem Cananaea illa seu Phoenicia lingua vel ipsa Ebraea ea, quae Dei beneficio in V. Testamenti volumine etiam nunc post tot secula restat, quae sententia ill. Scaligeri est post Wilh. Postellum, refutata a N. Fullero misc. 4, 4, vel eidem admodum affinis Drus. l. 4 Praef. ad Joh. 12, 3.*" Seldenus de diis Syris, prolegg. c. 2. Walton apparat. bibl. Prolegg. III, §. 14—19. Clericus de ling. hebr. no. 5. Bochart Canaan cap. 1 (ubi Fullerum refellit, qui l. c. linguam Phoeniciam ab Hebraea longe abfuisse affirmaverat). Swinton in Allgem. Welthistorie T. XV §. 314, et alii ferme omnes. Vix autem dicas, *vl παθών Herderus* (Geist der ebr. Poësie T. I p. 317) scribere potuerit: *Es ist Eine der Fabeln unserer Zeit, deren Sinn ich nicht einmal begreife, dass man die Ebräische Sprache ausschliessend und ursprünglich für die Sprache der Cananiter hält.*

**) Ita post Verbruggium (vide §. 11). O. G. Tychsenius l. c. p. 89: *Quum lingua phoenicia litteris consignata nomine tantum et litterarum figuris ab Hebraea discrepet, sibi caveat interpres, ne ex affinibus Chald. Samar. ac Syr. dialectis nominum et verborum formas et structuras cuique dialecto peculiares repetat et ad earum constructionis leges adplicet.*" „*Nomina generis feminini sub duplici terminatione in omnibus reliquiis phoeniciis terminatione* ת *veniunt, quem morem et Arabes tenent* (p. 91)." [Cf. infra §. 29]. *A. Th. Hartmannus* in vit. Tychsen. II, a. 277. 283. 291 et saepe. Akerblad (de inscr. Oxoniensi p. 26): *Iure igitur statuere licet, linguam Phoeniciam antiquis temporibus eandem prorsus fuisse ac hebraeam, quae in libris hodie superstitibus exstat, quod probare conatus est Bochartus argumentis aliunde petitis, quibus nunc novam vim ac robur addunt haec monumenta, eius aevo nondum cognita.* Fabricy de Phoeniciae litteraturae fontibus p. 29. 221. Gesenius Gesch. d. hebr. Sprache u. Schrift p. 229: „*Für das Verhältniss des Hebräischen und Phönizischen ergeben sich folgende Resultate: 1) die meisten sicher entzifferten phönizischen Wörter coincidiren genau mit dem Althebräischen, selbst in Wörtern und Formen, die dem Hebräischen ganz eigenthümlich sind, und namentlich im Aramäischen anders lauten. Z. B.* אדון, אלהים, אשת, בן, עולם, *die Pluralendung* ים. *2) Nur selten erscheinen Abweichungen, welche für provinziell gehalten werden mögen, z. B. die Buchstabennamen Ἄλφα, Βῆτα mit einer Art* status emphaticus, *Edom für* דם *Blut, der häufige Gebrauch der Vocale* u *und* i *im Punischen. Vornehmlich in den Vocalen wird man die meisten Abweichungen zu suchen haben. 3) Die nicht kenntlichen Wörter sind es in der Regel in den übrigen Dialekten so wenig, als im Hebräischen.*" Re ipsa

Digitized by Google

formis tamen Arabicis, Syris, Chaldaeis, Samaritanis vario modo temperatam statuunt *), in qua posteriore sententia etiam atque etiam asseveranda omnem modum excedit Hamakerus, qui illam de lingua Phoenicia Hebraeae simillima atque proxima opinionem perversam atque temerariam appellans ex eruditorum animis eradicandam **), omnesque linguas Semiticas, prout coniecturis suis inservire posse videbantur, commiscens, linguam quandam Phoeniciam sibi fingit a vera longe alienam. Is enim Phoenicismum nulli dialecto Semiticae per omnia similem esse, modo ad Arabismum ***) modo ad Syriasmum inclinare †), nec raro Samaritanismum exprimere affirmat, quod quidem nemo miretur, qui Samaritanos a Sidoniis originem ducere sciat ††). Poenos non

---

eandem sententiam professi sunt F. P. Bayerus, Steph. Quatremere, et maximam quidem partem Bellermannus, Lindbergius, ut nescias maiorne sit ignorantia an arrogantia Wihlii, qui *se* primum huius sententiae inventorem iactat (de inscr. Phoen. p. 50).

*) Ita prae ceteris Bochartus, isque tamen et doctius et magis sobrie agens, quam qui temere eius vestigiis insistebant, Clericus, Mazocchius, Mignotius, Sappuhnus (§. 11); et nostra quidem aetate Amadeus Peyron (v. p. 279), Koppius contra Tychsenium et Hartmannum disputans (Bilder und Schriften II, 183), Mich. Lancius, passim etiam Lindbergius, qui tamen omnes ad Syriasmum et Arabismum nonnisi necessitate urgente et, ut verum dicam, ubi Phoenicia male lecta ad Hebraismum referri non poterant, confugiunt. Punicam linguam ex pluribus dialectis mixtam esse etiam Adelungius affirmat (Mithridates I, p. 352).

**) Diatribes p. 65. Miscellan. praef. p. VIII.

***) Miscellan. pag. 112: Ego vero ..... hoc mihi certissime persuadeo, linguam istam (Phoeniciam) non Syriacis tantum vocabulis formisque, *sed Arabicis etiam scatuisse*, etsi Hebraicae, quam ceteris dialectis, similior fuerit. Quam sententiam tribus maxime de causis probavi. Nam primum multae inscriptiones sunt et numi, ex quibus te nunquam expedias, nisi nunc ad Syriasmum nunc ad Arabismum confugeris, quod de numis praesertim inferius apparebit [vide de his Hamakeri explicationibus, quae tantum non omnes falsa lectione nituntur, supra pag. 204. 207. 266. 279—281. 290 al. cf. Miscell. p. 17. 20. 138. 139. 150 al.]: dein haud paucae glossae sunt et nomina propria, in quibus statim Arabicae linguae vestigia agnosces [cf. nos huius libri §. 16. 18. 21]: postremo idem docet diligentior investigatio eorum vocabulorum, quae a Phoenicibus accepisse videntur Graeci: quae res .... paucis declaranda est." Provocat dein ad tria vocabula graeca, quarum origo Arabica certissima sit: *βασιλεύς* a باسل vir strenuus, heros [quidni, si modo Semiticae originis est, a משל?]. *λαῖφος* pannus, velum navis a لِيف lanugo, filamentum [imo *λαῖφος*, una cum *λῶπος*, *λώπη* est indogermanicae originis et cognatum nostro *Lappen*, *Lumpen*], *Λοξίας* Apollinis attributum a لُغز aenigma, oratio obscura [quod ipsum nescio an, ut multa alia Arabica, ex graeco *λοξός* originem duxerit]. Cf. infra §. 21.

†) Diatr. p. 65—67.

††) Jos. Archaeol. XI, 8 §. 6. XII, 5 §. 5, coll. Michael. spicil. P. I. p. 104 sqq. — Ad duo autem provocat Hamakerus (diatr. p. 67) ad probandam „amicam et plane singularem Samaritanorum et Phoenicum conspirationem: cuius arctissimae cognationis luculentiora indicia essemus habituri, si aut plura et maiora Phoenicum Poenorumque monumenta nobis suppeterent (?), aut puriora ad nos pervenissent veteris linguae Samaritanae specimina." Unum ponit in masculino usu vocis תלד, alterum in א littera in utraque dialecto pro ה articuli usurpata, quum passim alibi tum in Versione Samarit. Gen. 1, 27 דכר ואנקבה *mas et femella*, et 25, 19: אלין אתילדות יצחק cui accedat tertium exemplum in epistola Samaritanorum ad Scaligerum (Repert. XIII p. 262), idque tamen incertum. Quae quid sint, paucis dici potest. Quod enim ad תלד attinet, id in monumentis Phoeniciis non legi, et Hamakeri com-

Digitized by Google

tantum vocabula derivata, sed etiam radices habuisse sibi privas et peculiares, sive ex antiqua omnium dialectorum Semiticarum matre sive ex Libyca derivatas in suam *): quae omnia quum alia monumenta Phoenicia commonstrent, quotquot exstent, tum omnium luculentissime inscriptio Tuggensis, in qua praeter pauca quaedam vocabula אדן, בן, בעל, מצבת paene omnia nova sint et inaudita **). In quo viri doctissimi iudicio sub examen vocando praeter ea, quae iam in notis striotim observavimus, ita versabimur, ut ad eius sive opinionis sive erroris argumenta causasque redeamus, quarum utraque Hamakeri diatribe perlecta omnino duas esse intelleximus. Atqui prima, eaque praecipua, causa in falsa plerorumque monumentorum lectione posita est, quam tum malae fidei apographis tum maxime erroribus palaeographicis tribuendam esse vidimus ***): cuius *πρώτου* quidem *ψεύδους* eam vim esse lectores meminerint, ut in multis inscriptionibus, maxime Numidicis (v. Tugg. Numid. 3. 4. Tripol. 1. 2) vix duas tresve litteras continuas ab Hamakero recte agnitas lectasque deprehenderimus. Male lecta autem ne Oedipus quidem Poenus ad legitimae linguae Phoeniciae analogiam revocaverit: erantque, quod fecit Hamakerus, omnes dialectorum cognatarum latebrae excutiendae, ut ex litteris sententia carentibus aliquid certe, etsi saepe satis ineptum exsculperetur †). Altera falsae opinionis causa in eo nititur, quod inde a Barthelemyo ea etiam monumenta, quae in Aegypto reperta dialecto Aramaea et peculiari quadam

mentum esse, supra vidimus (pag. 163 sqq.): א autem in locis laudatis Versionis Samaritanae reperitur quidem (זכר ואנקבה praeterea etiam Gen. 6, 19), sed neque locis laudatis neque usquam alibi articuli vim habet. Etenim אתילדות יצחק Gen. 25, 19 pronunciandum est אִתְיַלְדוּת יִצְחָק et est Verbale Ithpa., ut hebr. הִתְיַחֵשׂ stemma: אנקבה autem pro נקבה (quod ipsum Gen. 1, 27. 5, 2. Lev. 3, 1. 6 legitur) satis consueta est nominum Samaritanorum forma Aleph prosthetico munita, velut ארש pater, auctor i. q. רש, ראש pr. caput; אדגן et אדכן i. q. דגן frumentum; אמלל = מלה verbum; אכה pro כה ita, אשפר, ארתע al. Articulum illis in locis vel per syntaxis leges locum habere non posse, ipse Hamakerus l. c. sensit quidem, sed excusare studuit: syntactico autem argumento novum accedit ex linguae usu ductum, siquidem Samaritani etiam ה praefixo rarissime (multis capitibus perlectis ne unicum quidem exemplum reperi) et ferme ubique statu emphatico Aramaeorum utuntur.

*) Diatribes pag. 42.

**) Ibid. pag. 66.

***) Inscriptionis Tuggensis explicationem, cui maximam partem nititur Hamakeri declamatio in diatribe pag. 66 sqq., ipse retractavit (v. nos pag. 185): plerasque alias coniecturas non minus retractaturus, si monumenta recens inventa (Carthag. 5. Numid. 1. 2) et quae inde ad litteras Numidicas recte legendas consequuntur, examinare potuisset. — Idiomata Syra atque Chaldaea, quae hunc in modum in inscriptionibus legere perperam sibi visus est Hamakerus, verbi causa haec sunt. דכר i. q. זכר *memoria* Athen. 1, 1 (pag. 113), דְּ qui, praeter Melit. 4, 3. Carth. 2, lin. 3. 3 lin. 4. דִּי quoniam Melit. 4, 6. אבינא דכתא pauperes Citiensium Cit. 20, 4. תרת = תִּרְשׁ mustum, דעבד אתמן qui colitur hoc loco Carth. 2, 3

†) Adeo *graecam* quandam inscriptionem Hamakerus nobis ita explicuit, ut litteris a dextra ad sinistram lectis et ad alphabetum Phoenicium relatis *vocabulum Arabicum* inde eliceret. Quod enim in gemma quadam gnostica (Miscell. tab. 4 no. 28 b) manifesto legitur graecum *BAPXA*, id auctor קאמרת legit i. q. קָטַר et *nodum* (magicum) s. *amuletum* intelligit, coll. aram. קְטַר i. q. קָשַׁר ligavit, radice vocis aramaeae, forma arabica.

Digitized by Google

litteratura exarata sunt (lib. II, cap. 8), maxime lapis Carpentoractensis, Phoenicia appellari solita sunt, quem quidem errorem a Koppio iam detectum et castigatum, spreta utilissima hac observatione praeter Lancium etiam Hamakerus revocavit *), et praeoccupatae de dialecti Phoéniciae indole opinioni inde suppetias ferre non dubitavit. Quod quid valeat, non est quod copiose exponamus. Quum enim ista monumenta dialecto vere Aramaea paucis Hebraismis temperata aliisque litteris scripta sint atque vere Phoenicia, in alia quoque regione reperta, linguae vere Phoeniciae indolem ex iis eodem fere iure definias, quam si ex Chaldaeis Danielis et Esrae capitibus aut ex Targumis colligere velis, totius Veteris Testamenti orationem Syriasmis et Chaldaismis esse refertam.

§. 3.

Quae vera sit Phoeniciae linguae species et quasi forma habitusque, quid ab Hebraea differat, et vel sibi proprium et peculiare vel cum cognatis linguis commune habeat, id ex utroque fonte quem modo indicavimus (§. 1) uberius quidem docebitur tum secundo et tertio tum maxime quarto huius libri capite: ut intelligant autem lectores, quid de illa eruditorum discordia (§. 2, 2) sentiendum sit, statim nunc rei summam in brevi conspectu ponere linguaeque faciem paucis quibusdam lineis adumbrare visum est.

Ac *primum* 1. omnino hoc tenendum est, pleraque atque paene omnia cum Hebraeis convenire, sive radices spectas sive verborum et formandorum et flectendorum rationem, quam quidem rem exemplis illustrare supervacaneum est. Unum haud negligere iubemus, Phoenices etiam in usitatissimis vocabulis et vocabulorum formis, in quibus dialecti alias valde affines saepe a se invicem discedere solent, ubique Hebraeorum usum sequi v. c. אָב pater plur. אבת (aram. pl. אבהן); אדן dominus (non ܡܪܐ, raro רב), בן filius (syr. בר, arab. ابن), בת filia (aram. ברת, arab. بنت), אש pro איש vir, poët. גבר (syr. ܓܒܪܐ, arab. رجل), בעל dominus (arab. ذو), דבר verbum (non מלה aut كلمة), אי insula, עם populus (non اهل, אמה), בוא venire (non אתא, اتا), שית ponere (non جعل); אנך ego (non אנא, انا), plur. masc. in ־ִים, raro in ־ִין, fem. in *uth* = ות (non *ath*) rel.

2. Ubicunque antiquiorum V. T. scriptorum usus a recentiorum scriptorum usu discrepat, lingua Phoenicia cum his potius quam cum illis convenit, quod nemini mirum videri potest, qui reputet, quae supra de nostrorum monumentorum aetate dicta sunt (lib. I §. 6). Ita nominis relativi plenior forma אשר nusquam comparet, ubique brevior illa et, ut videtur, recentior שׁ (*si*, *sa*), et של (שֶׁל) ex אֲשֶׁר לְ, quod nonnisi in Ecclesiaste et Talmude reperitur: *regnum* ubique exprimunt voce מלכת (מַלְכֻת), ut in recentiore Hebraismo, nusquam antiquiore vocabulo מַמְלָכָה (v. Lex. man. his vcc.); *principem* plerumque recentiore vocabulo רב (raro שׁר): מזר *sidus* in V. T. ἅπαξ λεγόμ. (Iob. 38, 32) de *fortuna*, ut apud Phoenices, nonnisi

*) Vide supra pag. 60.

in Talmude frequentatur, ita etiam *chyr* imago Plaut. V, 1, 8 i. q. talmud כיור, *ἀδὰ* salix i. q. talmud. אידן, *ἀσίρακος* cicada i. q. talmud. איסקרא.

3. Paucae tantum inveniuntur voces vocumque formae, quae Aramaismum referant, nec plures in linguae Phoeniciae reliquiis reperias Aramaismos, quam in V. T. libris. Ita בר *filius* nusquam in ipso linguae usu atque nonnisi in nominibus propriis reperitur (ברמלך), et nomina pluralia exeuntia in ־ִין haud frequentiora sunt, quam in Hebraeorum sermone poëtico. Plurima, quae huc referenda sint, in Plauti fragmento reperiri videntur, v. c. *thym* (תם) pro hebr. שם *ibi*, *thera* (תרע pro hebr. שער) porta, *rufên* medici (ad formam ܓܠܝܢ, hebr. רפאים), *avo* salvete (chald. חֲוֹו). Alia incertiora sunt, quum Graeci scriptores saepe Syriaca et Phoenicia confundere soleant v. c. *θὼρ* (תור, hebr. שור) taurus.

4. Pauciora etiam Arabismum imitantur, in quorum numero maxime memorabilis est articulus, qui semel plene אל scribitur (Cilic. F), saepe א, at saepissime tamen ה, ut apud Hebraeos. Alia verba quae nunc quidem non nisi ex lingua Arabica illustrari possunt, olim haud dubie, pariter atque multa V. T. *ἅπαξ λεγόμενα* cum solis Arabicis congruentia, non minus Hebraea erant quam Arabica.

5. In his, quae Phoeniciae Punicaeque linguae propria et peculiaria sunt, haec sunt notabiliora: a. In re orthographica scriptio defectiva, qua matribus lectionis quam parcissime utuntur (lib. I §. 40). b. In pronunciando Phoenices, certe Poeni, o productum (ו) saepe efferunt û, v. c. שׁוֹפֵם *sufes*, לו (ei) *lu*, *alonuth* (עלינות) *deae*, *bynuthii* בנותי filiae meae; pro Segol et Schwa mobile sonum obtusum extulisse videntur, quem y vocali exprimunt Romani, v. c. את (nota acc.) *yth*, הננו (ecce eum) *ynnynu*, חליץ *chylys;* alibi pro Schwa mobili pronunciant vocalem sequentem, veluti גבולים gubulim, מְלָכַת Malaca, חליץ chylys. c. *al* syllabam contrahunt in (au) *o*, ut gall. *cheval* (chevau), *chevaux*, quod modo ע littera exprimunt, modo omittunt, veluti מלכת contr. מכת et מעכת *mocût*, מלקר contr. מעקר et מקר *mocar*, Hannibal contr. Hanebo. d. Nomina feminina nunquam in ה exeunt, sed paene ubique in ת (raro in א): complura etiam nomina in feminino usitata sunt, quae hebraice nonnisi in masculino, veluti עמת et contr. עת populus, pro עָם; אית et איא insula, pro hebr. אִי.

6. Vocabula quaedam peregrina in linguam Punicam recepta et in ea civitatem nacta sunt, ut a) Aegyptiaca, ut בקי ⲃⲁⲕⲓ urbs, אשמן Aesculapius, fortasse תנת *ta-Neith* Tanaïtis (Neitha, v. pag. 117. 118); b) Graeca et Romana, maxime nomina propria, quae litteris Phoeniciis imitati sunt, veluti רם Roma, לאדכא Laodicea, בזנתי Byzantium, הרנא Irene. Vocabula, quarum Libyca origo certa sit, in ipsis Punicis non reperi: Liby-phoenicia vero dialectus ex utroque sermone, Libyco et Phoenicio mixtus fuit (v. lib. II, no. 56 et lib. IV §. 14) **).

*) Scite Reinesius l. c. cap. 6: Quam Josephus et Porphyrius *τὴν Φοινίκων διάλεκτον* nominant, certissime Phoenicia illa vetus est ..... neque quidquam Arabicae linguae, nisi quatenus ex eodem fonte Ebraea scilicet sunt utraque, Arabica et Punica, admixtum habens.

**) Quae *Wahlius* (allgem. Gesch. der morgenländischen Sprachen pag. 450) affirmat: *In der*

Digitized by Google

§. 4.

Punica lingua quid differat a Phoenicia?

1. Linguam Punicam in Africa aliisque Carthaginensium in Hispania, Sicilia rel. coloniis usitatam a lingua Phoenicia proprie dicta, qua Phoenices tum in ipsa patria tum in coloniis utebantur, diversam fuisse, vulgo recepta est plurimorum scriptorum opinio etiam atque etiam iactata et paene in ridiculum aucta ab iis, qui in hoc studiorum genere hospites ex sola coniecturae probabilitate iudicabant *). Ut dicam, quod res est, nihil sane credibilius est, quam fuisse aliquam sermonis differentiam in regionibus a patria tam longe dissitis: at non ita magnam fuisse hanc varietatem, inde colligi potest, quod in monumentis saltem hodie superstitibus certa eius vestigia frustra quaeruntur. Etenim monumenta semitico-aegyptiaca (lib. II, c. 8) in hunc censum non venire, saepius iam observatum est, et, quod Adelungius in ipsius Phoeniciae proprie dictae numis duas dialectos sibi invenisse visus est **), id tantum non nugatorium est: in cunctis autem variarum regionum monumentis linguae sermonisque species et color omnino idem est. In una pronunciatione inter Phoenicum et Poenorum ***) dialectum aliquantum interfuisse videtur: eius certe pronunciandi rationis,

---

punischen Mundart ist eine Mischung africanischer und römischer Wörter und Ausdrücke mit ächt Khananitischen zu suchen. Die khananitische nahm frühe nicht nur aramäische, sondern persische, griechische und andere fremde Bestandtheile in sich auf .... Das Joch der Griechen verunstaltete die Mundart durch aufgedrungene Gräcismen, z. B. קרטסטוס *κρατιστος*, בולא *βουλη*, דמס *δημος*. *Die noch übrigen Münzen und Denkmale strotzen grösstentheils von Griechisch und Lateinisch z. B.* קלניא *colonia*" partim ficta sunt et commenticia, partim inde ducta, quod hic auctor inscriptiones Palmyrenas cum Phoeniciis confundit.

*) Iam Hieron. praef. ad lib. 2 epist. ad Gal. Unum est quod inferimus ..... nec referre, si aliqua exinde corruperint, quum et Afri Phoenicum linguam nonnulla ex parte mutaverint et ipsa Latinitas et regionibus quotidie mutatur et tempore. — Nec aliter Reinesius de lingua Punica V, 1: „Fieri non potuit, quin perinde ut aliae linguae et ipsa Phoenicia temporis decursu iniuriaque et quod apud alias gentes negotiarentur Poeni, et quod advenae essent inter indigenas Afros, aliquid alieni contraheret et paullatim a fonte suo degeneraret." Sed prorsus ficta et commenticia sunt haec Wahlii (l. c. p. 445): „*Bey dem ausgebreiteten Handel, den Phönikier trieben, bey ihren immer zahlreicher werdenden Kolonien und Pflanzstädten, konnte sich die phönikische Sprache für Abartung in grössere und kleinere Mundarten nicht schützen. Sidonisch und Kuthäisch, Tyrisch, Hebreisch und Chetisch, Jebusäisch, Amoräisch, Gergesäisch, Hheusäisch oder Evdäisch* [?!], *Sinäisch, Aradisch u. s. w. sind alle von einander mehr und minder abweichende Dialekte gewesen. Die Phönikier breiteten sich durch ihren Handel schnell und weit aus ..... und wo sie sich niederliessen, brachten sie ihre Sprache mit. Hieraus wird die grosse Anzahl phönikischer Mundarten ersichtlich. Man könnte sie in inländische und ausländische theilen: doch bequemer ordnet man nach zwo Hauptmundarten. Diese sind die Phönikische und Punische. Jene prädominirte in Asien, die letztere aber in Africa.*"

**) „*Die Sprache der Küsten-Canaaniter oder Phönicier theilte sich in zwey Dialekte, den reinern Palästinensischen an der palästinischen, und den platten Syrischen an der syrischen Gränze, welcher Unterschied auch auf den noch übrigen Münzen sichtbar ist* (Mithrid. I p. 345)." Utinam hoc tale discrimen in Phoeniciae propriae numis nobis ostendisset vir doctus.

***) Apud scriptores Romanos vocabula *Phoenices* (*Phoenicius*) et *Poeni* (*Punicus*) vulgo quidem

Digitized by Google

quam apud Plautum in locorum Africanorum nominibus propriis usu venisse videmus, qua ו efferebant û (§. 3, 5, litt. b), in Phoeniciae propriae verbis nullum exemplum reperi.

Ceterum ex quo scripturae Numidicae rationes extricare nobis contigit, longius etiam progredi atque hoc affirmare licet, Numidiae quoque et Mauritaniae linguam cum Punica convenire *). Inscriptiones certe et numi ad Numidiam pertinentes (lib. II, cap. 6. lib. III, cap. 5) sermonis colorem et formam nobis offerunt, quae nihil fere differt ab oratione Hebraea (cf. formulam מלך עלם שמע קלת עמת Numid. 1. 2. 3. 4. רשת למלכת רם קם עלם Tripol. 1. יצב עי רם מלכת num. Iub. I), et, quod etsi dubitabundus iam sumserat Hamakerus, nomina propria hominum atque locorum Numidiae et Mauritaniae (veluti *Massyli*, *Iugurtha*, *Adherbal*, *Hiempsal*; *Massaesyli*, *Bocchus*, *Rusaddir*, *Tingis*) etymon ex lingua Hebraea petitum non magis aspernantur, quam quae ad Carthaginem spectant (v. cap. 3). Imo, ut verum fatear, ne in unam quidem linguae proprietatem incidi, quae Numidicae dialecto peculiaris appellari possit: illius enim contractionis, qua *al* syllaba solvitur in (au) ô, cuius pleraque exempla in Numidicis monumentis reperiuntur, iam in ipsa Phoenicia adeoque in Vetere Testamento exemplum quoddam reperisse nobis videmur (§. 25).

---

ita distinguuntur, ut illo Phoenices proprie dicti eorumque coloni, hoc Carthaginenses aliique Afri a Phoenicibus originem ducentes cum colonis suis designentur: sed gr. *Φοίνικες* etiam Carthaginenses aliosque Poenos comprehendit (Herod. 5, 46. Eur. Troad. 222. Boeckh explanat. ad Pind P. I p. 72), quod imitantur Romanorum poëtae (Phoenix pro Poeno Sil. Ital. 13, 730. 16, 25): atque reapse vc. *Poenus* nihil aliud est quam ipsum *Φοίνιξ* ad latinae linguae rationem accommodatum, sicut *Punicus* ortum est ex gr. *φοινίκιος*, unde prisca forma *Poenicus*, (apud Catonem et Varronem), dein usitatior *Punicus* (cf. coerare, curare; moenia, munia, munire; poena, punio). Adiectivum gentilicium Graeci quidem vulgo forma *φοινικικός* exprimunt, et *φοινίκιος*, *φοινίκεος*, ut lat. *phoeniceus*, *poeniceus*, *puniceus* de colore purpureo frequentantur, sed olim eiusdem significationis fuisse has formas ostendit *dux Puniceus* i. q. Poenus Ovid. Ib. 283. — De origine graeci *Φοίνιξ* si quaeras, hoc mihi certum exploratumque videtur, non Semiticae originis esse vocabulum, neque בני ענק (Boch. Canaan I, 1), neque ענקים (Ar. Montan. al.), quum domestica gentis appellatio sit כנען כנענים, sed graecae: at unde ductum sit, dubitari potest. Videant autem eruditi, sitne *Φοινίκων* appellatio ducta a *φοίνιξ* purpura, cui affines sunt *φοινός*, *φοινήεις* (Il. 12, 202) purpureus, sanguineus (cf. *φόνος*), *φοινίσσω* rubefacio, ita ut *Φοίνιξ* appellative *purpurarium* designet.

Nos utrumque illud adiectivum (Phoenicius et Punicus, lingua Phoenicia et lingua Punica) Romano quidem more distinguendum putavimus, ita ut Africae Phoenicium sermonem *Punicum* appellaremus: *Phoenicia* tamen lingua ampliore significatu etiam Punicam complectimur.

*) Quae huc illuc fluctuantes viri docti ea de re opinati sint, vide pag. 50 not. *) **). Adde Pellerin Recueil III p. 145: *Il est tout naturel de penser, que ces deux peuples* (Numidiens et Mauritaniens) *parloient une autre langue, que les Carthaginois.* Lindberg de inscr. Melit. p. 43 de numis loquens, quos Cissae tribuit (nos Sigae tribuimus): *si e lingua Hebraica jure Mauritanica epigraphe possit explicari.*

Digitized by Google

§. 5.

Quibus in regionibus et ad quod usque tempus viguerit linguae Phoeniciae usus?

Ad hanc quaestionem in universum ita respondeam: Sermonis usum viguisse, ubicunque *scripturae* monumenta reperta sint (§. 5. 6): sed latius tamen patuisse, quum lingua atque dialectus Phoenicum multis fortasse seculis ante litteras ab iis inventas exculta sit, et hic illic-inter plebeios et in rure etiamtum perdurasse videatur, quum scripturae usus iam exoluisset *): viguisse igitur praeter ipsam Phoenicen ubicunque Phoenices colonias collocarint, ibique perdurasse, donec primis post Chr. nat. seculis evalescens linguae Graecae et Latinae usus linguas barbaras in universo orbe Romano, prius in urbibus et apud nobiliores, aliquanto post in rure et apud plebeios, prorsus summoverit. Quum vero in ipsa coloniarum Phoeniciarum historia multa incerta sint et coniecturâ contineantur **), iis, quae iam lib. I §. 6 de scripturae Phoeniciae monumentis eorumque patria et aetate disputavimus, nonnisi ea addere placet, quae vel certa quadam veterum auctoritate nitantur vel ex nominum propriorum indole et origine probabiliter effici possunt.

Ut ab ipsa *Phoenice* initium faciamus, in hac huius sermonis patria perpauca tantum eius testimonia supersunt (lib. I §. 6, 1), quum neque domestici scriptores neque inscriptiones ad nostram aetatem pervenerint. Perduravit vero et vix unquam intercidet linguae Phoeniciae memoria in scriptis Hebraeorum, quorum sermonem cum Phoenicio paene per omnia convenire vidimus: sive eiusdem stirpis erant Phoenices et Hebraei sibique ut vicini ita etiam proxime affines, sive Hebraei, alienae stirpis gens, linguam Phoeniciam apud veteres Palaestinae incolas usitatam adoptasse censendi sunt, quae quidem ipsorum Hebraeorum sententia fuisse videtur (Gen. 9, 22 sqq. 10, 6. 15 sqq. coll. 21) ***). Quo tempore prisci sermonis usus in Phoenicia interciderit Graecoque cesserit, accurate definiri non potest, quanquam post Alexandri tempora et vigente Seleucidarum tempore id sensim accidisse debet: diutius tamen quam apud Hebraeos et usque ad Antoninos aliquo modo eum perstitisse quum alias ob causas credibile est (Hebraeorum enim lingua iam inde ab exilio ab invalescente Aramaea sede sua deturbari coeperat, quum contra pacatiores Phoeniciarum urbium res prisci sermonis usui faverent), tum numi ostendunt usque ad illa tempora Phoenicia lingua litterisque Phoeniciis inscripti (lib. III, no. I. II). Ex *Cilicia* praeter numos (lib. I §. 6, 2. lib. III cap. 2) eosque ad Persicam aetatem pertinentes certiora tum coloniarum Phoeniciarum tum sermonis vestigia desunt †): mature igitur intercidisse

*) Vide quae infra de Punicae linguae in Africa usu dicenda sunt.

**) Prae ceteris caute et non sine circumspecto iudicio legendus scriptor hac de re primarius, *Bochartus* geogr. sacrae P. II lib. I, quem in coloniis Phoeniciis per omnem fere orbem collocandis et in urbium locorumque nominibus ad etymon Phoenicium referendis nimium fuisse et ingenio suo plus aequo indulsisse satis constat.

***) Cf. hist. lingu. hebr. §. 7.

†) Vide Bochartum l. c. cap. 5. Historiae lacunam explevit novus iste Sanchuniathon I, 1. 10. VIII, 10 (pag. 90).

Digitized by Google

et tum Persico tum Graeco sermoni ibi cessisse videtur Phoenicius. *Cyprii* contra sermonis praeter inscriptiones (lib. II, c. 3) quaedam specimina in Hesychianis maxime glossis supersunt, quarum aliqua certe pars manifesto Phoenicia est (*γάνος* גן hortus, *ἀβαθ*, *αἴλα*) et infra (cap. 3 §. 16) explicabitur, quanquam maior et glossarum et nominum propriorum numerus graecae originis est *). De *Siciliae*, *Sardiniae* insularumque circumiacentium coloniis et monumentis dictum est lib. II, cap. 1. cap. 4 no. 41, lib. III no. 9. 10. 12. 13. 14 (cf. lib. I §. 6, 5), de *Hispaniae Baeticae* lib. III, no. 15—19, quibus quae aliunde addam, non habeo, praeter nonnulla urbium nomina propria, quae Phoeniciam originem produnt, velut in Siciliae oppidis maritimis *Himera* (חמר), *Mytistrata* (מתו עשתרת) al. *Ἀμήστρατος*, *Alontium*, in Sardinia *Nora* (נערת), fortasse *Caralis*, *Curulis* (גרל), in Hispania Hispalis s. Hispal (שפל), *Castalo* (קשה עלין), *Besippo* (בית יסו) alia, de quibus mox §. 20 agetur copiosius. In omnibus his regionibus primi Phoenices consederant: postea a Carthaginensibus depulsi **), quorum lingua in Sicilia iuxta Graecam, in Sardinia et Hispania et insulis iuxta Latinam ad primorum certe Augustorum aetatem obtinuit. Nusquam autem in universo veterum orbe et latius patuit et diutius perduravit Phoenicius vel potius Punicus sermo, quam in Africa: ubi praeter plurima variique generis monumenta non solum in nominibus propriis hominum et locorum a Tripoli usque ad Tingin certissima huius sermonis testimonia exstant: sed eius sermonis usum ad sextum adeo seculum permansisse memoria proditum est. Augustinus enim, episcopus Hipponensis ipse linguae Punicae gnarus, compluribus locis hunc sermonem maxime inter dioecesis suae rusticos adhuc viguisse memorat ***): aliis de difficultate populum Punicum religionem christianam edocendi conqueritur, laetusque narrat, se quum novi episcopatus Fussalae paucis ab Hippone lapidibus condendi consilium cepisset, reperisse Presbyterum Punici sermonis gnarum †). Paullo prius Arnobius linguam Punicam in ea Africae parte, quae ad Garamantes pertineat, adhuc usitatam esse, memoriae

*) Vide Io. Meursii Cyprum p. 152 sqq. et passim. Hamakerus (Miscell. p. 115 sqq. p. 301 sqq.) multo plura, quam debebat, ad Phoenicias origines retulit, quum manifesto graeca sint, veluti *Aërias*, *Oxyporus*, *Penthylus*, vel persicae, ut *Pharnace*.

**) De Phoenicum dein Poenorum in Hispania sedibus v. Bochartum l. c. p. 600.

***) Exposit. epist. ad Rom. §. 13: Interrogati rustici nostri quid sint, Punice respondentes Canani, corrupta scilicet sicut in talibus solet una littera [accurate enim dicere debebant Chanani] quid aliud respondent quam Chananaei? Et paullo superius: Non arbitror praetereundum, quod pater Valerius animadvertit admirans. In quorundum *rusticanorum* collocutione cum alter alteri dixisset *salus* (שלוש), quaesivit ab eo, qui et Latine nosset et Punice, quid esset salus, responsum est *tria:* tum ille agnoscens cum gaudio, salutem nostram esse Trinitatem, convenientiam linguarum non fortuito sic sonuisse arbitratus est. Id. de haeresibus ad Quod vult Deum cap. 87: Est quaedam haeresis *rusticana* in campo nostro i. e. Hipponensi ..... Abelonii vocabantur Punica declinatione nominis. [Cf. pag. 135 inf.]. Sermon. 24 de verbis Apostoli: Proverbium notum est Punicum, quod quidem latine vobis dicam, quia Punice non omnes nostis. Punicum enim proverbium antiquum: numum quaerit pestilentia, duos illi da, ut ducat se.

†) Epist. 209 (261) cf. 84 (242).

Digitized by Google

prodiderat *): imo sexto seculo Procopius Mauros Libyam ad Herculis usque columnas habitantes *Φοινίκων γλώσσην* loqui narrat **). Quae in Cypriani et Augustini scriptis atque in conciliorum Africanorum actis reperiuntur, oppidorum nomina pleraque Punica sunt, contra episcoporum nomina maximam partem Latinae originis ***): quod nemo mirabitur, qui meminerit, nomina propria locorum saepe per multa secula eadem manere et in alias linguas transferri, hominum vero nomina facile novae linguae novaeque religionis rationibus accommodari.

§. 6.

Punicae linguae vestigia num in hodiernis quibusdam linguis supersint?

Punicae linguae vestigia etiam nunc vel in Melitensium dialecto vel in Hibernica s. Irica lingua superesse, pervulgata est opinio ab ipsis maxime Melitensium et Hibernorum scriptoribus qualicunque similitudine deceptis summamque linguae suae antiquitatem affectantibus defensa, merito illa quidem iam saepius explosa, attamen, ut videtur, non ab omnibus abiecta †). Atque ad Melitensem quod attinet, mirum videri non potest, hanc linguam cum Hebraea leviter comparantium animos aliqua earum similitudine percussos esse, qua permoti eam vel veteris linguae Punicae filiam esse vel certe multa eius vestigia servasse crederent. Quum enim Melitensium dialectus ex vulgari Arabum per medium aevum Melitam tenentium lingua orta sit, quippe quae ad linguae Hebraeae analogiam propius etiam, quam sermo Arabicus in libris frequentatus accedit, fieri non potuit, quin utriusque linguae tum in vocibus ipsis (*ach* frater, *ben* filius, *bîr* puteus, *ghain* oculus, *hue* ille, *hie* illa) tum in earum flexione (*achi* frater meus, *abdu* servus eius) quaedam convenientia esset. Neglexerunt vero, qui hanc paucarum vocum formarumque congruentiam urgerent, has ipsas in lingua Arabica vulgari non minus haberi, omnes reliquas autem linguae Melitensis opes

*) Arnobius ad Ps. 104.

**) Procop. bell. Vandal. II, 10. Cf. epistolam synodicam concilii anno 393 habiti, apud Augustinum ad Ps. 36, et Cyprianum de concilio Carthaginensi anni 256.

***) Münterus de primordiis ecclesiae Africanae pag. 15 plura nomina barbara ex Cypriano et ex inscriptionibus collegit, quae sibi Punica videntur, sed vix tamen ad tale etymon revocari possunt, atque partim Libyca, partim adeo ex Graecis corrupta esse videntur, veluti *Faraxen*, *Daitus*, *Narruccius*; Aimnius vel Ahimnius (i. e. *Ἀμμώνιος*), Machaeus, Monulus (a *μόνος*) al.

†) Pleraque ad hanc causam pertinentia iam attigimus pag. 252, ubi etiam (not. **) primarios quosdam eius opinionis et patronos et adversarios commemoravimus. Illis addendi sunt Io. Quintinus in descr. Melitae insulae (Graevii Thes. Sic. T. XV). Agii de Soldanis in locum Plautinum curae (§. 10 extr.). Io. Henr. Maji duo specimina linguae Punicae in hodierna Melitensium superstitis (ibid.). Onor. Bres Malta antica illustrata (Roma 1816) p. 147 sqq. C. G. Anton de indolis genuinae reliquiis in lingua Melitensium vel post magnam interpolationem conspicuis. Vitebergae 1812. 8. Adeo Tychsenius (Act. Upsal. VII p. 88) scribebat: „Exemplo est *lingua Punica in insula Melite*, quae tantas passa est mutationes, ut vix color ei nunc constet neque vultus "

Digitized by Google

cum Hebraeae linguae usu discrepare et cum una Arabica concinere: id quod iam alibi a nobis copiose disputatum hoc loco denuo persequi longum est. — Multo etiam duriora et longius petita videntur, quae de linguae Punicae vestigiis in Irica conspicuis prolata video, in qua, quippe Celticae stirpis lingua, neque radicum neque grammaticae declinationis cum Hebraea lingua concordia est: ut mirari subeat, etiam hodie esse quibus Vallanceji somnia non displiceant *). Equidem ab his coniecturis singillatim examinandis eo magis abstinendum putavi, quo magis huius generis quaestiones a libri mei consilio alienae sunt, in quo hoc unum spectavi, ut genuinas atque certas linguae Phoeniciae opes, ad quas ceu ad lapidem Lydium coniecturarum licentia exigi posset, pro viribus illustratas lectoribus proponerem.

§. 7.

Phoenicum Poenorumque scriptores deperditi.

Phoenicibus Poenisque haud exiguam fuisse librorum aliorumque monumentorum litterariorum supellectilem quum alias ob caussas credibile est, tum Plinius et Eusebius memoriae prodiderunt. Hic enim variarum Phoeniciae urbium res gestas publica auctoritate litteris mandatas et in templis asservatas esse docet (praep. evang. 1, 9 p. 21 al. 32): ille bibliothecas Carthaginenses memorat a Senatu Romano Africae regulis dono datas. De Magone enim Poeno loquens XVIII, 5: „cui quidem, inquit, tantum honorem Senatus noster habuit Carthagine capta, ut quum regulis Africae bibliothecas donaret, unius eius duodetriginta volumina censeret in Latinam linguam transferenda, quum iam M. Cato praecepta condidisset: peritisque linguae Punicae dandum negotium, in quo praecessit omnes vir clarissimae familiae D. Silanus." Ipsorum scriptorum, qui parcius memorantur apud veteres, nunc satis magnum numerum recensere possemus, si fides habenda esset libri Sanchuniathoniani epitomae, quae nuper eruditorum hominum oculos in se convertit. Quum vero quotidie augeatur ingens suspicio, hanc epitomen non ex vetusto certaeque fidei libro haustam, sed recentiorum hominum ingenio confictam esse (praef.), misso huius libri argumento eos tantum scriptores memorabimus quorum apud antiquos scriptores mentio fit.

1. Atque horum quidem antiquissimus vulgo habetur *Sanchuniathon* (de varia nominis forma v. §. 19) teste Porphyrio, Eusebio, Theodoreto Berytius, auctore Suida

---

*) Charles Vallancey Essay on the Antiquity of the Irish language, Dublin 1772. 8. London 1808. 8. O'Connor Chronicles of Eri etc. from the original Mss. in the Phoenician dialect (?) of the Scythian language. 2 Voll. 8. London 1822. Phoenician Ireland. Auctore *D. Joach. Laurentio Villanueva*, Conchensis Ecclesiae canonico, Regio Ecclesiaste cet. Translated and illustrated with notes by *Henry O'brien*. London 1833. Henry O'brien the round tower's of Ireland or the mysteries of freemasonry, of Sabaism and of Buddhism. London 1834. — Eandem coniecturam Thom. Moorio placuisse accepi, in „history of Ireland, T. I." — De nonnullorum in locum Plautinum curis ex Irica et Vasconica linguis v. §. 10 extr.

Digitized by Google

Tyrius, cuius opus de Phoenicum historia tempore, ut ferebatur, bello Trojano priore (*ἄνδρα, τῶν Τρωϊκῶν χρονῶν, ἅς φασι, πρεσβύτερον* appellat Eusebius) ex urbium et Hierombali sacerdotis commentariis haustum, patrio sermone scriptum atque Abibalo Beryti regi inscriptum (Porphyr. contra Christ. lib. 4), Philo Byblius, Hadriani aequalis, teste Eusebio novem (secundum Porphyrium octo) libris digestum graece transtulit (Euseb. praep. evang. 1, 9. Porphyr. de abstin. 2 pag. 94). Vide Bocharti Canaan II c. 17. Fabricii bibl. gr. ed. Harles lib. I c. 28. T. I p. 222 sqq. Eius operis primum librum, qui de cosmogonia et antiquissimis Phoenicum mythis agit, in epitomen redegit et maximam partem servavit Eusebius de praeparatione evangelica 1, 10 *): fatendum vero, tum in universa harum fabularum indole, quae Alexandrinum ingenium sapiat, tum in Philonianae aetatis ad huiusmodi fraudes admodum propensae ingenio non unam suspicionis caussam inesse: quas qui reputet, in Dodwelli, Dalenii, Ursini al. sententiam facile inclinet, qui vel Sanchuniathonem recentiore quodam tempore vixisse vel illud opus a Graeco homine adhibitis et Phoenicum fabulis et illius aevi theologumenis et allegoriis Alexandriae conscriptum et antiquissimo illi scriptori suppositum statuerunt. Ea saltem, quae apud Eusebium graece leguntur, neque Phoenicii sermonis indolem ita redolere, ut ex eo videri possint ad verbum translata esse, neque duodecimi ante Chr. natum seculi ingenium referre, facile nobis concedent, quicunque non praeoccupata opinione haec fragmenta examinabunt. Magis etiam suspecti sunt philosophici libri, quos Sanchuniathoni tribuit Suidas, *περὶ τῆς Ἑρμοῦ φυσιολογίας*, et *Αἰγυπτιακὴ θεολογία*.

2. 3. 4. Praeter Sanchuniathonem tres alii rerum Phoeniciarum scriptores memorantur, quorum opera ex patrio eorum sermone graece translata sint, ***Theodotus***, ***Hypsicrates*** et ***Mochus***. Tatian. orat. c. Graecos §. 37: *τὰ Φοινίκων οὕτως ἔχει· γεγόνασιν παρ' αὐτοῖς τρεῖς ἄνδρες, Θεόδοτος, Ὑψικράτης, Μῶχος· τούτων τὰς βίβλους εἰς Ἑλληνίδα κατέταξεν φωνὴν Χαῖτος.* Pro *Χαῖτος* apud Eusebium praep. evang. lib. X pag. 493 B, ubi Tatiani locus laudatur, est *Ἄσιτος*, sed legendum esse *Λαῖτος*, ex Clemente Alexandrino (Strom. lib. I p. 326 Sylb.), ubi eadem res tractatur, apparet. ***Mochum*** autem Athenaeus quoque memorat (lib. III §. 100): *παρὰ τοῖς τὰ Φοινικικὰ συγγεγραφόσι Σαννιαθωνι καὶ Μώχῳ*, et Josephus (Arch. 1, 3 §. 9): *καὶ Μῶχος τε καὶ Ἑστιαῖος καὶ πρὸς αὐτοῖς ὁ Αἰγύπτιος Ἱερώνυμος, οἱ τὰ Φοινικικὰ συνταξάμενοι*, atque Strabo XVI p. 757 Casaub. *εἰ δὲ δεῖ Ποσειδωνίῳ πιστεῦσαι καὶ τὸ περὶ τῶν ἀτόμων δόγμα παλαιὸν ἐστιν ἀνδρὸς Σιδονίου Μόσχου* (Medic. 3. 4. Mosc. *Μώχου*) *πρὸ τῶν Τρωϊκῶν χρόνων γεγονότος*, ex quo loco apparet, Graecos in summa antiquitate his scriptoribus tribuenda admodum faciles et saepe nimios fuisse. — Hi quattuor (alii enim de rebus Phoeniciis graece scripserant, ut Menander Ephesius, Jos. Archaeol. IX, 14 §. 2, Philostratus ibid. X, 11 §. 1. Dius vel Dion id. c. Ap. 1, 17) Phoenices fuerunt, reliqui Poeni, quorum antiquissimus fuisse videtur

*) Separatim cum variis virorum doctorum observationibus edid. Io. Conr. Orellius. Lips. 1826. 8.

Digitized by Google

5 *Mago*, Carthaginensium dux, cuius octo et viginti volumina de re rustica Punico sermone scripta ex Senatus consulto latine (Plin. XVIII, 5. Colum. 1, 1 §. 13), a Cassio Dionysio Uticensi graece translata sunt (Varro de re rust. 1, 1, 10. Colum. 1, 1 §. 10), tum a Plinio tum a rei rusticae scriptoribus saepe laudata (vide fragmenta apud Heerenium, hist. Werke T. XIII p. 528 sqq.). Quum plures Magones habuerit Carthago, quis eorum intelligendus sit, certo dici nequit: admodum probabilis vero Heerenii est coniectura, „rusticationis parentem" (Colum. l. c.) non alium esse, quam nobilissimum illum Carthaginensis potentiae conditorem saeculo sexto exeunte florentem, Magonianae gentis, quae ultra centum annos reipublicae principatum tenebat, auctorem (Iustin. XIX, 2. cf. eius gentis stemma apud Heeren. p. 543). De eodem argumento scripsit

6. *Hamilcar*, et ipse dux Poenus, teste Columella XII, 4 §. 2: „Parvarum rerum curam non defuisse Poenis Graecisque auctoribus, atque etiam Romanis, memoria tradidit. Nam et Mago Carthaginensis et Hamilcar, quos secuti videntur Graecae gentis non obscuri scriptores Mnaseas atque Paxamus, tum demum nostri generis, postquam a bellis otium fuit, quasi quoddam tributum victui humano conferre dedignati non sunt ...." de quo lubens assentior Heerenio (l. c.), qui hunc Hamilcarem Magonis illius filium fuisse suspicatur, huius autem filios *) censet

7. 8. *Hannonem* et *Himilconem*, Carthaginensium duces, quorum ille *Africae περίπλουν* et suscepit et Punica lingua consignatum in Saturni templo exposuit, hic occidentalem Europae oram a se circumnavigatam in simili monumento descripsit,

---

*) Magonianae enim gentis stemma hoc est:



De quibus Heerenius (hist. Werke XIII p. 528): *„Ich glaube nicht zu irren, wenn ich unter Mago (der über den Feldbau schrieb) den Feldherrn verstehe, der zuerst Carthago's Herrschaft gründete .... Hamilcar ist dann sein Sohn. ... Will man die hochwahrscheinliche Vermuthung gelten lassen, dass dessen Söhne, Hanno und Himilcon, die Entdekker und Colonienstifter an den Küsten von Africa und Europa sind, die jeder das Andenken davon in ihrem Periplus erhalten hatten, so fällt ein Lichtstrahl in die glänzendste Periode der Carthagischen Geschichte, und das Gedeihen eines Staates erklärt sich, an dessen Spitze ein Heldenhaus stand, das ihm durch 3 Generationen Häupter gab, die als Feldherrn, Schriftsteller und Entdecker glänzten; und, nach der Sitte wahrhaft grosser Männer, darum nicht weniger der Natur getreu, sobald das Vaterland es ihnen vergönnte, wieder zur Pflugschaar zurückkehrten."*

Digitized by Google

quod laudat Festus Avienus, in descriptione orae maritimae p. 412: *Haec olim Himilco Poenus Oceano super spectasse semet et probasse rettulit: Haec nos ab imis Punicorum annalibus prolata longo tempore edidimus tibi.*" Prioris graeca interpretatio superest, saepius edita, ut in Geographis minoribus ed. Hudson T. I. De aetate eius nil constat, praeter verba Plinii (V, 1), qui „Punicis rebus florentissimis" iter illud maritimum susceptum tradit: variarum autem opinionum (v. Dodwell de periplo Hannonis, Mannert Geogr. T. I p. 49) nulla verisimilior est, quam illa Heerenii, de qua uterque frater quinto a. Chr. natum seculo tribuendus esset. Quodammodo huc referri potest

9. *Hannibal*, de cuius inscriptione res a se gestas narrante iam supra dictum est pag. 90. Eandem a se visam et in res suas conversam memorat Polybius III, 33

10. *Hiempsal*, Numidiae rex, isque numero secundus (pag. 198), cuius libros de originibus populorum Africanorum memorat Sallust. Iug. 17: „Sed qui mortales initio Africam habuerint ..... uti ex libris Punicis, qui *regis Hiempsalis* dicebantur, interpretatum nobis est, utique rem sese habere cultores eius terrae putant, quam paucissimis dicam". Genitivo *regis Hiempsalis* non auctorem, sed possessorem librorum indicari Heerenius (l. c. p. 21) existimat: cui quidem sententiae et linguae usus et ipsius rei ratio obstare videtur. Ut enim multum intererat lectoris scire, a quo scripti essent illi libri, ita perparvi, ex cuius bibliotheca exempla eorum depromta fuerint. *Qui — dicebantur* modeste scripsit Sallustius, quia, Punicae linguae ignarus, etiam de titulo et auctore nonnisi ex interpretum fide iudicare poterat. Numidiae autem regulos non solum librorum amatores et collectores fuisse (Plin. XVIII, 5), sed litterarum etiam studiis deditos, Iubae iunioris exemplum docet, cuius permulti libri de rebus Libyae, de artis et picturae historia deque re herbaria exstabant *). Ceterum quod h. l. Numidiae regem libros Punica lingua scripsisse legimus, id egregie convenit cum iis, quae de Punicae linguae apud Numidas usu supra docuimus (§. 4 extr.).

§. 8.

De linguae historia et indole his, ita disputatis in eius opibus hodie superstitibus colligendis illustrandisque ita versabimur, ut capite secundo linguae reliquias, quae in ipsius populi monumentis patrio charactere inscriptis i. e. in inscriptionibus et numis deprehenduntur, exhibeamus ad litterarum ordinem digestas; capite tertio praemissa in locum Plautinum exercitatione (litt. A) reliqua linguae specimina apud scriptores veteres servata Graecis Latinisque litteris scripta, partim appellativa (litt. B), partim nomina propria (litt. C. D) collecta atque disposita illustremus: quarto denique capite ex utroque illo fontium genere grammaticas linguae leges, quoad id fieri potest, exponamus.

*) V. Harduini ind. auctorum ad Plin. v. Iuba.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

PHOENICIAE LINGUAE RELIQUIAE EX INSCRIPTIONIBUS ET NUMIS.

§. 9.

Quod in sequentibus exhibemus vocum Phoeniciarum Lexidion ex vernaculis populi monumentis haustum, id quo maxime consilio a nobis concinnatum sit, iam supra diximus. Eodem praeterea Palaeographorum quoque rationibus consultum iri speramus, quorum in novis monumentis legendis multum interest scire, quae linguae voces, formae locutionesque in iis reperiantur, quae iam probabiliter et lectae et explicatae sint. Si qua essent vocabula, de quarum genuina pronunciatione aliunde constaret, hanc apposuimus: reliquis hebraicam pronunciandi rationem addidimus uncis inclusam, ut de formae rationibus lectori utcunque constaret, quanquam non nescimus imo infra docebimus copiosius, Poenorum pronunciationem ab ea, quae punctis Masoreticis continetur, saepe declinasse. Ceterum fortasse memoratu non indignum est, in hoc indice omissa esse, quaecunque in monumentis Aramaeo-Aegyptiacis reperiuntur voces, quippe quae Phoeniciae non sint: contra etiam verba quaedam incerta et coniecturalia in eum recepta esse: quod nemini fraudi esse poterit, quum ex ipso commentario (lib. II. III), ad quem semel remittimus, abunde appareat, quid certum, quid probabile sit, quid sola coniectura nitatur.

א

א praefixum i. q. ה praefixum articulum significat a pleniore אַל (q. v.) velut אגדר Gades, num. Gadit. A. D—H (alibi הגדר litt. B. I. K. L. M); אשמש sol Cit. 22, 2. אחשב textor Cit. 7, 4, אככב, אחיק stella, sinus Eryc. lin. 4. — In mediis vocibus חנאאשמן Cit. 8, שסראדם (ex שסר, א et רם) Tugg. 2.

אב (אָב) *pater*, c. art. הָאָב Sard. 2. 3, cstr. אבי (אֲבִי) Cit. 13, 2, c. suff. אבי (אָבִי) pater meus Melit. 4, 5. Cit. 3, 2. 23, 3. Tugg. lin. 7. Plur. אבת (אָבוֹת) patres Cit. 1, lin. 3.

אבן (אֶבֶן) *lapis* Melit. 3, 4. 5. 4, 4.

אבע n. pr. in fine fortasse abbreviatum Cit. 5, 2.

אגדה (אֲגָדָה) *turma*, pl. cstr. אגדת (אֲגָדֹת) Numid. 5, 2.

אדן (אָדוֹן) *dominus*. Usurpatur 1) de principibus, regibus. Sq. ל imperii, cui hic praeest, אדן למכת עלם dominus imperii aeterni Numid. 1, 2, אדן למכת Numid. 4, 2, sq. genit. אדן מכת Numid. 5, 1. Absolute חכמשבעל אדן Hiempsal dominus (rex) Numid. 2, 2. 2) de numinibus, maxime Baale. לאדן בעל חמן (כמן) Numid. 1, 1. 2, 1. 3, 1, לבעל כמן אדן Numid. 4, 3, לבעל אדן Numid. 5, 1, לבעלן לאדן לבעל חמן Carth. 1. 2. 3. 5. 6. Cum suff. לאדנן למלקרת Melit. 1, 1.

אהבת (אַהֲבַת) amor, amica, n. pr. puellae, gemm. no. 67.

אח (אָח) *frater*, ואחי (וְאָחִי) et frater meus Melit. 1, 2.

אח (אַח) *gemitus*, pl. cstr. אחי (אַחֵי) Eryc. 2.

אחר (אַחַר) *post* Cit. 22, 2.

אי (אִיָּא) et איה (אִיָּה) insula, inde n. pr. *Insula*, *Nasos*, pars Syracusarum in Ortygia insula sita, num. Syr. C. D.

Digitized by Google

אבנם (אִיבָנֵם) insula filiorum, n. pr. Phoenicium Cossurae insulae, num. Cossur.

אית v. איא.

אכם probabil. i. q. אחת (אָחוֹת) *soror*, num. Sid. T.—X lin. 3.

אל i. q. arab. artic., אלמלך ὁ *βασιλεὺς* num. Cilic. F.

אלמן (אַלְמָן) *viduus* Tugg. 6.

אם (אֵם) 1) *mater*, אם בשת mater ignominiae Melit. 2, 3, c. suff. אמי mater mea Tugg. 6. 2) De urbibus: *mater* aliarum urbium (coloniarum), *metropolis*. אם צדנם mater Sidoniorum, num. Tyr. N., אם כמב num. Sid. T—X, lin. 2, אם בכנען num. Laod.

אמן (אֹמֶן) *firmitas* Cit. 1, 2.

אמתעשתרת (אֲמַתְעַשְׁתָּרֹת) serva (cultrix) Astartes, n. pr. mulieris Cit. 2, 3.

אנך (אָנֹכִי) *ego* Cit. 2, 1. 3, 1.

אנן (אָנֹן navicula, vel אינון insula piscium) n. pr. *Gauli* insulae, num. Gaulit.

אסרשמר (אֹסְרְשָׁמָר quem Osiris custodivit) n. pr. viri Tyrii (gr. Sarapion) Melit. 1, 2. 3.

אעבד (אָעֶבֶד ὁ *δοῦλος* i. e. *δοῦλος τῶν θεῶν*) n. pr. viri Tugg. 3, vide appendicem.

אעבדא (idem) n. pr. viri Cit. 23, 2.

אף (אַף) *etiam, item*, num. Sid. T—X, lin. 3.

אר (אֹר vel אֲרִי) n. pr. viri Cit. 10.

ארכתא (אֲרִי כְתָא leo Citii) n. pr. viri Cit. 23, 4.

ארמן *palatium*, unde ארמנתי Cit. 1, 1. 2.

ארק מלך (אַרְקְ מָלְכָּה terra regis) n. pr. loci in Cilicia, num. Cilic. P.

אש (pun. *ŷs*, hebr. אִישׁ) *vir* Cit. 29, 2. Saepe pleonastice cum participiis et adiectivis, אש נדר (אִישׁ נֹדֵר) vir vovens, v. נדר, אש יעיף Cit. 23, 2 (v. append.), אש יעץ Cit. 33 cf. Cit. 8, אש חכם vir sapiens (philosophus, medicus) gemm. 67 ter., maxime gentiliciis אש קרי Athen. 2, 2, cf. Melit. 3, 2. 4, 2.

אש pro אִשֶּׁה *sacrificium* Numid. 6, 5. 7, 2.

אשמן (pun. *Esmûn*) 1) *Esmunus* i. e. Aesculapius Phoenicum, v. ad Cit. 5. Inde multa nomina propria ut בדאשמן, עבדאשמן, חנאאשמן, נצבאשמן, et quae statim sequuntur. 2) n. pr. viri (pro עבד אשמן) Cit. 5, 1. 22, 1.

אשמנחן (אֶשְׁמֻנַחַן quem Aesculapius donavit) n. pr. viri (Asclepiodorus) Cit. 21.

אשמניתן (אֶשְׁמֻנְיָתֵן quem Aesculapius dat) n. pr. viri, Carthag. 8.

אשמנעיד (אֶשְׁמֻנְעִיד quem Aesculapius restituit) n. pr. viri Cit. 17.

אשרמלכתך (אַשְׁרֵי מַלְכַּתְךָ beatum est regnum tuum) n. pr. viri Cit. 24.

אשש *fundavit*, inde fut. יאשאש Cit. 1, 2.

אשת (אֵשֶׁת) *mulier*, constr. Cit. 4, 1.

את (אֵת) nota acc. Tripol. 2, 3.

את (אֵת) *cum*, inde pro אִתִּי *mecum* Cit. 2, 2. 29, 2.

את (אוֹת) *signum*, *miraculum*, v. באר את.

אתבעל (אִתּוֹ בַּעַל mecum est Baal) n. pr. viri Gerb. 1, 2.

ב

ב praep. praefixa 1) *in*. בכלת חזת in hoc claustro Melit. 2, 2, אם בכנען mater in Canaan num. Laod. De tempore: בחים in vita, בחיי in vita mea (v. חים). — בחסד in pietate Tugg. 7. 2) *per*, c. suff. בה (בָּהּ) *per eam*, *per id* num. Cilic. G. Similitudinem exprimit, pariter atque כ, Eryc. 4, בלב שלג instar mediae nivis.

באר את (בְּאֵר אוֹת puteus signi i. e. miraculi) n. pr. Phoenicium Arethusae fontis in Insula Syracusarum, num. Syrac. A. B. C.

בדאשמן (בֶּדְאֶשְׁמֵן i. q. עבד אשמן servus s. cultor Aesculapii) n. pr. Cit. 3, 3.

בדמלקרת (בֶּדְמֶלְקַרְתּ servus Herculis) n. pr. viri Carth. 5, 5.

בדעשתרת pun. *Bodostor* contr. *Bostor* (servus Astartes) n. pr. viri Carth. 2.

בוא *venire, intrare*. Fut. יבא (יָבֹא) *veniat* Sard. 5. Inf. cum כ praef. et suff. כבאה

Digitized by Google

(בְּבֹאוֹ) quum intraret Tugg. 5. Construitur sq. acc. Sard. Tugg.

בוש *erubescere*. Niph. נבוש (נָבוֹשׁ) erubuit. Eryc. 5.

בזנתי *Byzantium* Athen. 3.

בסם Numid. 3, 3 prob. compendium scribendi pro בעל טעם praefectus.

בילה i. q. בעלה *civitas*. Inde בילת מעקר civitas Herculis, attributum Sigae urbis, num. Sig.

בן (pun. *byn*) *filius*, sexcenties in inscriptt. Melit. 1. 2. Athen. 1. 2. Cit. 2. 3. 5. 8. 10. 12. 14. 15. 16. 20. 24. 29. 30. 31. 32. Sard. vas Panormit. Carth. 1—5. 8. 9. Tugg. lin. 1—4. Numid. 1. 2. 6. 7. Gerbit. Plur. בנ (pro בָּנִי) Melit. 1, 3.

בנאך (fortasse i. q. בן אח filius fratris) n. pr. viri, gemm. no. 70.

בנה (בָּנָה) aedificavit. Inde בנהו (pro בְּנָהוּ) aedificavit illud Tugg. lin. 7.

בנחדש (בְּנֹחָדֶשׁ filius novae lunae gr. Numenius) n. pr. viri Citiensis, Athen. 2, 1.

בנרש (בֶּן רֹאשׁ filius capitis s. principis) n. pr. principis Sardorum, Sard. lin. 6. 7.

בענא n. pr. urbis Ciliciae, num. Cilic. N.

בעל (*Baal*) *dominus*. Inde 1) sq. nomine urbis: *civis* eius. אגדר מבעל(י) a civibus Gadium, num. Gadit. צכץ מבעל(י) a civibus Sextorum. Fortasse בעל חרז cives Tarsi (num. Tars.). Cf. בעלה no. 1. 2) epitheton deorum. Sq. genit. urbis בעל צר dominus i. q. deus tutelaris Tyri (de Melicerta) sq. genit. cultorum v. c. לבעלן לאדן לבעל חמן Carth. 1. 2. 3. 5. 3) *Baal xat' ἐξοχήν*, supremum Phoenicium et Poenorum numen. Ponitur a) nude. Melit. 4, 3. Numid. 4, 2. b) cum variis epithetis, בעל אדן Baal dominus Numid. 5, 1. Gerbit. 2. בעל חמן et בעל כמן Baalis Solaris (v. חמן, כמן). בעל מעקר Baal Hercules Tripol. 2, 1. בעל הלבי Baal (s. Hercules) Libys Numid. 5, 2. Eodem pertinent innumera ferme nomina propria hominum (בחבעל, חנבעל, חכמבעל, יעשרבעל, מלכבעל, מחנבעל, מעשיבעל) et locorum (v. cap. 3) cum בעל compositorum: in quorum nonnullis ב extrusum est, velut חכמחעל pro חכמחבעל Numid. 4, 2, צברסעל adeoque צברחל Sabratha (q. v.). In aliis extruso ע scribitur בל, ut שעתבל, חכמתבל.

בעלת (בַּעֲלַת) fem. praecedentis, 1) *civis* urbis, cstr. בעלת בזנתי Athen. 3. 2) *civitas*, בעלת הגדר civitas Gadium, num. Gadit. B. 3) n. pr. urbis *Belo* in Hispania Baetica, num. Bel.

בעליתן (בַּעֲלִיתֵן quem Baal dat) n. pr. viri Cit. 14.

בקי (fort. *bucca*, *bocca*) i. e. aegypt. ϧⲁⲣⲓ pr. *urbs*, בקי מלקר (urbs Herculis) et ellipt. בקי n. pr. *Vaccae*, urbis Numidiae, num. Vacc.

בר (בַּר) *purus* Tugg. 7.

ברי (בְּרִי fontanus) n. pr. viri principis Carth. 8.

בריאת (בְּרִיאַת pinguis) n. pr. urbis prope Tripolin, prob. Barathiae, inscr. Trip. 2, 4.

ברך *benedixit*. Inde fut. Pi. יברכם (יְבָרְכֵם) benedicat iis Melit. 1, 4.

ברמלך (filius regis i. e. Baalis) n. pr. viri Melit. 2, 4.

ברר *purus, candidus fuit*. Fut. יבר (יָבֹר) Eryc. lin. 4.

בשת (בֹּשֶׁת) *ignominia* Melit. 2, 3.

בת (בַּת) *filia* Cit. 2, 3. 26, 2. 31, 3. Carth. 8, 1. Eryc. lin. 1. 2. 7. Numid. 6, 2. gem. no. 67.

בת (בַּיִת) *domus*, ubique in st. cstr. בת עלם domus aeterna Melit. 2, 1, de sepulcro. De eodem בת מלא domus plena Tugg. lin. 5. בת רש domus capitis i. e. dormitorium (cf. מנחא Gerbit. 1) Sard. lin. 1. Sed בת ראש מלכת num. Iubae 2 (modo ita legendum) est sedes imperii, regia. Ex vulgari scriptura בת קדם מלכת domus perpetua imperii, v. pag. 316. C. suff. בתי domus mea i. e. templum meum Cit. 1, 3.

Digitized by Google

בחבעל (בַּחְבַּעַל filia Baalis) n. pr. mulieris, Carthag. 8.

בחנעם (בַּחְנַעַם filia iucunditatis) Iucunda, n. pr. mulieris Cit. 26.

ג

גבר (גֶּבֶר) *vir* Tugg. 6.

גדל (גָּדֵל) *magnus*, num. Cilic. F.

גדעשתרת (גַּדְעַשְׁתָּרֶת fortuna Astartes) n. pr. viri, scribae Carthaginensis Carth. 3.

גדר (pun. *Gadir*, hebr. גָּדֵר septum) n. pr. *Gades*, civitas Hispaniae, hodie Cadix, num. Gadit.

גל (גַּל) *fons* Tugg. lin. 7.

גמת (גַּמַּת) *coetus* i. q. hebr. מְגַמָּה Eryc. lin. 2.

געל (גָּעַל) *posuit, deposuit* i. q. arab. جعل. Niph. נגעל depositus i. e. sepultus est. Melit. 2, 1.

גת (גַּת) prob. pro גָּדֵת i. q. גַּד fortuna, num. Sext. p. 310.

ד

דבר *verbum*. Plur. c. suff. דברי (דְּבָרַי) verba mea Melit. 3, 6.

דמליחא (דַּמְלִיחָא sanguis nobilis) n. pr. viri, gemm. no. 67.

ה

ה praef. articulum indicans, v. gramm. cap. 4.

הא (הוּא, הָא) pron. pers. tertiae personae Sard. lin. 4.

היה *fuit*. Inde וידי et erat Tugg. lin. 5.

הרבשמא (הֶרְבְּשָׁמָא magnum fac nomen) n. pr. regis Numidici, Tugg. lin. 2.

הרנא i. e. Ἑρήνη, Εἰρήνη, n. pr. mulieris Byzantinae, Athen. 3.

ו

ו (וְ, וּ) Vav copulativum, *et*, Melit. 1, 1. Cit. 3, 2. Eryc. 2, 4. Carth. 1, 1. 2, 1. 3, 1. 5, 1. 6, 1. Numid. 3, 3.

ז

זה (זֹה) *haec*. Cum art. הַזֹּה Melit. 2, 2.

זך (זַךְ) *purus*, num. Cilic. A.

זכר (זָכָר) *memoria*, Tugg. lin. 5.

ח

חג (חַג) *refugium*, Cit. 15, 1.

חדר (חֶדֶר) *conclave* Melit. 2, 1.

חדש (חָדָשׁ) *novus*, inde קרת חדשת urbs nova, num. Panorm.

חית (חַיַּת) *vita* Tripol. 2, 2.

חים (חַיִּים) *vita*. בחים in vita i. e. inter vivos, de monumento inter vivos posito Athen. 1, 1. Cit. 20, 1. 23, 1. Cum suff. בחאי in vita mea Cit. 2, 2, plene בחיאי Cit. 3, 1, cstr. בחי pro בְּחַיֵּי Carth. 9, 1.

חיק (חֵיק) *sinus*, c. art. אחיק Eryc. lin. 4.

חלך n. pr. *Cilicia*, v. num. Cilic. A.

חכבעל (חָכַבַּעַל pro חכמבעל) n. pr., ut videtur, idem quod *Hiempsal*. Numid. 2, 3. Similius etiam est Ἐχήβολος, quod vide in indice hominum et deorum §. 18.

חכם (חָכָם) *sapiens*, inde *philosophus*, *medicus*, gem. 67 ter, ubi vide commentarium.

חכמבעל (חָכְמַבַּעַל quem sapientem fecit Baal) n. pr. *Hiempsal*, Numidiae rex, Micipsae filius Numid. 1, 2.

חכמבל (idem, sed forma contractiore) n. pr. *Hiempsal*, Numid. 2, 3.

חכם - די - חילא (חָכַם - דִי - חֵילָא praefectus exercitus, forma syriaca) n. pr. viri Cit. 8, 2. 3.

חכמשבעל (חָכְמְשַׁבַּעַל sapiens Baalis i. e. quem Baal sapientem fecit) n. pr. *Hiempsal* (II.) rex, Hiempsalis filius Numid. 2, 2.

חכמתבעל (pro חכמתבעל extruso ב, sapientia Baalis) n. pr. Hiempsal Numid. 4, 2.

חכמתה (חָכְמָתָה sapientia eius sc. Baalis) n. pr. viri Numid. 3, 2. 3.

חמלכת (pro חֶמְלַכַת gratia regni) n. pr. viri Carth. 8. fortasse idem quod *Himilco*.

חמן (חַמָּן aut חַמֹּן), ubique בעל חמן *Baal Solaris* s. Solis deus Melit. 3, lin. 3, 4. Carth. 1, 1. 2. 2, 2. 3, 2. 3. 4, 2. 5, 2. Numid. 1, 1, pro quo Numid. 2, 1. 3, 1.

Digitized by Google

4, 3 בעל כמן (כ et ח permutatis). Vide pag. 170—172.

חמש *quinque* Cit. 8, 5.

חמת (חֹמַת) *moenia* Cit. 1, 2.

חַנָּא n. pr., fortasse *Anna*, soror Didonis, quam divino cultu prosequebantur Poeni, unde עבדחנא q. v. Inde n. pr. viri (pro עבדחנא) Carth. 5, 5.

חנאל (חַנִיאֵל gratia Eli i. e. Saturni) n. pr. viri Cit. 3, 1.

חנאשמן (gratia Esmuni s. Aesculapii, comp. ex חן, א art. et אשמן) n. pr. viri Cit. 8, 1. 2.

חנמעל (חַנִיבַעַל pro) n. pr. viri, ut videtur, artificis, qui insculpsit inscriptionem Numidicam primam, Numid. 1 in appendice.

חסד (חֶסֶד) *pietas* Tugg. lin. 7.

חסק i. q. חזק *robur*, *munimentum*, numi incerti (no. XXVI) litt. A. B.

חץ *telum*, חץ נקב vide pag. 327.

חר (חֹר nobilis) n. pr. viri Cit. 2, 1. 15, 1.

חרב (חֹרֵב bellator i. q. حارب) n. pr. viri Cit. 10, 2. 3.

חרש (חָרָשׁ) *faber* Cit. 4, 3. 10, 3. 4. n. pr. viri Cit. 11, 1.

חשב (חֹשֵׁב) *textor artificiosus* Cit. 7, 4.

חתי (חִתִּי) i. q. חִתִּי Citiensis, Cit. 33, 5.

ט

טמי voc. Libyphoenicium, fort. *pater meus*, num. incert. A (no. XXVI, 1), cf. inscr. Libycam Thuggensem lin. 7 extr.

טען *confodit*, *immolavit*, fort. pass. (pro טַעַן) *confossus est* Numid. 6, 1. 7, 1.

י

יאובעל (יְאוּבַעַל splendor Baalis) n. pr. *Iubal* (vulgo *Iuba*) Cit. 26.

יגע (יָגֵעַ) *fessus*, max. aetate, *senex*. Trip. 2, 3.

ידן *consuevit* Cit. 2, 2, ubi vide.

ידלחי n. gentilicium incertum Melit. 3, 2.

יסד *fundavit*, (cippum) *posuit*, inde pass. יסד (pro יָסוּד) Cit. 23, 3.

יעיף *fessus* Cit. 23, 2, v. append.

יעץ *consuluit*, imp. עץ consule, sq. ל Tripol. 2, 1. Part. יעץ consiliarius (regis) Cit. 33, 4.

יעשרבעל (יַעֲשְׂרַבַּעַל quem ditat Baal) n. pr. viri Numid. 7, 1. 2.

יפמו (יֶפִימוֹ pulchritudo seminis i. e. prolis, vel pulchritudo faciei, v. p. 223) n. pr. viri, gemm. no. 67 ter.

יפשעת (יֶפִישַׁעַת splendor populi) n. pr. viri, Tugg. lin. 1. 3.

יצב *statuit*, *restituit*. Praet. שיצב (שָׁיָצַב) qui restituit, num. Iubae II. B. C. Part. יצב (יֹצֵב) ibid. litt. A.

יצר (יֹצֵר) *figulus*, Marsal. lin. 2.

כ

כ praef. 1) *ut*, *sicut*. כאלמן ut viduus Tugg. lin. 6. 2) ante infinit. *ut* = *ubi*, *simulatque*. כבאה (כְּבֹאָה) ut intravit. Tugg. lin. 5. כשמע ubi audivit Melit. 1, 4. 3, 5.

כבא (כַּבָּא dolor, ὠδῖν) n. pr. viri Cit. 18, 2.

כבס (כֹּבֵס) *fullo*, c. art. הכבס Carthag. 9.

כבר (כבִּיר) *multum* Cit. 15, 4.

כברחים (כְּבִיר חַיִּים longaevus) n. pr. viri, Eryc. lin. 1.

ככב (כּוֹכָב) *stella*, inde *album oculi*, cum art. אככב Eryc. lin. 4.

כל (כֹּל) *universitas*, inde *omnes*. כל דברי (כֹּל דְּבָרַי) omnia verba mea Melit. 3, 6. Cum art. הכל (הַכֹּל) omnia Eryc. lin. 2. C. suff. כלא (כֻּלָּא pro כֻּלָּהּ) omnis ea Cit. 2, 2.

כלת (כְּלַת pro כְּלָאת) *locus clausus*, de sepulcro Melit. 2, 2.

כנס *coacervavit*. Part. כנס (pro כֹּנֵס) coacervans Cit. 15, 4.

כנען (כְּנַעַן) *Canaan*, *Phoenice*. אם בכנען mater in Cananaea, num. Laod.

כעש (כַּעַשׂ) *moeror*, *luctus* Tugg. lin. 5.

Digitized by Google

כרך n. pr. incertum Cit. 25.

כרסכל (כַּרְסָכָל pro זְכַרְסָכָל memoria sapientis) n. pr. viri Tugg. lin. 4 cf. lin. 5 extr.

כתי (כִּתִּי) *Citiensis* Athen. 2, 2. Plur. כתן (כִּתִּין) Cit. 1, 1.

ל

ל praep. praef. 1) nota dativi, ut שלם לעם salus populo Cit. 33, 6. עץ לקלתם consule precibus eorum Trip. 2, 1. 2. מהשלג לה יבר אככב prae nive ei nitet stella (oculi) Eryc. 4. Saepe ponitur a) ante nomen sepulti, cui cippus consecratus est. Athen. 1, 1: לעבדתנת. 2, 1: לבן־חדש. Cit. 2, 2. 3. 3, 3. 5, 1. 6, 1. 10, 1. 11, 1. 12, 1. 13, 1. 15, 1. 16, 1. 17, 1. 20, 1. 21, 1. 24, 1. 25, 1. 26, 1. 29, 1. 30, 1. Eryc. 1. ante nomen numinis, cui monumentum consecratum est, velut לבעל חמן Melit. 3, 4. Carth. 2, 1. 3, 1. 5, 1. Numid. 1, 1. 2, 1. 3. 1. 4, 3. 5, 1. Ubi plura nomina per appositionem copulata sunt, ante singula ל repeti solet, v. c. לרבת לשתל *dominae Sutul* Eryc. 1. לרבת לתנת ולבעלן לאדן לבעל חמן Carth. 2, 1. 2. 3, 1. 2. 5, 1. 2. Contra tamen omittitur Numid. 1, 1: לאדן בעל חמן. 2, 1. 3, 1. 4, 3. — c) de dativo possessoris (v. Lex. manuale hebr. s. לְ A, 4 litt. b), v. c. לסרגד Sargado (est haec gemma), gemm. 67 bis, ubi graece et latine Genitivo utuntur. לסראסר no. 68. לעיר בעל Marsal. — d) de dativo auctoris (Lex. man. A, 4 litt. c), maxime in numis, ubi ל praefixum est nominibus civitatum, a quibus hi numi cusi sunt, velut לצר a Tyro, s. Tyri, num. Tyr., לצדנם Sidoniorum, num. Sid. ללאדכא Laodiceae, num. Laod. לעמת, לארקמלך, לעיבעל, לבקי, לבקי מלקר, צברתעל. Praeterea in cippis ante nomen eius, a quo cippus positus est, ita quidem ut duorum Lamed prius praecedat nomen eius cui cippus consecratus est, posterius praeponatur auctori eius. Numid. 5, 1: לבעל אדן לעדריחן *Baali domino ab Adricheno.* Cit. 23, 3: לאבי לארכתא *patri meo ab Aricitta.* Cit. 33. Cf. Ps. 22, 31: יְסֻפַּר לַאדֹנָי לָדוֹר *narrabitur de Domino populo.* — e) Phoenices pariter atque Hebraei (v. pag. 199), Lamed particula utuntur post מלך (מלך לְ Cit. 1, 1. 2), אדן Numid. 1, 2. 4, 2, et etiam alibi pro Genitivo, ut רשת למלכת רם principatus imperii Romani Tripol. 1, משל לשעתבל imago Scheotbalis Numid. 4, 1.

2) *propter, de* (v. Lex. manuale litt. A, 6. 7). כעש ל moeror, luctus de aliquo Tugg. 5.

Cum Suff. exstat לך tibi gemm. no. 67, Eryc. 4, לה ei (fem.) Eryc. 4, לכם vobis Eryc. 5, eaque pronomina passim redundant Eryc. 4. 5.

לאדכא (לְאֹדְכָא) *Laodicea*, nomen origine graecum, num. Laod.

לב (לֵב) *cor*, inde medium, לב שלג cor nivis, nix media et intacta Eryc. 4.

לבב (לֵבָב) id., c. art. הלבב Eryc. 5.

לבי (לֻבִּי, לֻבִי) *Libys*, בעל הלבי Hercules Libys Numid. 5, 1. 2.

לבשה (לְבֻשָׁה?) n. pr. viri Cit. 29.

לה ei, v. לְ.

לך tibi, v. לְ.

לכם vobis, ibid.

לכת (fort. לָכוּת pro מְלָכוּת, מַלְאָכוּת) *Lacuthus* n. pr. principis in regione Tripolitana. Tripol. 2, 4.

לם pro לְמִי Cit. 2, 2.

לפמי nom. gentil. incertum Sard. lin. 8.

מ

מ (מִ·) praefixum i. q. מִן, 1) *a, ab.* בר מפעל purus a facinore Tugg. lin. 7. De auctore, v. c. מבעל אגדר a civibus Gadium, num. Gadit. מבעל צכץ a civibus Sextorum, num. Sext. מבעלת a Belo, num. Bel. 2) in comparatione מהשלג יבר

Digitized by Google

nive purior est (stella oculi) Eryc. lin. 4. Sine tertio, quod vocant, comparationis גבר משמיר vir (fortior) adamante Tugg. lin. 6.

מאמעל (magnus s. potens Baalis i. e. iuvante Baale) n. pr. viri Cit. 32, 1. 2.

מאעלם (potens in aeternum) n. pr. viri, cui consecratum erat mausoleum Tuggense, Tugg. 1.

מאת (מֵאַת) *centum*, num. Marath.

מהלם (מַהֲלֹם) *percussura* (monetae), num. Gadit. C.

מזר (מַזָּר) *sidus*, max. faustum, *fortuna*, c. suff. מזרי sidus meum, num. Cilic. G, מזרך Cilic. A.

מחנת (מַחֲנַת castra) n. pr. *Panormi* in Sicilia, num. Panorm. A—I.

מחר (מְחִיר) *praemium* Cit. 15, 4.

מטוא (מָטְוֵא) n. pr. *Motye*, Siciliae civitas, num. Motyes.

מיכמש (aqua i. e. semen Camosi) n. pr. gentis Siculae, Eryc. 2.

מך (lege: *môch*, contr. ex מלך v. cap. 4) *rex* Tugg. lin. 1. 3.

מכת (lege מֹכַת *mochút* contr. ex מַלְכַת) *regnum* Numid. 1, 2. 4, 2. מכת בעל הלבי regnum Herculis Libyis Numid. 5, 1.

מלא (מְלֹא) *plenitudo*, בת מלא domus plena i. e. orcus Tugg. 5.

מלך (מֶלֶךְ) *rex*. Cit. 1 quinquies, sq. לְ populi. Cit. 33, 4. 5. C. art. אלמלך Cilic. F: אלמלך גדל rex magnus i. e. rex Persiae. מלך ע i. e. מלך עלם rex aeternus, attributum Baalis Hammoni Numid. 2, 1. 3, 1, brevius כ׳ ע׳ 1, 1. — In nominibus propriis, veluti ברמלך, עבדמלך cet. מלך non rex humanus, sed Baal esse videtur.

מלכה (מְלָכָה pro מְלָאכָת num. Mal. litt. D, alibi מלכת (מְלָכַת) num. Malag. A—C. E—H. *Màlacha*, *Malaca*, Hispaniae urbs maritima, hodie Malaga (appellat. officina sc. ferraria).

מלכת (מַלְכַת) *imperium*. מלכת רם imperium Romanum Tripol. 1. רם מלכת alta sedes imperii i. e. regia, num. Iubae maj. A (nisi forte legendum רש מלכת). בת קדם מלכת (fortasse בת ראש מלכת) num. Iubae min. Cum suff. מלכתן imperium nostrum Sard. lin. 5. 6. num. Iubae maj. B. C.

מלכאסר (מַלְכַּאסַר rex Osiridis) n. pr. viri Melit. 4, lin. 1. 2.

מלכבעל (מַלְכִּבַּעַל rex Baalis) Melit. 3, 1. 2.

מלכיתן (מַלְכִּיתֶן quem Rex i. e. Baal dat) Cit. 4, 2. 20, 2.

מלקר i. q. מלקרת Hercules, בקי מלקר civitas Herculis, num. Vacc. B. Cf. עבד מלקר et pag. 173.

מלקרת (contr. ex מלך קרת rex urbis) *Melcarthus*, nomen Phoenicium Herculis, ut numinis Tyriorum tutelaris Melit. 1, 1 (ubi vide). רש מלקרת caput (promontorium) Herculis, *Heraclea*, num. Heracl. Plenam hanc nominis formam (*Μελίκαρθος* Hesych.) habes praeterea in עבדמלקרת, מלקרתעיר, בדמלקרת; sed idem vario modo contrahitur et decurtatur a) מקרת, lege מַקָּרֶת vel מִקָּרֶת, in עבדמקרת Tugg. 2, cf. *Βαρμόκαρος* Polyb., b) מלקר, abiecto ת (q. v.), cf. Hamilcar, Bomilcar; c) מעקר pro מלקר q. v.

מלקרתעיר (מֶלְקַרְתְּעִיר) n. pr. viri Cit. 16.

מנחא (מְנָחָא) *quies*, *locus quietis*, *sepulcrum* Gerbit. 1.

מנן (מָנָן proles) n. pr. viri Cit. 3, 2.

מנת (מִנִּים = מִנְּת) *fides* Eryc. lin. 2.

מסלח (fort. i. q. מצלח felix) n. pr. viri, vas Panorm.

מסן (מַסִּין) *tentationes* i. e. calamitates Tugg. lin. 6, nisi legendum מבסן (מְבַסִּין) conculcationes.

מעכת (mocuth) i. q. מלכת regnum, num. Iubae II. litt. L.

Digitized by Google

מעל i. q. בעל, in nom. propriis מאמעל, חנמעל.

מעקר (lege *Mokar*) i. q. מלקר Trip. 2, 1. בילת מעקר civitas Herculis, num. Sig.

מעשיבעלן (מַעֲשֵׂי בַעֲלֵנוּ opus s. creatura Baalis nostri) i. q. משיבעל n. pr. *Micipsa*, Numid. 2, 2 vide

מעשילים (מַעֲשִׂילִים, gentilic. a מַעֲשִׂיאֵל, מַעֲשִׂיאֵלִי) *Massyli* i. e. Numidae Numid. 1, 3. Negligentius scriptum משעלן Numid. 4, 2.

מעשנתן (מַעֲשִׂינְתָן creatura Neithae nostrae) n. pr. *Masinissa*, Numid. 1, 4.

מצבת (מַצֵּבָת) *cippus* Athen. 1, 1. Cit. 2, 1. 3, 1. 20, 1. 22, 1. 23, 1. 29, 1. 31, 1. Tugg. lin. 1.

מציתבעל (מְצִיתְבַּעַל robur Baalis) n. pr. fortasse idem quod *Mezetulus* efferunt Romani, Mezetul pro Mezetbal. Numid. 1, 4.

מצר (מָצֹר) n. pr. viri, inscr. Marsal.

מקרת i. q. מלקרת Hercules, v. עבדמלקרת.

מקם (מָקוֹם) pun. *macom* v. Plaut. Poen. 5, 1, 1) *locus* Eryc. lin. 6, *urbs*, *oppidum*, מקם שמש n. pr. urbs Solis, oppidum Numidiae vel Mauritaniae, num. Iubae min.

מרפת (i. q. מַרְפֵּא) *remissio* Melit. 2, 3, rad. רָפָה.

מרת (מָרַת amara) n. pr. *Marathus*, oppidum Phoenices, ab aquis amaris dictum, num. Marath.

משיבעל (מְשִׂי בַּעַל pro מַעֲשֵׂי בַּעַל) n. pr. Numid. 1, lin. 3.

משכב (מִשְׁכָּב) *lectus*, *thalamus* Cit. 2, 2.

משל (מָשָׁל) 1) *imago* Numid. 4, 1. 2) *carmen*, *cantus* Eryc. 2.

משל (מֹשֵׁל) *princeps* Numid. 6, 4.

מתנבעל (מַתַּנְבַּעַל donum Baalis) n. pr. viri Numid. 7, 1.

נ

נגד (נָגִיד) *princeps* Sard. 2, n. pr. viri ibid. lin. 7.

נדר *vovit*. Inde part. נדר (נֹדֵר) vovens, in formula, אש נדר (אִישׁ נֹדֵר) vir vovens Melit. 1, 1. Carth. 1, 2. 2, 3. 3, 3. 4, 2. 3. 5, 3.

נדר (נֶדֶר) *votum* Melit. 4, lin. 5.

נור (נוּר) *lucere*. Praet. נר luxit Cit. 22, 2.

נחם (נַחוּם) n. pr. viri *Nahum*, gr. *Νάουμος* v. cap. 3.

נחת (נַחַת) *quies*, c. suff. נחתי quies mea Cit. 2, 2.

נצאינה (fort. flos vini) n. pr. viri Cit. 3, 2.

נצב (נָצַב) *statuit*, *posuit*. Melit. 3, 1. Inde

נצב (נְצִב) *columna*, *cippus* (in V. T. semel Gen. 19, 26: נְצִיב מֶלַח columna salis). Cit. 10, 1, et plene נציב Melit. 4, 1. Nonnunquam per compendium נצ׳ Cit. 11, 2, נ׳ 8, 1.

נצבאשמן (נְצִבְאֶשְׁמֶן columna Aesculapii) n. pr. viri Cit. 33, 3.

נקה = נָקִי *innocens*, *purus* Melit. 2, 2.

ס

סבל (סָבַל) *portavit* Tugg. 6.

סגר (סָגַר) *clausit*. Hithpa. Part. מסתגר clausus, occlusus Cit. 29, 2.

סטראצדת (comp. ex סטר = שֹׁטֵר cf. arab. شاطر scriba, inde praefectus, א art. et צֵידַת venatus: praefectus venatus) n. pr. viri Numid. 6, 2. 3.

סיעת (סִיעַת agmen, cohors, ex usu Syrorum) n. pr. oppidi Mauritaniae, *Siga*, *Sigatha*, num. Sig.

סך (סַךְ) *tectus*, vel i. q. זַךְ purus Tugg. lin. 7.

סכל (סָכָל i. q. שָׂכָל) *sapiens*, *intelligens* Tugg. lin. 5.

סכר (סָכַר) i. q. זָכַר *memoria* Athen. 1, 1.

סלל (סָלַל) *complanavit* (viam), inde *prosperavit* (vitam). Praet. 2 pers. סלת (סַלְתָּ) Tripol. 2, 2.

סלמן fort. Salamin, Salaminius, Cit. 3, 3.

ספר (סֹפֵר) *scriba*, munus in republica Carthaginensium Carth. 3, 4.

Digitized by Google

סרגד (סַרְגַּד i. q. שַׂרְגַּד princeps fortunae) n. pr. viri, gemm. 67 bis.

ע

עבד (עֶבֶד), c. suff. עבדך *servus* (s. cultor) *tuus* (o Baal) i. q. *ego* copulatur cum prima persona Melit. 1, 2, cum tertia Cit. 7, 2. Saepe per compendium scribitur ע (pag. 54). Vide ad Melit. 1, 2.

עבדא (עַבְדָּא servus sc. deorum vel Baalis) n. pr. viri Cit. 24, 2. gemm. Sard. (no. 45)

עבדה (עַבְדָּה id., vel עַבְדֹּה servus eius sc. Baalis) n. pr. viri Cit. 15, 2.

עבדאסר (עַבְדֹּאסִר servus Osiridis) n. pr. viri Melit. 1, 2. Cit. 2, 1.

עבדאשמן (עַבְדֶּאשְׁמֻן servus Aesculapii) n. pr. viri Cit. 12, 1. 20, 1. Carth. 2, 3. 5. 8, 1. 2. 9, 2.

עבדזהר (עֶבֶדְזֹהַר servus Veneris, τῆς زهرة) n. pr. pontificis Ciliciae, num. Cilic. A.

עבדלשלמם (servus amicis l. amicorum) n. pr. viri Cit. 3, 3.

עבדמל Cit. 14, 2 n. pr. prob. mutilum.

עבדמלך (עֶבֶדְמֶלֶךְ servus regis i. e. Baalis) n. pr. viri Cit. 2, 3.

עבדמלקר (עֶבֶדְמִלְקַר servus Herculis, Heraclius) n. pr. viri, Carth. 1, 2 et 3, 5. Atque hic quidem idem esse videtur, qui Carth. 5, 3 plenius scribitur:

עבדמלקרת (עֶבֶדְמַלְקַרְתְּ id.) sufes Carthaginensis. Alius est Athen. 2, 1.

עבדמקרת (עֶבֶדְמֹקַרְתְּ id.) Tugg. lin. 2.

עבדמן (עֶבֶדְמֵנִי servus deae Meni i. e. fati) Cit. 12, 2.

עבדנער n. pr. incertum, Cit. 13, 1.

עבדססם (עֶבֶדְסֻסִם servus sc. cultor equorum sc. sacrorum) n. pr. viri Cit. 2, 1.

עבדרת n. pr. *Abdera*, Hispaniae urbs maritima, num. Abder.

עבדשמש (servus s. cultor Solis) n. pr. viri, qui graece Ἡλιόδωρος appellatur Athen. 1, 2.

עבדתנת (servus Tanaïtidis i. e. Dianae Persicae) n. pr. viri Sidonii Athenis degentis gr. Ἀρτεμίδωρος. Athen. 1, 1.

עבדתנין (cultor crocodili) n. pr. viri Cit. 18, 2. 3, nisi legendum עבדתנית (cultor Dianae) v. praec.

עבעל (עִיבַעַל, nisi forte ita scriptum est pro עבדבעל) n. pr. viri Numid. 1 in appendice inscriptionis.

עדרחן (עֶדְרִיחֵן grex pulcher) n. pr. reguli Numidiae, Numid. 5, 1.

עוץ consulere, imp. עץ, v. יעץ.

עטם (fort. i. q. عظيم fortis) n. pr. viri Cit. 16.

עי (עִי) *ruina*, num. Iubae I.

עיבעל (עִיבַעַל ruina, vel tumulus Baalis) n. pr. oppidi Ciliciae, num. Cilic. H.

עין oculus. St. cstr. עין אלמלך oculus regis (i. e. satrapa) num. Cilic. F. Plur. cstr. בען (בְּעֵינֵי) Numid. 4, 1.

עירבעל (עִיַּרְבַּעַל quem suscitavit Baal) vas Panorm.

עך (עַכּוֹ) n. pr. *Acco* s. Ptolemais, Phoeniciae oppidum, num. Acc.

עכבר (עַכְבֹּר mus, glis) n. pr. conditoris Sabrathae, quae עם עכבר appellatur, num. Sabr. F.

על (עַל) *super* Cit. 1, 2. 2, 2. Numid. 6, 3. num. Cilic. A.

עלם (עֹלָם) *aeternitas*. לעלם כלא Cit. 2, 2. מלך עלם epitheton Baalis, v. מלך. מכת עלם imperium aeternum, attributum Numidiae, v. מכת. In Acc. absol. עלם i. q. לְעוֹלָם in aeternum, Tripol. 1.

עם (עָם) *populus* Cit. 33, 6. עם מחנת, עם המחנת populus Panormi, שעם מחנת populi Panormi, num. Panorm. עם עכבר populus Achbori, num. Sabr. F.

עמחר (עַמִּיחֵר cognatus nobilis) n. pr. viri, gemm. Cit. no. 40 bis.

עמת (עַמַּת) i. q. עָם populus. In statu absol. קלת עמת voces populi Numid. 4, 3, cstr. עמת שר populus Schuri Cit. 24, 1.

Digitized by Google

לעמת צברתעל a populo Sabrathae, num. Tripol. A.

עצמבעל (עַצְמְבַעַל fortis s. heros Baalis) n. pr. inscr. Gerbit.

עשה *fecit*. Fortasse עש pro עָשָׂה Numid. 6, 5. 7, 2.

עשתרת (עַשְׁתָּרֶת) *Astarte*, numen Phoenicum Cit. 1, 3. Praeterea in multis nominibus propriis virorum, ut בדעשתרת, גדעשתרת, Abdastartus, Delaeastartus, Gerastartus, Metnastartus al. et mulierum, ut אמתעשתרת.

עשתרתתן (עַשְׁתָּרְתִּתֵּן quem Astarte dat) n. pr. viri, Cit. 30.

עת (עַת?) contr. ex עַמָּת *populus* Num. 1, 3. 6, lin. 3. 4 (lin. 3 sq. masc.). Praeterea in nomine יפשעת (splendor populi).

פ

פגע *percussit*. Part. פגע (פֹּגֵעַ) qui percussit. Numid. 5, 2.

פטר (פֶּטֶר) fort. i. q. hebr. פֶּטֶר רֶחֶם quod uterum rumpit, *primogenitus* (m), num. incert. p. 327.

פעל (פֹּעַל) *facinus* Tugg. 7.

צ

צברתעל (צַבְרַתַּעַל pro צברת בעל tumulus Baalis) et contractius etiam צברתל n. pr. *Sabratha*, postea *Tripolis*, urbs Africana, Tyriorum colonia.

צדן (צִדוֹן) n. pr. *Sidon*, num. Sid. P—S. Inde gentilicium

צדני c. art. הצדני *Sidonius*. Athen. 1, 2. Plur. צדנם Sidonii num. Tyr. N. Sid. A—L. T—X. fortasse צדנן num. Sid. N (incert.).

צכץ fort. *Sex*, *Sexti*, oppidum Hispaniae maritimum, num. Sext. cf. pag. 309. 310.

צנכים citharae, Eryc. 2 ubi vide.

צנאנת (scutum Neithae, ex צִנָּה = צִנָּה, א art. et נת Nith, Neitha) n. pr. Cit. 29, cf. append. ad h. l.

צר (צוֹר) n. pr. *Tyrus*, num. Tyr. A—N. Sid. T—X. בעל צר dominus (deus tutelaris) Tyri Melit. 1, 1. קרן צר cornu Tyri, fort. Carne, Phoenices oppidum pag. 275. פטר צר primogenitum Tyri p. 327.

ק

קבר (קֶבֶר) *sepulcrum*. Melit. 2, 1. Marsal. Carth. 8.

קום surgere, *stare*, *perstare*. Praet. קם stat, manet Tripol. 1.

קיר (קִיר murus) in numis Achullae, eiusque fortasse n. pr.

קל (קֹל) *vox*, cum suff. קלם vox eorum Melit. 1, 4. Plur. קלת (קֹלֹת) voces, preces Numid. 1, 2. 2, 2. 3, 2. 4, 3, c. suff. קלחם preces eorum Tripol. 2, 2.

קנת (קִינוֹת) *naeniae*. Eryc. lin. 5.

קרת חדשת (קָרֶת חֲדָשָׁה urbs nova) n. pr. vel *Carthaginis* vel *Neapolis* Panormi, num. Panorm. L—O. p. 291.

ר

ראש v. רש *caput*.

רב (רַב) 1) *magnus*. מלך רב כתי rex magnus Citiensium. Cit. 33. 2) *princeps*. C. art. הרב Carthag. 8, 2. Sq. genit. רב בריאת princeps Berioth (Barathiae), Tripol. 2, 4. In appositione, רב חרש princeps faber i. e. ἀρχιτέκτων. Cit. 4. Est etiam attributum deorum, ut בעל מעקר רב Baal Hercules princeps (fort. deorum), Tripol. 2, 1.

רבת (רַבַּת) *princeps*, *domina*, de deabus Carth. 2, 1. 3, 1. 5, 1, de mulieribus mortalibus Eryc. lin. 1.

רו (pronunciandum *ru*) *pluvia* i. q. hebr. רְוִי arab. ري, a rad. רָוָה. Cit. 22, 2 ubi vide.

רוח *respiravit*, *quievit*. Praet. רח requievit i. e. mortuus est. Cit. 7, 2.

רח (רוּחַ, רֵיחַ) *spiritus* Melit. 2, 2. Eryc. 1.

רם (רָם) *altus* num. Iub. 2, L, spec. *alta sedes*, *regia*. רם מלכת alta sedes imperii

Digitized by Google

num. Iub. 1. רם עם עכבר alta sedes populi Acboris, num. Sabrath. F.

רם (רֹם) *Roma* Tripol. 1. num. Panorm. K.

רמי (רֻמִּי) gent. *Romanus* Numid. 5, 2.

רצה delectatus est, benevole excepit. Part. Pi. מרצה pro מְרַצֶּה qui gratiam sibi comparat Gerbit. 2.

רש (hebr. pro ראש, pun. pronunc. *rús*, v. cap. 3 indicem urbium et locorum) *caput*. רש מלקרת caput Herculis i. e. promontorium Herculis (cf. Rusaddir, Rusconia, Rusicade al. in ind. geogr. cap. 3). In nonnullis plene scriptum fuisse videtur ראש, fortasse etiam רוש (vide pag. 293. 317), בת רש domus capitis Sard. (v. בת).

רשת (i. q. רֵאשִׁית) *principatus* Tripol. 1.

ש

ש praefixum (hebr. שֶׁ, ex pronunciatione Poenorum *si*, v. §. 32) 1) pronomen relativum decurtatum ex אֲשֶׁר. שסבל qui portavit Tugg. lin. 6. שיצב qui restituit, num. Iub. 1. שישת quem posuit Numid. 6, 3. — 2) nota genitivi. בת רש שנגד dormitorium principis Sard. 1. 2. מח' שרם Panormus Romae i. e. Romana, num. Panorm. K. שהאב qui pater (erat) Sard. 2. Ab initio שעם מחנת populi Panormi, Panorm. H. I. In mediis nominibus compositis, velut חכמשבעל (ex חכם, ש, בעל), ימשעת (ימי-ש-עת). Cf. infra של notam genitivi.

שגח *vidit*, *spectavit*. Part. Hoph. משגח (מַשְׁגָּח) spectatus. Numid. 4, 1.

שדראדם (ex שַׂר, א art. et דם praefectus regiae, cf. דם) n. pr. viri Tugg. lin. 2.

שית *ponere*. Praet. 1 pers. שתי (שַׁתִּי) posui Cit. 2, 3. Fut. ישת (יָשִׁית) Numid. 6, 3.

שכך (שָׂכַךְ) *texit*. Part. pass. שכך tectus Eryc. 4.

שלג (שֶׁלֶג) *nix*. Eryc. 4 (bis).

שלגי (שַׁלְגִּי niveus) n. pr. viri Tugg. lin. 4.

שלח (שָׁלַח propago) n. pr. Cit. 13, 2.

שלם (שָׁלֵם) 1) concr. *integer* (fortasse שָׁלֵם) Sard. lin. 3. 4. 2) abstr. *integritas*, *pax* Sard. lin. 4. 5.

שלשל (catena) n. pr. incertum Cit. 8.

שם (hebr. שֵׁם, punice pronunciatur *sim*, v. Plaut. Poen. V, 1, 10.) *nomen* Tugg. 7.

שמיר (שָׁמִיר) *adamas* Tugg. 6.

שמע *audivit*. Inf. cum praef. כשמע ut audivit, simulatque audivit Melit. 1, 4. 3, 5. Part. שמע קלת qui exaudivit voces (preces) Numid. 1, 1. 2 al. (v. קל). שמע אבת qui exaudivit patres Cit. 1, 3. fut. c. suff. ישמען exaudiat nos ibid.

שמש (שֶׁמֶשׁ) *sol*. Cum art. אשמש Cit. 22, 2. מקם שמש locus s. oppidum solis, cf. מקם.

שנים pl. cstr. שן (pro שְׁנֵי) *duo* Melit. 1, 3.

שנת *annus*. Plerumque per compendium שת anno, sq. numero epochae, num. Marath. (semel plene שנת pag. 272 lin. 30).

שעתבל (vel שְׁעַת בַּל visio Baalis, vel שֶׁעַתְבַּל qui *populi Baalis* est, ex populo Baalis) n. pr. viri, Numid. 4, 1.

שפם (שֻׁפֵט, ex pronunciatione Poenorum *sufet*, lat. sufes, sufetis) *iudex*, *Sufes* Carthaginensium Carth. 5, 4.

שקלא siclus? in numo Cil. incerto pag. 328.

שר (שַׂר) *princeps*, c. art. השר Tugg. lin. 3.

שר (fort. שֻׁר)) n. pr. loci Cit. 24, 1.

שרדן *Sardi*, Sardiniae incolae Sard. 2. 3.

שתל (שְׁתַל planta) n. pr. puella Eryc. 1.

ת

תאום Cit. 18, 1 et תאם (תְּאַם geminus) Cit. 2, 3 n. pr., Thomas, Didymus.

תארא (תָּאֳרָא i. q. תֹּאַר forma, inde concr. formosa) n. pr. mulieris Cit. 4, 1.

תגנץ (תַּגְנֻץ corolla florum, q. d. Stephanus) n. pr. viri Athen. 2, 2.

תכן מג (director magus?) Cilic. C. D. E.

Digitized by Google

תנת (תָּנִית) 1) *Tanaïtis* s. *Diana* Persica (= Ἄρτεμις Athen. biling. 1, 1), dea caelestis Carthaginis Romanae, Carth. 2, 1. 3, 1. 5, 1. Cf. עבדתנת Athen. 1, 1. 2) fort. *Tingis* Mauritaniae v. num. Sext. N. P. cf. pag. 309. 310.

תנחנת v. pag. 310.

תרז *Tarsus*, Ciliciae urbs, num. Tars.

CAPUT TERTIUM.

PHOENICIAE LINGUAE RELIQUIAE APUD SCRIPTORES GRAECOS ET ROMANOS.

A.

PUNICA APUD PLAUTUM.

§. 10.

Varia interpretum conamina.

Punicae orationis paullo longioris et continuae (praeter inscriptiones Erycinam et Tuggensem) unicum specimen habemus in nobilissima Plauti fabula, quae Poenulus inscribitur, ubi actus quinti scena prima *decem* habentur integri *versus* Punici Latinis litteris scripti (reliqui enim sex Libyphoenicii sunt, §. 13), quibus scena secunda et tertia quattuordecim accedunt breviores sententiae Latino dialogo intermixtae.

In his partim refingendis partim interpretandis et ad linguae Hebraeae analogiam revocandis inde a Ios. Scaligero, qui „Poenuli dictionem ab Hebraismi puritate parum abesse“ affirmaverat (pag. 352), permulti desudarunt, licet plurimi nonnulla tantum vocabula nonnullasque sententias attigerunt *), pauciores omnia trium scenarum Punica interpretanda sibi sumpserunt. Atque horum quidem princeps censendus est Samuel Petitus, qui in *Miscellaneorum libris novem* (Parisiis 1630. 4) p. 58 sqq., trium scenarum Punica ad verba Hebraea revocavit et Latine transtulit, quam interpretationem additis etiam *Goldasti* in multos versus periculis illustravit adeoque paraphrasi poëtica amplificavit *Io. Phil. Pareus* in Plauto tertium a se edito (Francofurti 1641. 8. **)), repetierunt plures Plauti editores, ut Boxhornius, Operarius, Gronovius,

---

*) Videantur prae ceteris *Ios. Scaliger* ad fragm. Graecorum p. 32. *Aldrete* antiguedades p. 207. *Io. Selden* de dis Syris. prolegg. cap. 2 (explicatur Vers 1). *Steph. le Moyne* varia sacra p. 100. 113. *Hyde* ad Peritsol p. 45. *Reinesii* ἱστορούμενα linguae Punicae cap. 12. *Velthusen* das Hohelied Salomo's, Braunschw. 1786. pag. 271 sqq. *O. G. Tychsen* in Novis Actis Upsaliensibus Vol. VII pag. 100. 101, aliique minoris momenti, quos laudat Fabricius bibl. lat. I p. 5, et post eum Plauti editor Bipontinus Vol. I p. XIX.

**) In prima et secunda editione (1610. 8. et Neapoli Nemetum 1619. 4.) Pareus parum scite textum Punicum transscripserat quidem litteris hebraeis adeoque vocalibus muniverat, sed quae dedit non magis Semitica sunt, quam Sinica aut Mogolica, ut ipse fateatur, se paucissima tantum vocabula (v. c. עליגים Vers. 1) interpretari posse. Hic igitur ex interpretum numero plane eximendus est.

Digitized by Google

Ernestus. Quo in primo periculo nonnulla quidem (v. c. Sc. I. V. 1. *macom syth* מקום זאת; V. 6. liful לפעל, V. 8. חק זאת נשא, sc. 2, 67) satis recte explicata sunt, ut adeo Bochartus ex iis subinde emendari possit: sed pleraque tamen et commenticia sunt et linguae indoli contraria, quum Petitus spreta interpretationis Plautinae auctoritate saepe in alia omnia abeat et etiam Libyphoeniciam cantici partem ad analogiam Hebraeam revocet. Exempli causa tres priores versus adscribere placet, quas ita restituit et transscripsit:

Neth alonim valonoth secor eth isi macom sith
Chyni lachchu utmimi sty almoth ibarti mischi
Liphoc anethy bymi Thu ad aedin bymi Thu

נם עֶלְיוֹנִים וְעֶלְיוֹנוֹת זְכוֹר אֶת־אִשֵּׁי מָקוֹם זֹאת
חִינִי לַקְחוּ וּתְמִמִי שְׁתֵּי עַלְמוֹת עִבַּרְתִּי מִזְחִי
לִיפֹק אֲנֵתִי בִּימֵי תַהוּ עַד עֵדֶן בִּימֵי תַהוּ

Inclinate, o di deaeque, memoria virorum huius civitatis,
deprecationem meam accipite et integritatem meam. Duas filias generavi, robur meum,
ut egrederentur occasionem dedi in diebus Taauthi ad hortos, in diebus Taauthi cet. *).

Multo magis laudandae et auctore suo omnino dignae sunt, quae sedecim annos post Petitum in publicum prodierunt magni Bocharti in primam scenam curae (geogr. sacra, P. II lib. 2 c. 6, Cadoni 1646 fol. postea saepius recusa in Opp. 1692. 1707. 1712), ita quidem comparatae, ut etiam nunc post duo ferme secula sint quidem, qui in singulis locis verbisque interpretandis probabiliora dederint, sed qui in toto cantico explicando felicius versatus sit exstet nemo. Is enim, postquam intellexerat, sedecim primae scenae versuum nonnisi decem priores Punicos, sex reliquos Libycos esse, in utrisque autem eandem sententiam contineri, quae in undecim versibus Latinis habeatur, vulgatam contextus Punici scripturam satis sobrie emendatam hunc in modum transscripsit et latine vertit:

1 *N'yth alonim valonuth sicorath jismacon sith*
2 *Chy-mlachai jythmu mitslia mittebariim ischi*
3 *Liphorcaneth yth beni ith jad adi ubinuthai*
4 *Birua rob syllohom alonim ubymisyrtohom*
5 *Bythlym moth ynoth othi helech Antidamarchon*
6 *Ys sideli: brim tyfel yth chili schontem liphul*
7 *Uth bin imys dibur thim nocuth nu' Agorastocles*
8 *Ythem aneti hy chyr saely choc, sith naso.*
9 *Binni id chi lu hilli gubylim lasibit thym*
10 *Body aly thera ynn' ynnu yss' immoncor lu sim* **)

*) Quum Petitus ipse ampliorem paraphrasin magis quam interpretationem dederit, ego verbum de verbo verti, ut intelligant lectores, qua sententia is singula acceperit.

**) Recepit haec in editionem suam editor Bipontinus. Praeterea Petiti et Bocharti explicationes repetitas habes in Planti editione in usum Delphini T. II. p. 209. in *Hervas* Saggio prattico p 243. *Adelungii* Mithridates I, p. 351 et alibi.

Digitized by Google

1 נא את עליונים ועליונות שכורת יסמכון זאת :
2 כי מלכי נחמו : מצליח מדבריהם עסקי :
3 לפורקנת את בני את יד עדי ובנותי :
4 ברוח רב שלהם עליונים ובמשורתהם :
5 בטרם מות חנות אותי הלך אנתידמרבון :
6 איש שידע לי : ברם טפל את חילי שכינתם לאפל :
7 את בן אמיץ דבור תם נקום נוה אגורסטוקליס :
8 חותם חנותי הוא כיור שאלי חוק זאת נושא :
9 ביני עד כי לו האלה גבולים לשבת תם :
10 בוא די עלי תרע אנא ; הנו אשאל אם מכר לו שם :

Rogo deas et deas, qui hanc urbem tuentur,
ut consilia mea compleantur: prosperum sit ex ductu eorum negotium meum.
Ad liberationem filii mei a manu praedonis et filiarum mearum.
Dii (inquam id praestant) per spiritum multum qui est in ipsis et per providentiam suam.
Ante obitum diversari apud me solebat Antidamarchus, 5
Vir mihi familiaris: sed is eorum coetibus iunctus est, quorum habitatio est in caligine (i. e. mortuus est).
Filium eius constans fama est ibi fixisse sedem, Agorastoclem (nomine).
Sigillum hospitii mei est tabula sculpta, cuius sculptura est deus meus: id fero.
Indicavit mihi testis eum habitare in his finibus.
Venit aliquis per portam hanc: ecce eum; rogabo numquid noverit nomen (Agorastoclis). 10

Qua in interpretatione quanquam insunt, quae quum alias ob causas displiceant tum linguae rationibus adversentur (v. c. Vers. 1 נא את עליונים. Vers. 10 בא די עלי תרע venit aliquis per portam), nihilominus fatendum est, virum sagacissimum bonae certaeque interpretationis fundamenta iecisse, atque dolendum, eum infelici Petiti conatu a reliquis etiam Punicis (sc. 2. 3) explicandis deterritum esse. Qui Bochartum proxime excipit Io. Clericus in *bibliothèque universelle et historique* T. IX p. 256 (anni 1688), in universum eius vestigia legit, praeterea autem observat, singulos versus Semitarum more duobus constare hemistichiis, quae in homoeoteleuta exeant: quod quam verum sit, infra demonstratum ibimus (§. 12 fin.), nec sane erat quod Clericus, ut hos rhythmos monstraret, verba Punica tam saepe pro arbitrio vel mutaret vel transponeret (V. 2: chi nittam *milchi*, umithdabre *iski*; V. 5: bnoth scheninghu *li*, u ben *achi*). Duo alii nostri loci interpretes Bocharti de dialecti Punicae indole sententiam emendaturi in opiniones delati sunt sibi prorsus contrarias. Quum enim Bochartus, et recte quidem, in interpretatione sua nonnullas formas Aramaeas magis quam Hebraeas admisisset (V. 9 תם ibi, pro hebr. שם, V. 9 תרע porta pro hebr. שער), Ge. Henr. Sappuhn (in „commentatione philologica, qua nobilis linguae Carchedonicae reliquiae ab Accio Plauto Sarsinate actu V sc. I et II fabulae, quae Poenulus inscribitur, adservata explicatur et ad dialectum aramaeam

Digitized by Google

refertur." Lipsiae 1713. 48 pagg. 8.) nova decem versuum interpretatione proposita probare voluit, Sermonem Punicum Aramaeae dialecto quam Hebraeae propiorem esse: contra Otto Verbrugge (de nominum Hebraeorum plurali numero ed. 2. Erlangae 1752 pag. 146 sqq.) id ipsum, quod Hebraismo Syriasmum admiscuerit, Bocharto vitio vertit, et in sua, quam excogitavit, analysi omnia ad purum Hebraismum revocavit: quorum quidem neuter sententiam suam probasse et explicationibus maximam partem contortis Bochartum emendasse censendus est. Quae in nostrum locum commentati sint *Finettus* (trattato della lingua ebraica e sue affine, Venezia 1756. 8. p. 129—136), *Dorhoutus* (animadverss. in loca selecta V. T. Leovardiae 1765. p. 309—350), *Fabricy* (de Phoeniciae litteraturae fontibus. 1803. p. 255 sqq. 261 sqq.), mihi ad manum non sunt, neque alibi excerpta reperi. Duo igitur recentissimi integri loci interpretes supersunt, Io. Ioach. Bellermannus (Versuch einer Erklärung der punischen Stellen im Poenulus des Plautus. Stück 1—3. Berlin. 1806—1808. ed. 2. 1812) et Robianus comes (Études sur l'écriture, les hiéroglyphes et la langue de l'Égypte et sur l'inscription de Rosette, suivies d'un essai sur la langue Punique, par Mr. l'abbé comte de Robiano. Paris, imprimerie royale. 1834. 4.), quibus (quanquam hic illius curas ignorare videtur) hoc commune est, quod ambo relicta verissima Bocharti observatione infra uberius vindicanda (§. 13) omnes sedecim prioris scenae versus Punicos habent et ad Petiti exemplum ad linguae hebraeae analogiam utcunque revocare student: quanquam Bellermannus Bochartum secutus in universum intra certos Hebraismi fines se continet, Robianus contra modo Syriaca modo Arabica arcessit pluresque praeterea linguae Punicae virtutes hucusque incognitas, velut crebras litterarum c, d, l, n insertiones, sibi invenisse videtur, quarum quidem fides penes auctorem sit *). Exempli causa ex Bellermanni libello sex priorum versuum analysin excerpimus, quae ad Bochartianam prope accedit et plura continet satis probabilia:

אֶת־עֶלְיוֹנִים וְעֶלְיוֹנוֹת זִכַּרְתִּי יִסְמְכוּן זֹאת
כִּי מְלָאכַי יִתַּמּוּ מַצְלִיחַ מִדַּבְרֵיהֶם עִסְקִי
לָבוֹא קְנוֹת אֶת בֶּן־אָחִי יְדִידִי וּבְנוֹתַי
בְּרוּחַ רַב שֶׁל עֶלְיוֹנִים וּבְמְשׁוּרַתֵּהֶם
בְּטֶרֶם מוֹתוֹ חֲנוֹת אֹתִי הֵלֵךְ אנטידמרכון
אִישׁ שֶׁיָּדַע לִי: בְּרָם סַפַּל אֶת־חַיִל שִׁכְנָתָם לְיִפְעָה

*) „Ce n'étoit donc ni Basque, ni de l'Irlandois, que l'on parloit à Carthage, mais bien du Phénicien, partagé entre le Syriaque et l'Arabe et remarquable par des insertions assez frequentes des consonnes *c*, *d*, *l*, *n* et l'usage du duel inconnu aux Hebreux, du moins sous cette forme" (p. 78). Cuiusmodi sint hae insertiones, quas linguae Punicae tribuit R. lectores ex his fere exemplis discant. Vers. 1 pro *alonim valonuth* auctor scribit אלהים ואלהות, quibus Nun *inserto* esse censet. Vers. 10 *Body* scribitur בעה (peto), inserto d *body*. Idem (pag. 63) docet, Hebraeorum אב (pater) arabice scribi أنب (!) inserto *Nun*, et quod Arabes pro אתה scribant أنت, id (ibid.) Nunnationem appellat. — Quod praeterea illustr. comes secundae et tertiae scenae Punica ante se a nemine explicata putat (pag. 80), id satis mirari non possumus, quum *Petiti*, *Reinesii*, *Sappuhni*, *Tychsenii*, *Bellermanni* in haec fragmenta coniecturae exstent.

Digitized by Google

Deos deasque invocabo, (qui) tuentur hanc (urbem),
dum consilia mea impleantur, (dum) prosperum sit ex edictis eorum (nutu eorum) negotium meum,
ut adveniam redemtum filium fratris mei dilectissimum et filias meas,
per potentiam magnam deorum et per providentiam ipsorum.
Ante mortem ipsius diversari apud me solebat Antidamarchon,
vir qui cognoscebat (amabat) me; in coelo coniunctus est cum coetu (eorum quorum) habitatio in splendore rel.

ex Robiano scenae secundae nonnulla fragmenta, velut

Vers. 38 *Avo* ויחי. *Donni* אדני. V. 41 *Mebar bocca* מבחר בקש a iuvenibus quaero. V. 46 *ruf enico ist ain* רפא אנכי יש אין medicus ego non sum. V. 50 *Muphursa* מפרש distincte! *Mi vulechi anna?* quid et hospites dicunt? V. 53 *Lech lachananim limini chol* לך לכנענים לימיני כל veni ad mercatores, in dextra mea (est) summa. V. 56 *Is ama rui nam* איש אמה ראה אנאם vir ancillas videre rogans eas cet.; quae vereor ut idoneis rei arbitris probari possint.

Quos hactenus recensui omnes ex lingua Hebraea, subinde in subsidium vocato Chaldaismo et Syriasmo, sermonem Punicum illustrarunt, et recte quidem. Longius a vero aberrarunt, qui vel ad veterem Arabismum confugerent, ut *Casirius*, qui (bibl. Escurial. T. II. p. 27) duos priores versus ex arabico illustrare studet, vel adeo Melitensium idioma (§. 6) arcesserent, ut *Agius de Soldanis* (dissertazione cioè vera spiegazione della scena della comedia di Plauto in Poenulo. Romae 1751. 4.): ne eorum somnia memorem, qui e Vasconum et Hiberniae linguis huic causae succurri posse opinati sunt, ut *Ch. Vallencey* (pag. 342), *de l'Ecluse* grammaire Basque, Toulouse 1826. 8. *Bartholomaeus de Santa Teresa* apud Robianum p. 78, de quibus copiosius referre piget.

§. 11.

Scripturae varietas in libris manu scriptis.

Percensitis his superiorum interpretum conatibus, antequam nostra in singulis pericula eruditorum hominum arbitrio permittimus, ante omnia *de codicum Plautinorum* ratione et scriptura videndum erit, cuius rei ab omnibus Punicorum interpretibus neglectae *) eo maior est in hac re auctoritas, quo certius est omniumque Criticorum consensu approbatum, Plautinarum fabularum exempla, nedum Punicam Poenuli orationem, librariorum inscitia et incuria naevos contraxisse sine antiquiorum meliorumque librorum auxilio vix sanabiles. Atque octo priorum Plauti fabularum quum permulti codices exstent, duodecim posteriores, in quibus Poenulus est, nonnisi in tribus codicibus manu scriptis integris reperiuntur, in duobus Palatinis Camerarii, quorum unus s. „vetus codex“ omnes fabulas continens nunc Romae est, alter s.

*) Scripturae varietatem ex praecipuis libris editis, quorum quidem auctoritas vel secundaria vel nulla est, dedit Bellermannus p. 21. 22.

Digitized by Google

decurtatus, duodecim posteriores complectens, Heidelbergam rediit, atque in codice Lipsiensi, quibus accedit editio princeps (Venet. 1472) textum exhibens Lipsiensi simillimum. Quattuor horum librorum etiam in Punicis eadem ratio est, quam in Latinis apparere monstravit Ritschlius *): longe enim praestantissimi sunt duo libri Palatini, minus certae auctoritatis, quippe varie interpolata, editio Veneta, magis etiam corruptus liber Lipsiensis: omnes quattuor, ex quibus vulgata editionum scriptura hausta est, in universum idem vel certe simile exemplum referunt, siquidem scripturae varietas praeter voces pro arbitrio fere divisas non ita magna est. In hac igitur quattuor librorum consensione credere possis, textum Punicum non male descriptum et sic satis sanum esse. Atqui scrupulum iniicit antiquissimus Palimpsestus Mediolanensis, litteris maiusculis et continua serie scriptus, ad Antoninorum fere aetatem pertinens, ex quo praeter pauca alia fragmenta sc. I. versus 11 — 16 *) exsculpsit ediditque *Angelus Maius* (M. Acci Plauti fragmenta inedita .... inventore Angelo Maio. Mediolani 1815. 8. p. 25. 26), nuper ad calcem editionis suae repetendos curavit Tauchnizius. Hic enim liber sex versuum Liby-phoeniciorum, qui apud ipsum decem sunt, exemplum nobis offert, quoad ex Maianis iudicari potest, a vulgato admodum diversum, idque tamen partim plenius, partim vocabula continens, in quibus originem et indolem Punicam longe facilius, quam in vulgatis, agnoscas **), unde hoc certe colligas, sex illos versus eo temporis spatio, quod inter cod. Medio-

*) Rheinisches Museum für Philologie, T. III. Allgem. Litt. Zeit. 1834. no. 143. 144.

**) Nil dubitandum est, *decem* versus a Maio ex palimpsesto exscriptos nihil aliud continere quam quod in codicibus Palatinis et in editione principe *sex* versibus postremis (V. 11—16) continetur, id est non *Punicam*, sed *Liby-Phoeniciam* cantici partem. Qua de re, ut ipsi lectores iudicare possint, h. l. ipsum Maii exemplum praemissa brevi eius observatione adscribere, infra hoc cum reliquorum codd. scriptura componere placet. Maii verba haec sunt:

„Versus Punici decem tantummodo in codice sunt, iique immaniter differunt ab editionibus: sed codex etiam h. l. carie et posteriore scriptura male habitus est. Nos ea quae potuimus aegre eruere damus et quidem litteras continuas indiscretis verbis, ut melius codicis facies ipsa se prodeat (sic!) et quisque pro suo libito tam vexatum a Criticis Plauti locum legat. Litteras autem dubias de more nostro parenthesi inclusimus."

V, 1, 1. YTHALONIMVALONIVTHSICORATHIISTHYMHIMAHYMACOMSYTH
2. CYMB(AL)IVMAMITALA(VE)LOTHA(MITA)
3. IVLECAN(TH)ECONAALONIM(D)ALVMBAR(ID)ECHOR
4. (DAT)SI(L)L(I)THVNESO(B)INESVB(I)CS(I)LLIMBALIM
5. (ESSE)MI(TE DAMOSSONAL(I)MVEDVBERTEFET
6. DENOTVN(MI)VN(E)CCALTHVMVCOMMV(T)ROLVFVL
7. ALTANIMAVOSDVBERITHEMHNAACHARISTOLEM
8. SIH IIDA)....NASOE(BASY)HELTCOT
9. ALEMVSDVBERIMINP(I)MVCOPSVESTITI
10. AOCCAANEOL(IS)ORBODES....AS(T)ILIMLIMMIMOCLVS
2, 67. GVNEBBALSAMIML(I)RILA
3, 22. AVAMMA(LLI).23.M(I)PSTA.

Digitized by Google

lanensem et Palatinos, reliquorum praestantissimos, interiectum est, magnas mutationes subiisse, imo non paucos naevos contraxisse. Quum autem credibile non sit, reliquam barbarae orationis partem feliciore sorte usam esse, habebunt saltem, quo se excusent, qui etiam in vere Punicis de vulgari scriptura explicanda desperantes ad coniecturas paullo audaciores animum applicent.

Nos, ut eam certe scripturam, quam libri manuscripti offerunt, lectoribus nostris futurisque, si qui fuerint, interpretibus integram offeramus, ad ipsorum codicum, a superioris aevi editoribus raro diligenter collatorum, auctoritatem redeundum putavimus. Nec sine fructu. Utriusque enim codicis Palatini scripturam quanquam summa fide a se dari affirmat Pareus (edit. II, not. crit. p. 235), tamen plura minus accurate lecta esse docet et nova Heidelbergensis libri collatio, quam Baehrius v. cl. misit, et Romani, quam Ritschlio acceptam referimus. Idem vir egregius editionis principis longe rarissimae in bibliotheca Rhedigeriana Vratislaviensi exstantis *) apographum nobiscum communicavit: Lipsiensem autem codicem nobis excerpsit Beerius. Quas quidem opes criticas *) ita in brevi conspectu posuimus, ut Heidelbergense exemplum integrum litteris maioribus describeremus, singulisque versibus scripturae varietatem ex reliquis codicibus apponeremus.

1. *Ythalonim ualonuth sicoratsima comsyth*

Ythalonim) Lips. Sytalonium. Ed. pr. (n) Ythalonim. *ualonuth*) ita cod. Heidelb. teste Baehrio (Pareus: ualon ut) et Lips., sed Rom. et ed. princ. *valon uth.* — *sicoratsima*) ita iunctim cod. Heidelb., separatim Pareus. Rom. si corathisyma. Lips. sicorathisima. Ed. pr. si corathisima. Post *sima* Pareus male quattuor puncta posuit, quasi aliquid deesset: in cod. nil nisi spatium est paullo maius. — *comsyth*) ita etiam Rom., ed. pr., sed Lips. consith, Cam. consyth.

2. *Chym lah chunyth mumysthyal mycthibaru imisehi*

chym) Lips. chyn. — *lah chunyth*) Rom. lachun yth. Lips. lach chun yth, ed. pr. lach chunyth. — *mumysthyal*) Rom. (corrupte) mumysthral. Lips. et ed. pr. mumis tyal. Sine auctoritate Gronovius munys thal. — *mycthibaru imisehi*) Rom. apud Pareum mycthi bar ui mysehi, ex nova collatione mycthibaru imischi. Lips. nucthibarii imischi.

3. *Liphocanethyth binuthu adaedin bin uthu*

Liphocanethyth) ita etiam Rom., sed ed. pr. vocibus ita divisis *lipho canet hyth*, Lips. *lipho canet hyth.* — *binuthu*) Rom. by nuthi, ex nova collatione bymithi, Lips. bynuthyy, ed. pr. bynuthii. — *ad aedin*) Rom. ad edyn sec. Pareum. Lips. adaedem. — *bin uthu*) Rom. binui. Lips. binutyi. Ed. pr. bynuthii.

4. *Birnarob syllohomalonim uyby mysyrthoko*

birnarob) ita etiam Lips., ed. pr. byrnarob, Rom. bymarob. — *syllohomalonim*) ita iunctim cod. Heidelb. (non syllo ho malonim, ut Pareus): vocibus aliter divisis Rom. *syllo homalonim*(ur). Lips. syllo homalonim. Ed. pr. syllo homalonin. — *uyby*) Rom.

*) Quod Bellermannus (p. 21) editionem Mediolanensem anni 1500 Comici principem facit, errore nititur; quanquam haec editio principem fere *κατὰ πόδα* sequitur.

Digitized by Google

(m)urby. Lips. iuby. Ed. pr. uby. — *mysyrthoho*) ed. pr. misyrthoho. Lips. corrupte mysyithobo.

5. ***Bythlim mothyn moctothuulechanti dasmachon***

bythlim) Rom. et ed. pr. bythlym. Lips. bithilim. — *mothyn*) ita Rom. et ed. pr., Lips. mothin. — *moctothuulechanti*) ita iunctim Heidelb. Rom. noctothu ulechanti. Lips. noctothu ultchanti. Ed. pr. noctothii uelechanti. — *dasmachon*) ita etiam liber Lips. et pr., sed Rom. ex nova collatione damaschon (Par. clamaschon).

6. ***Yssiddobrim thyfel yth. chyl! ys chon them liphul***

Yssiddobrim) Rom. sec. Pareum yssid dobrin, ex nova collatione yssid dobrim. Lips. yssido brim, ed. pr. yssidele brim, quod omnes editiones invasit. — *thyfel — ys chon*) ita Heidelb. (non yschon iunctim). Rom. secundum Pareum thyfel. yth? chil? ys! chon!, ex nova collatione thyfel yth chylys chon, Lips. typhel ith chil is chon, ed. pr. thyphel yth chyl ys chon. — *them liphul*) ed. pr. them. liphul, Lips. tem liphul, Rom. chem liful!.

7. ***Uthbinim ysdibur thinnocuthnu agorastocles***

uthbinim) ita etiam Lips., at divisim: uth binim. Baehrius in Heidelbergensi legit Uthbiram. Rom. ap. Pareum yth! binim!, sed ex nova collatione uth bynim, ed. pr. uth. bynim. — *ysdibur*) ita omnes. — *thinnocuthnu*) Rom. ap. Pareum thinnochot nu, ex collatione nova thinno chot nu, Lips. thinno cut nu, ed. pr. thyinno cuth nu. — *agorastocles* omnes.

8. ***Ythemaneht ihy chirsae lychot sith naso***

ythemaneht ihy) Rom. ed. pr. ythe maneth ihy —. Lips. corrupte ythemanche ihy. — *chirsae lychot*) ita etiam ed. princ., Rom. secundum Pareum chir saelichot, sed ex nova collatione chyrsae lychot, Lips. chyrse lycot. — *sith naso*) ita Rom. ed. pr., Lips. sit naso.

9. ***Bynny id chil luhily gubulim lasibithym***

Bynny) Rom. ex nova coll., Lips. ed. pr. bynni. — *id chil*) divisim Heidelb. Rom. Lips. ed. pr. (male Pareus idchil). — *luhily*) ita etiam Lips., ed. pr. luhili, Rom. luchily, ex nova coll. luchili. — *gubulim*) ed. pr. gubulin. — *lasibithym*) ita iunctim Heidelb. (non lasi bithyn, ut apud Pareum) Rom. lasibitthim. Lips. lasibithim. ed. pr. lasibit thym.

10. ***Bodyalit heraym nynuys lymmonchot lusim***

Bodyalit) ita Heidelbergensis, ex quo male Pareus *Bothyalit*, ed. pr. bodyalyt. Lips. bodyalit. Rom. ap. Pareum bodialy th —, ex nova collatione *bodyalyt*. — *heraym*) Rom. ed. pr. herayn, Lips. herayti. — *nynuys*) ita quoque ed. pr., Rom. nynnurs. Lips. nynnius. — *lymmonchot*) Rom. lymmon chot, ed. pr. lym moncoth, Lips. lym mochot. — *lusim*) Lips. lusin. In Romano adduntur verba: *hiannio* (nov. coll. hianno) *punicae*, et in spatio maiore, quod inter comma 10 et 11 interiectum est, litteris maiusculis PHONVS (nov. coll. PHONOS) DV. In Heidelbergensi inter V. 10 et V. 11 unius versus spatium est: in Lipsiensi vero omnia continua serie scripta sunt.

11. ***xa nolim uolanus succurrati misti maltim acum esse***

Reliqui omnes *Exanolim* et *succurratim*. Tres postremas voces Lips. ita exhibet: istum athicum esse, ed. pr. *mistim atticum esse*. Apud Maium primus hic versus Libycus

Digitized by Google

ita legitur, ut Punico versui (V. 1) multo similior sit, plura tamen addat: *Yih alonim valoniuth sicorathi is thym himahy macom syth.* Pro *misti malti* hic codex habet *is thym himahy.*

12. *Concubitum abello cutim beat lulacanti chona enus es.*

Ita ad amussin Rom. — Lips. obello — beant lulabant thona. Ed. pr. beant lalacant. Ex Maii collatione huc pertinent Vers. 3 *iulecan (th)econa*, et *thuneso(b)ines.* Sed his interiecta sunt *alonim (d)alumbar(id)echor(dat)si(l)l(i).*

13. *Huiec silihc pan esse athidmascon alem uiduberte felono buthune*

Pro *felono*, quod legit Baehrius, Pareus habet *felone.* Rom. ex nova collatione: silic panasse ... (Pareus male: aiem). Lips. huc ecsiliech panes se athid mascon alm ..... selono .... Ed. pr. silic panesse .... induberte felono buthune. In cod. Mediolanensi his respondent V. 4. 5. 6: *ub(i)c s(i)llimbalim (esse) mi (te) damosson al(i)m veduberte fet denotun (mi) un(e)c.*

14. *Celtum comucro lueui atenim auosouber hent hyacharistoclem*

Eodem modo Rom. et ed. princ., licet voces subinde aliter divisae sint. Lips. at eim. In Palimpsesto Mediol. respondent Vers. 6. 7: *calthum ucommu(t)ro luful altanim avos duberithem hna acharistolem.*

15. *Etteseanehc nasoctelia helicos alemus duberter micompsuespti*

Pareus dederat: etteseanehe nasocctelia. Rom. ex nova collatione: et te se anec .... mi comps vestipti (Pareus: eite). Lips. et te staneth nasoch telia elicos .... Ed. pr. et te se anechc. .... In Mediolanensi his respondent V. 8. 9: *sih (iida) .... nasoe (basy) helicot alemus duberimin* p(i) *mucopsvestiti.*

16. *Aodaenehc lictor bodes iussum limum colus.*

Male Pareus dederat: aodenehe — bocles. Rom. et ed. princ. Aodesnec .... limnim colus. Lips. aode anec .... limium. .... Sed in Mediolanensi: *aocca aneo l(is)or bodes .... as(t)ilim limmim oclus.*

Sc. 2. V. 34. *Avo.*

V. 35. *Annon muthumballe becha edre enehe.*
Rom. anech. Lips. et ed. pr. Hanno ..... (reliqua ut Rom.)

V. 38. *Vo .. Donni.*
Pr. domni.

V. 41. *Avo nonne* mihi hic.
Rom. *Avo nonni* mihi hic. Lips. et ed. pr. *avo.* nonne hic.

V. 42. *Meharbocca.*
Ita etiam Rom. Lips. *Me harboccha.* Sed ed. pr. *Me bar bocca.*

V. 46. *rufen nuco istam.*
Ita etiam Lips. et princ. Rom. *rufeen.*

Digitized by Google

V. 50. ***Muphursa.*** Ibid. ***Muiulechianna.***

(Pareus: Muuilechianna). Rom. Mivulec hianna. Lips. Mu uilechianua. Ed. princ. Moinlec hianna. Male Bellermannus editionis principis lectionem hanc facit *Miphulech ianna.*

V. 53. ***Laleh claheananam limnchot*** (sic!)

Rom. laech lachananim limini chot. Lips. Lalech lach ann mlin ii chot, ed. princ. lalech labcana ni liminicoht.

V. 56. Poen. ***Issam.*** Mil. ***Arbinam*** quidem.

Ita etiam Rom. et ed. princeps, nisi quod ed. pr. Isam. Lips. habet Issain.

V. 57. ***Palum erga dectha.***

Ita etiam editio princ. Rom. detha. Lips. Paluin erga decha.

V. 63. ***Muphonnium sucoraphim.***

Rom. muphonnium succorahim, sed Lips. Mu fonnium sucoraim, ed. pr. Muphonnium succoram.

V. 66. ***Gunebel balsameni erasan.***

Ita etiam Rom. sed Lips. balsamem. Ed. princ. balsamen. Palimpsest. Mediol. *gunebbalsamiml(i)rila*, corrupte pro .... *ierasan.*

Sc. 3, 22. 23: ***Haudones illi havon bene si illi in mustine Me ipsi et eneste dum et alamna cestinum.***

Ed. princ. haudones. illi havon Bene si illi in mustine me ipsi. et eneste. dum et alamna cestinum. Lips. haudonis illi havori benest illi immustine mi ipsi et eneste dum et alumne cestimum, quae omnia Giddenemae tribuuntur et sine interpunctione copulantur cum „quaestum corpore". Mediol. V. 22: *avamma(lli)* ..... V. 23: *m(i)psta.*

V. 33. ***Lachanam vos.***

Palatt. et princ. Lips. Lachanan.

§. 12.

Interpretatio decem versuum Punicorum

Act. V, sc. I, v. 1—10.

Apparatu critico hunc in modum disposito nostrae singulorum versuum expositioni pauca quaedam in universum disputata praemittimus. Ac *primum* quidem quae de codicum nostrorum corruptela sola coniectura vix ubique sananda diximus, non ita intelligi volo, quasi de plerisque certe versibus sententiisque probabiliter et restituendis et explicandis desperandum sit. Quanquam enim nonnulli versus (V. 2. 7. sc. 3, 22. 23), varias quidem ob caussas, ita comparati sunt, ut vulgatae scripturae neque medela neque explicatio probabilis inventa sit: tamen plerique levi passim mutatione adhibita vocibusque recte dispositis Punici sermonis exemplum nobis praebent, quod tum linguae Hebraeae ope intelligi atque cum ipsius Plauti latina interpretatione conciliari potest, tum linguae Semiticae habitum coloremque prae se

Digitized by Google

fert, tum denique, quod maximi quidem momenti est, cum linguae Punicae natura et virtutibus aliunde cognitis prorsus convenit *), qua ipsa re vel minima significatio suspicionis ab Adelungio olim motae **) tollitur. Quae si explorata sunt, non multum attinet quaerere, unde hanc Punicae linguae cognitionem hauserit Plautus, cuius rei non una caussa cogitari potest. Poterat is (quod ipsum complures suspicati sunt) in Africa stipendia meruisse vel alia quacunque de caussa aliquantisper vitam degisse: sed poterat etiam in ipsa urbe Punice didicisse, ubi eius, id est belli Punici secundi, aetate permultos fuisse Punice doctos quum per temporum rationes satis credibile et aliunde notum est (Plin. XVIII, 5) tum id ipsum arguit, quod Plautus homines Punice loquentes in scenam ducere non dubitavit.

2. Eximium quoddam interpretationis subsidium temere a nonnullis spretum, ad quod ceu ad lapidem Lydium omnis Punici sermonis explicatio exigi potest, habemus in ipsius Plauti interpretatione metrica „deos deasque veneror rel.“ quam genuinam, certe Plauti aetate factam esse, agnoverunt omnes fabulae interpretes, unus quod sciam Bellermannus nuper in dubium vocavit (I p. 19), versusque illos et a Plauto profectos esse et Punicorum sententiam recte reddere negavit, argumentis usus ad persuadendum minime idoneis. Nam quod Punici sermonis sententiam latinis versibus liberius quam accuratius redditam esse observat, id ut facile concedimus ita Plautinae origini favet magis quam adversatur, quum talem interpretationem, quae

*) In *pronunciandis* vocalibus Plautus pro ô (ו) plerumque ponit û, ut *alonuth* עלונות, *bynuthii* בנותי, *liful* לפעול, *lu* לו, *rufen* רפאין, *gun nebel* גאון נבל, quae linguae proprietas etiam aliunde nota est v. c. *sufes* שופם, *salûs* שלוש tres, *rûs* ראש caput, *alsun* לשון lingua; Schwa mobilis instar sequentis vocalis pronunciati exempla habes in *gubulim* גבולים, *muphursa*, *Muthumballes*, ut alibi in *Iugurtha*, *Subur*, *Tubur*, *Inibal*, *Malaca* al:ɔ r litterae eiectae in *Liphocanet* pro *liphorcanet* l. lipharcanat, ut in *atzikurur* pro חציר קרור. Idem de ipso vocabulorum usu earumque forma dicendum. Dii appellantur *alonim* (עלונים) sc. 1. V. 1. 3, ut in n. pr. *Abdalonim* עבדעלונים; *locus*, *urbs* est *macom* V. 1, ut in nominibus propriis *Macuma*, מקם שמש; deus coeli *Balsamen* 2, 66 ut apud Philonem Byblium; relativum (nota genit.) *si*, *sa* (V. 1. 8), ut constanter in monumentis (pag. 356): *ego* est *anech* 2, 35, ut אנך in titulis Citiensibus, *bod* בד = עבד servus V. 10 cf. Bodostor, בדעשתר; salutandi formula *Avo donni* 2, 38 congruit cum *Αὔδουσις* Meleagri.

**) Mithridates I, p. 348 de scenae secundae Punicis loquens: „*einige einzelne für Punisch ausgegebene Brocken.*“ pag. 350: „*Ich unterdrücke den Gedanken, dass in einem solchen Dichtwerke, wo alles, folglich auch das Gebet des Hanno, Dichtung ist, wohl auch die Sprache erdichtet seyn könnte, welcher Gedanke sich so natürlich (?) darbietet, und dadurch Nahrung erhält, dass der Name Antidamas in des Plautus eigener Uebersetzung in dem punischen Texte nicht angetroffen wird.*“ [Sed vide modo Vers. 5 Antidamaschon]. Pag. 356 de Libycis versibus: „*Indessen wird der Verdacht einer Erdichtung hier noch stärker: worauf besonders die vielen, fast möchte ich sagen, sinnlos angebrachten Lateinischen Wörter führen.*“ Cf. quae bene respondit Bellermannus I, p. 43—45. Non minus inconsiderate iactata, ut multa in libro isto iuvenili, sunt haec *Wahlii* (Gesch. der morgenl. Sprachen p. 452): „*Plaut's Poenulus nur enthält, wie jeder Kenner gestehen wird (?!), kein ächtes punisches Ueberbleibsel.*“

Digitized by Google

Punica totidem verbis exprimat, ab umbratico homine exspectes, ab ipso poëta Comico exspectare non possis: Punica autem male intellecta et male reddita esse, vir doctissimus non magis probavit, quam latinum horum versuum sermonem a Plautini sermonis indole alienum esse: ne de metro dicam, quod ipsum legitimum et Plautinum est, Bellermannus vero ne verbo quidem attigit.

3. Quod a Clerico iam animadversum esse supra vidimus, singulos versus more Arabum aliarumque Semitarum duobus constare hemistichiis, quae in homoeoteleuta exeant, id nobis eo videtur verosimilius, quo certius simile homoeoteleutorum specimen etiam alibi in monumentis Punico-Libycis exstare vidimus (vide ad inscr. Tugg. p. 191). In multis enim versibus ipsa codicum lectio homoeoteleuta offert (V. 1. alonuth — syth. V. 3. bynuthii (ben achi) — bynuthii. V. 9. gubulim — thym. V. 10. ym — sim), in reliquis eadem levi mutatione facta vel alias ob caussas necessaria (V. 4. syllohom — — thohom pro — thoho) versibusve paullo aliter divisis (Vers. 8) facile restituuntur, modo memor sis etiam aliorum poëtarum ea in re magnam quandam licentiam esse *).

His ita disputatis Punica primum emendatius Latine scripta, dein Hebraicis litteris transscripta et ad verbum Latine expressa exhibemus, mox brevi commentario illustranda.

1	*Yth alonim valonuth*	*siccarthi simacom syth*
2	*Chym lacchu yth tummy*	*'sthyal mytthibariim ischi*
3	*Liphocaneth yth byn achi*	*iadidi ubynuthii*
4	*Birua rob syllohom*	*alonim ubymysyrthohom*
5	*Bythlym moth ynn*	*ochoth li velech Antidamaschon*
6	*Ys sid dobrim thyfel-*	*yth chylys choa them liful*
7	*Yth binu ys*	*dibburt hinn ocutnu Agorastocles*
8.	*Yth emanethi hy chyr saely*	*choc syth naso: Bynni*
9.	*Id chi llu hily gubulim*	*lasibit thym*
10.	*Body aly thera ynnynnu ysl ym*	*moncor lu sim.*

1	את עלינים ועלינות	זכרתי שמקום זאת
2	כי אם לקחון את תֻּמַי	ישתאל מדבריהם חשקי
3	לפרקנת את בן אחי	ידידי ובנותי
4	ברוח רב שלהם	עלינים ובמשרתהם
5	בטרם מות הן	אחות לי ולך אנתידמסכון
6	איש זד דברים תפל-	ות חליץ כח חם לפעל
7	את בנו יש	דבורת חנה אחותנו אגרסטקלס
8.	את אמנתי היא כיר שאלי	חק זאת נשוא : ביננו

*) Vide Anecdota Orientalia fasc. I p. 8 sqq.

Digitized by Google

9 עד כי לו אלה גבולים לשבת תם
10 עבדי עלי תרע הננו אשאל אם מנכר לו שם

i. e.

1 Superos Superasque celebro huius loci,
2 ut, ubi abstulerunt prosperitatem meam, impleatur iussu eorum desiderium meum
3 servandi filium fratris mei e manu praedonum et filias meas
4 virtute magna, quae diis (est) et imperio eorum.
5 Ante mortem *ecce* amicitia (erat) mihi tecum, o Antidama:
6 (qui erat) vir contemnens loquentes fatua, strenuus robore, integer in agendo:
7 Filium eius est fama hic (esse) cognatum nostrum Agorastoclem:
8 Foedus meum (i. e. tesseram foederis), imaginem numinis mei, pro more fero, indicavit
9 testis, quod hae regiones ei (sunt) ad habitandum ibi.
10 Servi ad ianuam: ecce hunc interrogabo, num cognitum ei sit nomen.

Ipsius Plauti translatio liberior et metrica haec est:

1 Deos deasque veneror, qui hanc urbem colunt,
2 ut, quod de mea re huc veni, rite venerim.
3 Measque hic *) ut gnatas, et mei fratris filium
4 reperire me siritis: di vostram fidem!
5 quae mihi surruptae **) sunt, et fratris filium;
6 Sed hic mihi antehac hospes Antidamas fuit.
7 Eum fecisse aiunt, sibi quod faciundum fuit.
8 Eius filium hic esse praedicant Agorastoclem:
9 Deum hospitalem ac tesseram mecum fero:
10 in hisce habitare monstratu 'st regionibus.
11 Hos percunctabor ***), qui huc egrediuntur foras.

V. 1. *Yth alonim valonuth*) Pro *yth* in veteribus libris scriptum etiam fuisse videtur *hyth*, unde natum *nyth* ed. pr. et *syth* in Lipsiensi. Illud recepit Bochartus, *nyth* scribens נא אות, invita huius particulae syntaxi. „*Alon* linguâ Punicâ esse deum" Sisenna Scholiasta ad h. l. notavit: paullo contractior haec forma est (עלון, עָלוֹן) pro עֵלִיוֹן,

*) Ita Rom. et Heidelb.
**) Ita Rom., reliqui surreptae.
***) Ita omnes libri mss. pro vulg. percontabor.

Digitized by Google

quam habes etiam in n. pr. Abdalonimus עבדעלונים (servus Superorum): *alonûth* ex vulgari Poenorum pronunciatione pro —ôth. — *siccarthi simacom syth*) Nihil certius est duabus postremis vocibus זאת שמקום, ut dudum viderunt Petitus, Verbruggius al. quorum auctoritatem deserere non debebant Bochartus, Bellermannus. מקום autem h. l. de oppido s. urbe dicitur, ut supra in numo Numid. מקם שמש urbs solis (p. 317). Cum feminino hoc nomen copulatur, ut Gen. 18, 24. Iob. 20, 9. Tertium a fine vocabulum, quod in codd. est *sicorathi* olim legendum putavi שְׁקֹראתי, sed relativum h. l. vix locum habere possit: malo igitur cum Bellermanno *siccarthi*, cui favet etiam *succurrathi* in Liby-Phoeniciis V. 11. זְכֹר, quod in Hebraismo inusitatum est, vix diversum censendum est ab הזכיר *laudavit*, *celebravit*. Bocharti שכורת ex ש et כורת = *χώρα regio* ferri non potest, quum vocabulorum graecorum in linguam Punicam receptorum certa exempla desint.

V. 2. Locus omnium difficillimus, in quo neque superiores interpretes mihi satisfecerunt, neque ipse mihi satisfacio. Bocharti et Bellermanni interpretationes supra dedimus, Petiti, Sappuhni, Robiani vix dignae sunt, quae repetantur. Quod vero O. G. Tychsenius ita transscribit: כִּי מְלָחוּנִי תָּמִים יִשְׁתַּלְּמוּ דְּבָרִי עִם יִשְׁעִי „quum vectarint me incolumem, ut exsequantur rem meam in salutem meam", in eo non potest non error latere, quum neque radix מלח exstet, neque ulla huic similis vectandi significatum habeat. Mihi duae hunc versum transscribendi rationes tentari posse videntur. Una (Bochartianae similis): *Chy mlachai ythmu mystlya mytthebariim ischi* כִּי מְלָאכַי יִתְּמוּ מצליח מדבריהם חשקי ut negotia mea compleantur, et prosperans (sim) iussu eorum desiderium meum: altera, quam supra dedi: *Chym lacchun ythummy, 'sthyal mytthebariim ischi* כי אם לָקְחוּן את חֻמִּי ישתאל מדבריהם חשקי *ut*, *ubi abstulerunt salutem meam*, *impleatur iussu eorum desiderium meum* (אם part. temporis (Lex. man. no. 4), תם incolumitas, prosperitas, salus i. q. שָׁלוֹם Iob. 21, 23. Ps. 41, 13, *abstulerunt salutem* pro pass. ablata est salus, ut saepe in V. T., quanquam verbum plurale etiam ad deos referri potest: *ysthyal* ישתאל significatione nostri: *erbeten werden*, precanti concedi). Magis placet haec ratio propter rhythmum in חֻמִּי, חִשְׁקִי, quanquam in hoc versu fortasse vulnera non sanabilia latent. Unum satis certum videtur, postremum vc. *ischi* esse חִשְׁקִי *desiderium*, *optatum meum*, non chald. עִסְקִי, multoque minus יִשְׁעִי (Tychsen), nam ש ubique latine est *s*, non *sch*.

V. 3. Tertio et quarto versui in Latinis tres respondent V. 3. 4. 5, ita ut postea Versus Punicus sextus Latino septimo respondeat, et ita porro. *Liphocaneth*) cum Bocharto scribo לפרקנת, quanquam retineri posse censeo vulgatam *liphocaneth*, sine r, quod Poeni in pronunciando subinde omisisse videntur, ut Angli in *horse*, *warm*, vide infra §. 23. *byn achi*) ita cum Bellermanno lego pro *binuthu*, *bynuthyy*, quod scripsisse videntur librarii, ut hoc vc. conveniret cum postremo huius versus: sed *u* vel *ii* ex parte ad sequens vocabulum pertinet, ut legatur: *iadedi u* (pro *i ad edin*). Hoc posterius esse possit יד עדי *manus praedae* (Boch.), sed deesset מן ad hanc sententiam necessarium, cui accedit, quod in Hebraismo עֲדִי ornatum, עַד prae-

Digitized by Google

dam significat. Cum Bellermanno igitur scribere malo *iadedi* ידידי dilectum meum, cf. syr. ܝܕܝܕܐ, in quo *a* primae syllabae itidem servatum est. Postremum *ubynuthii* respondet formae בְּנוֹתִי (non בְּנוֹתַי), ut עֵדֹתִי Ps. 132, 12, ut desinat hemistichium in *i*, ut *byn achi*. — Tychsenius integrum versum minus feliciter scribit: לְפֹה קָנוֹת אֶת־בֵּן אָחִי הַצָּד אֶת־בְּנוֹתַי „ad hîc recuperandum filium fratris mei surreptum cum gnatis meis" Ut enim reliqua mittamus, quo tandem iure הַצָּד *venans*, *qui venatur* h. l. passive reddatur *surreptus*, nemo facile dicat.

V. 4. Perbene ita iam Bochartus, praeter postremum vocabulum, quod hic במשורתהם scripserat „per providentiam suam, a שׁוּר providere", quod nusquam hoc significatu reperitur. Substitui igitur cum Tychsenio בְּמִשְׂרַתְהֶם *imperio eorum* (cf. מִשְׂרָה Jes. 9, 5. 6). Ferri etiam possit במשטרהם imperio s. gubernatione eorum, a מִשְׁטָר Iob. 38, 33, sive *mysytrohom* legere placeat, sive cum vulgata *mysyrtohom*, litteris traiectis. In *syllohom alonim* שלהם עלינים *iis* (sc.) *diis* notus inest pleonasmus, in lingua Aethiopica longe frequentissimus, v. Lehrgeb. §. 195, 2. de Sacy gramm. arabe II, §. 637 ed. 2. Cf. infra sc. 2 vers. 63. Exeunte versu cum Bocharto reposui — *hom* pro *ho*, flagitante et sententia et, quod accedit, rhythmo.

V. 5. *Bythlym moth*) בטרם מות Boch. Bellerm., fortasse etiam בטרום מותו cf. טְרוֹם = טֶרֶם Ruth 3, 14 Chethibh, et ita ut suffixum in מותו coaluerit cum sequenti vocali. Reliqua, quae iidem dederunt: חנות אותי הלך א׳ *diversari apud me solebat Antidamas*, mihi bene Hebraea non esse videntur. Itaque litteras in codicibus traditas *ynmoctothuulech* ita repono: *ynn ochoth liulech* (LIULECH pro UULECH) vel cum ed. pr. ..... *velech* i. e. הִנֵּה אחות לי ולך *ecce fraternitas mihi et tibi*. *ynn* est הֵן vel הִנֵּה, cf. *ynnynnu* הִנֶּנּוּ V. 10: *ochôt* autem idem esse videtur quod ܐܚܘܬܐ fraternitas, hebraice אַחְוָה Zach. 11, 14. Potest etiam servata vulgari scriptura *octoth* conferri arab. عَقْدٌ, عَقَدٌ *foedus*, *pactum*, a rad. עקד ligavit, in Hebraismo quoque usitata (Gen. 30, 35 sqq. 31, 8 sqq.).

V. 6. In hoc versu interpretando procul a vero abesse videntur Bochartus et Bellermannus (cui consentit Muenterus, Religion der Carthag. p. 132), quorum uterque turgidam mortis descriptionem verbis Punicis contineri putat, in quam sententiam vulgo etiam verba latina „eum fecisse aiunt sibi quod faciundum fuit" interpretantur. Mihi hoc versu viri defuncti probitas, integritas atque in agendo strenuitas describi videtur, quam sententiam praebet codd. Palatinorum scriptura unica littera (*choa* pro *chon*) mutata. דברים תפלות *loquentes insipida* s. *fatua adeoque impia* sunt *homines insipidi stulti*, *impii*, דֹּבְרֵי כָזָב Ps. 5, 7. 58, 4. דֹּבְרֵי שֶׁקֶר Ps. 63, 12; et contra דֹּבֵר אֱמֶת Ps. 15, 2, דֹּבֵר מֵישָׁרִים Jes. 33, 15, דֹּבֵר תָּמִים Am. 5, 10. — *chylys choa*) prius vocabulum esse חלוץ (imo חליץ), iam Verbruggius vidit, idem *liphul* recte scribit לפעל. — De rhythmo ita statuendum videtur, in tyfel-yth alteram partem ad secundum hemistichium relatam esse, qua licentia in Arabicis nihil frequentius est.

V. 7. In Bocharti huius versus analysi plura sunt, quae displiceant. Ac primum אמיץ דִּבּוּר esset quidem *strenuus sermone*, at minime *fama constans:* dein

Digitized by Google

נקום נוד *capere habitationem*, inde *sedem figere* locutio est facticia ex linguae usu non probanda, quod etiam Bellermanno opponendum est, qui versum ita scribit: את בן אמיץ דִּבְּרוּ חם נקום נוד א' *filium* (illius viri) *strenui dicunt hic fixisse sedem*, cui accedit quod chald. חם est *ibi*, non *hic*. Mihi satis certum videtur, *ysdibur* esse יֵשׁ דִּבּוּר *est sermo*, s. *fama*, unde colligo pro *uthbynim* legendum esse *ythbynu* את בנו *filium eius*. In *thinn* latere potest הֵנָּה *hic*, t littera fortasse iungenda cum *dibbur* (dibburt): in *ocuthnu* אחותנו pr. fraternitas, cognatio nostra, pro concreto frater, cognatus noster (ut angl. a relation of mine). Quae tamen postrema minus certa videntur.

V. 8. *Ythemanethi*, quod Bochartus et Bellermannus reddunt חותם חנותי *sigillum habitationis meae* fidenter scribo *yth emanethi* אֶת אֲמָנָתִי i. e. *foedus meum* (cf. אֲמָנָה Neh. 10, 1), quod h. l. ponitur pro *signo* s. tessera *foederis*, ut in V. T. בְּרִית Gen. 17, 10. 13 dictum est pro אוֹת בְּרִית ibid. Vers. 11. — *hy chir saely*) Boch. הוא כיור שאלי, malim eadem sententia היא כיר שאלי. כיר est pictura, tabula cui aliquid insculptum est i. q. talmud. כִּיוּר, a כִּיֵּר figuravit, pinxit, v. Buxtorf. Lex. chald. p. 1025. 1033. — *choc sith naso*) *choc* (חק) pro *chot* iam Petitus et Bochartus emendarunt, qui tamen חק praecedentibus iunxerunt, *insculpti* significatu, et reliqua legunt זאת נוֹשֵׂא *hoc fero*. Malim חק h. l. morem, consuetudinem significare (Iud. 11, 39), ut sententia sit: *mos* (est) *hoc ferre*. Ad sententiam cf. sc. 2, 88: tesseram Conferre si vis hospitalem, eccam attuli. et 92: haec mihi hospitalis tessera cum illo fuit. *Bynni* (hebr. בִּינֵנִי), quod codd. ad sequentem versum referunt, quocum sane construendum est, huc traxi propter rhythmum.

V. 9. Nihil certius hoc versu, ut bene intellexit Bochartus. In pronunciatione Punica autem plura sunt notatu digna. Ac primum *chil lu* כי לו, qua in re Poeni eandem pronunciandi rationem secuti videntur atque Hebraei in מַה־זֶּה, אֲכַלְתָּ שָׁם Deut. 27, 7, קוּמוּ צְאוּ Gen. 19, 14, Arabes in vulgari sermone v. c. كلش لك kultullak (Caussin p. 56), Itali in *della* pro de la, *alla* pro a la, *sullo* pro su lo, cf. Lehrgeb. p. 85. Dein *gubulim* dixerunt pro גְּבוּלִים ex eadem lege, qua LXX שְׁלֹמֹה scribunt Σολόμων, Σοδόμ (Lehrgeb. p. 69), qua de re vide, quae infra §. 32 copiosius disputata sunt. תם (שם) a Poenis *thym* pronunciatum esse vel rhythmus docet (thym, gubulim).

V. 10. Posteriorem huius versus partem bene interpretatus est Bochartus, priorem, in qua infelix eius conatus, nil fere dubitans ita interpretor: עבדי(ם) עלי תרע חֲנָנוּ. In *Body* vel *Bodi* latere עבדים, docet usitata in vc. עָבַד aphaeresis litterae ע, in בדאשמן, בדמלקרת (v. cap. 2), בד autem subinde *bod* pronunciatum esse, docet n. pr. *Bodostor* pro בד עשתרת (servus Astartes). *Body* pro *Bodim* videtur forma decurtata esse, ut in Hebraeis ־י pro ־ים v. Lehrgeb. p. 524. Ewald gr. min. ed. sec. p. 225. Sequitur dein pronomen singulare: הננו אשאל *ecce eum interrogabo:* sed hoc nihil refert, unum enim e pluribus compellare vult Hanno. Singularem cum suffixo (body = עבדי) sententia non fert. — *moncor*) ita pro *moncot* iam Bochartus coniecit: potest enim מנכר (מָנְכָר) part Hoph. esse non contractum pro מֻכָּר. Minus placet

Digitized by Google

מגיד (indicatum) apud Bellermannum; quanquam in eo t servatum est. — Ad sententiam cf. sc. 2, 82: Antidamae filium, Quaero. commonstra, si novisti, Agorastoclem. Ecquem adolescentem tu hic novisti Agorastoclem?

§. 13.

De versibus Liby-Phoenicis.

sc. I. v. 11—16.

De his vocibus primus veram sententiam dixit Bochartus, cuius verba integra adscribimus: „Vir amplissimus D. D. Sarrau monuit me per litteras virum maximi nominis de Punicis versibus qui habentur initio Actus quinti sic statuere. Bis in iis id ipsum Punice poni ex duplici scriptura, quod statim Latine subiicitur. Ego re perpensa accuratius, sentio e sedecim versibus decem priores esse Punicos, sex posteriores Libycos, in utrisque haberi quae in Latinis undecim, quibus scenam Poëta claudit. Punice nimirum et Libyce loquens Hanno Poenus inducitur, quia utrumque idioma Poenis erat in usu" (geogr. sacra II, c. 6. p. 720). Cf. supra pag. 12 not. ***). Et postquam decem versus Punicos explicavit: „Iam in iis quae sequuntur sex versibus longioribus eadem quae supra repeti multa suadent. 1. Initium simile. Nam e Punicis Nyth alonim valonuth sicorath cet. haec proxime recedunt Exanolim volanus siccuratim etc. 2. Quod Antidamaschi et Agorastoclis s. Aristoclis nomina utrobique leguntur in paribus prope intervallis. 3. Quod decem versuum quos explicavimus ultimus palam claudit orationem: *venit aliquis per has fores* (imo: servi sunt ad portam) *ecce illum rogabo numquid* (Agorastoclis) *nomen noverit.* Si quid addidisset Hanno, illi perlisset occasio hominem conveniendi. Itaque sequentes versus nil novum exhibent. Tantum diversa lingua idem repetitur. 4. Eodem facit quod Plautus in Latina versione solum hos decem versus exponit, ut ex collatione probavimus, etiam aliquos expositurus, si quid aliud in iis haberetur. Tamen cum hi versus a praecedentibus distent immensum quantum, illos non scripturâ tantum, sed et totâ dialecto differre puto, atque id ipsum Libyce efferre quod Punice decem priores. Ut oleum et operam perdant quotquot hos versus ex Hebraea lingua conantur interpretari. Hebraismi certe vestigium in iis nullum agnosco, nisi quod prima verba *anolim valonus* videntur esse corrupta ex Punicis *alonim valonuth*. Sed haec sunt deorum nomina, quae Poeni facile potuerunt in Libycam linguam transfundere (ibid. p. 726)." Ei subscripserunt *Walton* in prolegg. ad bibl. polygl. no. 17. *Grotius* epist. ad Gallos pag. 116. *Salmas.* ad Solin. 1, 18. *Adelung* Mithridates I, pag. 335 et ex locorum Punicorum interpretibus *Clericus, Verbruggius, Sappuhnus:* neglecta desertaque egregia hac observatione veteres errores renovarunt Bellermannus et Robianus. Qui quanquam vel ipso successu parum prospero, quo in his versibus ad analogiam Hebraicam revocandis usi sunt, causam suam defendi non posse docuerunt, nonnulla tamen argumenta addere placet, quibus Bocharti sententia egregie confirmatur. Etenim 1. in codicibus Palatinis inter V. 10 et 11 intercapedo est (p. 364), unde apparet, inde a V. 11 novam orationem ordiri. Quod praeterea in codice Romano in hac intercapedine comparet obscurissimum PHONUS. DU., quomodocunque illud sive supplebis et explicabis sive emendabis,

Digitized by Google

non potest non *Poenae* orationis *duplicem* quandam ἔκδοσιν significare. 2. In Palimpsesto Mediolanensi oratio Libyca non in *sex*, sed in *decem* versus digesta est, ut decem Punici versus totidem Libycis respondisse videantur. Qui quum Punicis breviores essent, in sex lineas dein contracti sunt. 3. Idem iste Mediolanensis Punicos versus plane omisisse et nonnisi Libycos habuisse videtur: quanquam in tanta Maianarum observationum brevitate ea de re nihil definiam, donec eximius hic liber denuo his in locis examinatus fuerit. 4. Quibusdam, ut Bellermanno (II, p. 44), non credibile imo absonum visum est, ea, quae modo Punico sermone dicta erant, dein Libyco, mox tertium Latino sermone repeti; cuius quidem rei idonea ratio cogitari potest. Videtur enim vel ipse poëta vel quicunque fabulam scenae rationibus accommodavit hoc canticum, in quo patrii sermonis usus aptissimus videbatur, duplici Africae dialecto dedisse, ut actores, prout huius illiusve peritiores essent, aut hos aut illos versus recitarent: si neutros bene pronunciare viderentur (quod sine aliqua linguae exercitatione fieri non poterat), latinis versibus uterentur. 5. Quae de Punicae et Libycae (rectius Libyphoeniciae) orationis consensu Bochartus observat, nunc post ea, quae de Libyphoenicia Tuggensis tituli parte disputavimus (lib. 2 no. 56), paullo accuratius definiri possunt. Nam hoc quoque Libyphoeniciae linguae specimine confirmari videtur, quod supra observavimus, eam linguam Punicae linguae vocabula et radices haud paucas, licet vario modo corruptas, recepisse: qua de re certius etiam et accuratius iudicare possemus, si Mediolanensis codicis scriptura magis integra superesset. Vel sic tamen multo plura, quam Bochartus vidit, in sermone Libyco sunt, quae cum Punicis congruant, ita ut Libycorum integrum fere tenorem sequi et monstrare possimus. Maxime conspicuus consensus, quem iam Bochartus observavit, est in Vers. 1 coll. Libyc. v. 11, praecipue in Mediolanensi:

Pun. *Yth alonim valonuth sicorathi si macom syth*

Libyc. { Mediol. *Yth alonim valoniuth sicorathi* isthym himahy *macom syth*
Rom. *Ex anolim volanus succurrathim* isti maltim *macum esse.*

Vers. 2. Pun. *Chym lacchun*

Libyc. { Mediol. Cym b.....
Rom. Con cubitum cet.

Vers. 4. ... *alonim* ...

Libyc. ... alonim (Mediol. v. 3).

Vers. 5. *li velech Antidamaschon*

Libyc. iec silic (lege: lec vilic) .... Atidmascon.

Vers. 6. *Ys sid dobrim thyfelyth*

Libyc. { Rom. alemin duber tefel
Mediol. al. mue duber tefet

Vers. 7. *Uth binim ys diburt hinn ocutnu Agorastocles*

Libyc. { Rom. at enim avos duber hent hy Acharistoclem
Mediol. altanim avos duberithem hna Acharistolem.

Digitized by Google

V. 8. 9 in Libycis contractiora esse videntur, sed vide possitne initium textus Libyci ita fere legi et intelligi:

Ette se anech naso oct eli helicos
את זה אנך נשא עקד אלי הֲלכות
hoc ego fero, foedus (signum foederis) secundum viam (morem).

Quidquid est, satis certus est utriusque concentus in V. 10, cuius textum Libycum ita disposuerim et ad etymon Phoenicium revocarim:

Aode anec lisor bode si ussul im nimco lu s(im).
יורע אנך לשער בדי שאשאל אם מנכו לו שם
videns ego ad portam servos, quos interrogabo, num notum ei nomen.

Ex hoc maxime versu apparet, Liby-Phoeniciis multa inesse Phoenicia, sed varie corrupta, maxime decurtata, v. c. *nimco* (fort. minco) pro *moncor*, *lus* pro *lu sim* al. ut in Tuggensi מפע pro מפעל, מי pro אמי, עש pro כעש. Ceterum *lisor* (לשער) ex Mediolanensi recepi pro vulgato *lictor* (לחער).

§. 14.

Sententiae Punicae in Act. V sc. 2 explicantur.

Quas secundae scenae Plautus passim inspersit locutiones Punicas, eae carent quidem genuina ipsius poëtae interpretatione, et raro tantum ex antecedentibus sequentibusve earum significatio colligi potest, velut V. 35 (cf. V. 36). V. 46 (cf. 45); attamen in ioculari facetaque Milphionis explicatione egregium textus Punici constituendi subsidium habemus, ut, quum de scriptura certius constet, adiecta interpretatione minus aegre careamus. Quum enim vis comica totius scenae in eo cernatur, quod Milphio scurrili quodam modo Agorastocli Punica ita interpretatur, quasi huius linguae soni Latinae similes sint: ex nugatoria hac Milphionis interpretatione, quae sono ubique cum Punicis convenire debet, lectionis varietas in Punicis egregie iudicari potest. Ut nostram Punicorum analysin lectoribus ante oculos ponamus, integrum diverbium inde ab eo loco, ubi Hanno Punice loqui incipit, adscribemus, Punica autem hebraice transscripta et latine versa in notis illustrabimus. De scripturae varietate in his notis diiudicanda redeundum ad §. 11, superiores autem huius scenae interpretes laudavimus pag. 360. Quorum facile praestantissimus est Bellermannus, in una tamen re vix probandus, quod Milphionem linguae Punicae fere imperitum cogitat, et perversas eius interpretationes non scurrili eius petulantiae, sed ignorantiae tribuit. Eandem Salmasii sententiam fuisse video (ad Vers. 54).

Mil. vin' appellem hunc Punice? 30
Ag. An scis? Mil. nullus est me hodie Poenus Punior.
Ag. Adi atque appella, quid velit, quid venerit,
Qui sit, quoiatis, unde sit: ne parseris.

Digitized by Google

Mil. *Avo* / חוו / Salvete ! quoiates estis? aut quo ex oppido?

Han. *Hanno Muthumballe bechaedre anech.* / חנון מתובעל בקרתא אנך / Hanno Muthumbalis ex Carthagine ego

Ag. Quid ait? Mil. Hannonem sese ait Carthagine,
Carthaginiensem Muthumbalis filium.

Han. *Vo* / Salve / חוו ! Mil. salutat. Han. *donni* / אדני / mi domine ! Mil. *doni* volt tibi
Dare hinc nescio quid? audiñ. pollicerier?

Ag. Saluta hunc rursus Punice verbis meis.

Mil. *Avo donni* / חוו אדני / salve domine, hic mihi tibi inquit verbis suis.

Han. *Mi bar bocca?* / מי בר בקי / Quo ex oppido es? Mi. istuc tibi sit potius, quam mihi!

Ag. Quid ait? Mil. *miseram* esse praedicat *buccam* sibi.
Fortasse medicos nos esse arbitrarier.

Ag. Si ita est, nega esse: nolo ego errare hospitem.

Mil. Audi tu, *rufen nu lo, is tam!* / רפאין אנו לא איש תם / medici nos non (sumus), vir bone! Ag. sic volo,
Profecto vera cuncta huic expedirier.
Roga, numquid opus sit. Mil. tu, qui zonam non habes,
Quid in hanc venistis urbem, aut quid quaeritis?

Han. *Muphursa.* / מפרשה / Explicationem. Ag. Quid ait? Han. *Mure lech ianna.* / מורה לך יענה / Doctor tibi explicabit. Ag. quid venit?

Digitized by Google

Mil. Non audis? *mures* Afr*icanos* praedicat
in pompam ludis dare se velle aedilibus.

Han. *Laech lachananim li menuchot.* } Ag. Quid nunc ait?
לך לחננים לי מנוחות
Abi ad (deos) misericordes, mihi quies sit.

Mil. *Ligulas*, *canalis* ait se advexisse et *nuces:*
Nunc orat, operam ut des sibi, ut ea veneant.

Ag. Mercator credo est. Han. *Is amar hinam* } Ag. quid est?
איש אמר חנם
Vir loquitur frustra.

Han. *Palu me rega datham* } Ag. Milphio, quid nunc ait?
פלוא מה רקה דעתם
Mirum, quam inanis cognitio eorum.

Mil. *Palas* vendundas sibi ait, et *mergas datas,*
Ut hortum fodiat: atque ut frumentum metat.
Ad messim credo missus hic quidem tuam.

Ag. Quid istuc ad me? Mil. certiorem te esse volui,
Ne quid clam furtive accepisse censeas.

Han. *Muphonnium sucorahim* } Mil. heu! cave si feceris,
מפניהם שקרתהם
Removebo mendacia eorum.
Quod hic te orat. Ag. Quid ait, aut quid orat? expedi.

Mil. *sub cratim* uti iubeas sese *supponi*, atque eo
Lapides *imponi* multos, ut sese neces.

Han. *Gunebel balsamen ierasan!* } Ag. narra, quid est?
גאון נבל בעל שמים ירסן
Petulantiam scurrae deus coelorum capistret!
Quid ait? Mil. non hercle nunc quidem quicquam scio.

Han. At ut scias nunc, dehinc Latine iam loquar.
Servom hercle te esse oportet et nequam et malum,
Hominem peregrinum advenam qui irrideas.

V. 34. *Avo*) in hac salutandi formula latere imperativum verbi חוה *vixit*, iam Petitus vidit, quem reliqui deinceps secuti sunt. Haereo tamen in forma, quum

Digitized by Google

imperativi singularis numerus sit חֲוֵה vel חֲוֵא, per apocopen forte חו, unde *avo* non bene repetas. Credibile igitur est, *avo* esse pluralem *salvete*, ut ipsum chald. חֲוֹו, singularem חו vero in illo *Αὔδονις*, de quo mox ad vers. 41. Opponi possit, Vers. 41 locutione *avo donni* a Milphione unum Hannonem compellari: quo tamen illud non refellitur, quum etiam אֲדֹנָי proprie plurale sit (v. Thes. ling. hebr. p. 329), et contra apud Hebraeos et Francogallos forma אֲדֹנִי et *Monsieur* utantur, etiam si plures aliquem alloquuntur.

V. 35. *Hanno Muthumballe*) Muthumbal, quod scribo מתובעל (vir Baalis coll. Metuastartus מתועשתרת vir Astartes), est n. pr. Punicum etiam alibi obvium, v. numum Carthag. Romanae tab. 16 H. l. expectes *Hanno ben Muthumbal*, et fortasse ita olim scriptum erat, quod postea litteris traiectis depravatum est in Muthumbalben, ..lbe, ..lle: nisi forte Plautus *filii* vocabulum omitti posse putabat, ut apud Romanos et Graecos. — *bechaedre anech*) Paene recepta multorum scriptorum opinio est, *chaedre anech* esse quandam Carthaginis denominationem, Punice sive חדרי ענק *conclavia Enaci* sive חצרי ענק *villae Enaci* scribendam (Boch. l. c. p. 347. 725). Mihi *anech* esse videtur i. q. אנך *ego*, quo vix carere poterat illa sententia, *chaedre*, fortasse *chaerde*, litteris, ut saepe in vulgari sermone, emollitis dictum existimo pro קרתה *carta* urbs, quod breviter dictum est pro קרת חדשת. Pro *bechaedre* (in Carthagine) fuerunt qui legere vellent *mechaedre* (e Carthagine), sed vulgatae favet Milphionis explicatio: Hannonem sese ait *Carthagine*. Ceterum nunc quidem Milphionem Punica recte explicasse equidem cum plurimis interpretibus censeo. Bellermannus vero etiam in hac locutione interpretanda Milphionem errasse censet, ipse verba Punica ita constituens: *Hanno muthim balle bechaedre anech* חַנְּנוּ מְתִים בְּעָלַי בְּחֶדְרִי אֲנֵחַ *sitis gratiosi, o viri domini mei, in intimo meo angor*, quod plures ob causas probare non possum. Tum enim ex vulgari scriptura haec verba Hebraea exsculpi vix possunt (*muthum* esse non potest מתים = mithim, חננו esset hannu), tum istae locutiones (v. c. מְתִים בְּעָלַי) linguae hebraeae indoli vix conveniunt, tum denique oratio ita supplex et submissa Hannonis moribus non accommodata est.

V. 38. *Vo*) Ita omnes codices h. l. ubi Hanno loquitur, quum contra Milphio V. 34 et V. 41 plenius dicat *Avo*. Ipse Poenus forma breviore et quasi negligentiore uti videtur. — *Donni*) Ita duplici *n* omnes codices h. l. et V. 41. Litteras enim subinde invito etymo geminabant sive Poeni sive Romani Punica scribendo imitantes (v. infra §. 28). Simplex *n* suadere possint *Αὔδονις* (de quo mox) et quod statim sequitur lat. *doni*, sed vel similis sonus sufficit. Ceterum verba Hannonis *Vo donni* proprie continuo pronuncianda Milphionis interlocutione interrupta sunt.

V. 41. *Avo donni*) in codd. Avo nonne, in solo Rom. *Avo nonni*, unde illud reponendum esse dudum viderunt editores. Iam Bochartus (p. 725) de hac salutandi formula laudavit Antipatris Sidonii epigramma ad Meleagrum Tyrium in Anthol. lib. 3, c. 25, epigr. 70:

ἀλλ' εἰ μὲν Σύρος ἐσσὶ Σαλομ, εἰ δ' οὖν σύγε Φοῖνιξ,
Αὔδονις, εἰ δ' Ἕλλην χαῖρε, τὸ δ' αὐτὸ φράσον.

Cf. ad Vers. 34.

Digitized by Google

V. 42 *Mi bar bocca?*) Ed. pr. me bar bocca, sed *mi* legendum esse suadent sequentia *miseram buccam*. Illud quomodo explicem, iam paucis dixi p. 321. Nimirum *bocca* mihi esse videtur aeg. בקי *urbs, oppidum* in linguam punicam receptum, quod etiam habetur in nomine pr. *Vacca* (vide l. c.), ut integra locutio valeat: quis filius urbis? ex quanam urbe oriundus es? Nimirum Hanno servum, quem Punice loquentem et interpretis partes agentem videt, de patria patriave urbe interrogat. Hic vero omnia in ridiculum vertens verba Punica hero ita interpretatur, quasi Hanno quaesiverit: *miserane bucca* tibi? num dentes dolent? — Ceterum alii haec aliter explicarunt. Petitus, Reinesius, Bellermannus: מָה בַּר בָּכָה *quam* (sum) *filius fletus!* i. e. o quam infelix sum et deflendus! non ita male, quanquam minus accommodate ad Poeni indolem, cuius nunc non est suspiria ducere, sed serio propositum persequi et de re sua percontari. Tychsenius infeliciter: מְבָרְכָךְ *salvere te iubeo* (quod et a litteris et a contextu plane alienum est) vel מַעֲבִר בָּךְ *transire ad te facio* i. e. reciproce. Sappuhnus coniicit: *mi sar bocca* מי זר בקקא *quis peregrinus sciscitans?* modo בקק esset idem quod בקש!

V. 46. *Rufen nu lo, is tam!*) Ita reposui pro *nuco*, quo facto illa sententia prodit, quam solam flagitat colloquii tenor et V. 45. Forma Rufen (coll. ربخ) iterum ad Syriasmum inclinat (vide supra ad *avo*): *is tam* respondet latino *vir bone!* — De aliorum huius versus interpretatione paene referre piget. Tychsenius: רפאים אינך איש תם nonne medicus, vir probus es? Sappuhn: rufen mi co islam, medicos, quis de illis interrogat? Bellermannus adeo *nuco istam* nihil significare et inanes sonos (abracadabra) esse comminiscitur, de singulari sua coniectura, qua Milphionem Punica ignorasse statuit.

V. 50. *Muphursa*) Petitus et Bellermannus scribunt מַפְרוּסָה (expansio, velum) idque *hospitium*, *domicilium* interpretantur, invitis et linguae rationibus et contextu. Mihi non dubium est, quin sit nomen abstractum a פרש *explicavit*, et significet *explicationem*, *dilucidationem*. Non enim domicilium quaerunt Poeni, sed in impeditissima causa lucem et illustrationem (Aufklärung). — *Mure lech ianna*) In *Muvi*, *Muvu* latere *Mure* ex Milphionis verbis, qui ex *mure lechianna mures* afr*icanos* exsculpsit, manifestum est, ut iam Bothius vidit. Sententia est: *doctor* iste i. e. servus ille quo interprete uteris *tibi respondebit*. Verbis parcius utens (cf. sc. 3 vers. 26) et Milphionis nugis ad impatientiam fere redactus Agorastoclem iterum quaerentem ad interpretem remittit: *ianne* pro יענה, duplici *n*, ut in *donni*, ubi vide. — Bellermannus in *Mivu* quaerit *Milphionis* nomen: Milphio tibi explicabit: sed unde hoc Hannoni cognitum erat? De muribus Africanis vide Lipsii Elect. 2, 4, contra Plin. H. N. 30, 6. Reliquorum interpretum inventa nullius pretii sunt, ut Tychsenii: מפעלי כנענה *ex exercentibus mercaturam!* Sappuhn: *mo in lec hianna*, *ex Cananaea* (?).

V. 51. *Laech lachanamim*, ut bene Vetus codex, esse imprecandi formulam, quae contractius repetitur sc. 3 vers. 33, recte viderunt Bellermannus et Tychsenius,

Digitized by Google

quorum ille interpretatur: לך לחננים *abi ad daemones*, coll. arab. جنّ daemon, hic לך לְגֵיהִנֹּם *abi ad Gehennam*, addita etiam alia infeliciore lectione: לך לכנענים abi ad mercatores! Sed neque arab. جن *) adhiberi potest, ortum illud ex lat. *genius*, neque גֵּיהִנֹּם, vocabulum haud dubie solis Iudaeis proprium. *Chananim* חננים misericordes videntur *dii* appellati, de quibus verbo חנן persaepe utuntur Poeni (חנבעל, חנמלקר, חנאאשמן, אשמנחן cet.): neque ineptum est, eum ad deorum misericordiam delegari, quem humana ope carere iubemus. — *li minuchot*) codd. *minichot*, sed *minuchot* legere iubet *nuces* Vers. 54, quod imitatur sonum *τοῦ nuchot*, sicut ex *laechla* Milphio effecit *ligulas*, ex *cananim* — canalis.

V. 56. *Is amar hinam*) Vulgatam *binam* secutus Tychsenius scribit איש אמר ונם *vir* (Milphio) *loquitur et dormit*, Bellermannus איש אמר בינם *vir* (Agorastocles) loquitur *prudenter*, ut בינם sit adverbium instar חִנָּם, רֵיקָם. Reposui *hinam* (חִנָּם), quod meliorem sententiam efficit, sed omnibus his explicationibus obstat, quod *amar* absolute positum est pro *locutus est*, id quod rarissimum et paene dubium.

V. 57. *Palu me rega datham*) Bellermannus vulgatam *dectha* secutus interpretatur: פַּלּוּ מֵעִיר גַּד עֲקוֹדָה *admiramini*, (vos) *ex urbe*, *casum varietatis* i. e. iocum festivum, eandem sequitur Tychsenius, ita scribens: בַּל אֹמֵר קָדַחְתָּ *nonne dixi*, *te febri laborare?* Utrumque vix Hebraeum. Praeterea pro *dectha* legendum videtur *datha*, ut respondeat latino: mergas *datas*, et fortasse sententia flagitante *datho* (דַּעְתֹּה) vel *datham* (דַּעְתָּם), ut integra sententia sit: פָּלוּא מָה רֵקָה דַּעְתָּם *mirum* (est), *quam inanis cognitio eorum* vel *cognitio eius* (datho), „*es ist doch merkwürdig, wie wenig sie verstehen (er versteht).*“ In singulis nihil difficultatis est, praeterquam in voce רקה, quae latine *rga* scripta est, ex singulari Poenorum pronunciandi ratione, qua ק et כ saepe mollius efferunt ut g, v. c. בקי Vacca et Vaga, vide pag. 321 et infra in gramm. §. 26.

V. 63. *Muphonnium sucorahim*) Prius vocabulum nil dubito quin מפניהם (hebr. מְפַנֵּיהֶם) scribendum sit, Part. Pi. coll. פִּנָּה removit, e medio sustulit (Zeph. 3, 15), inde remotis, quae temere disiecta erant, purgavit (aufräumen). Pro Schwa mobile Hebraeorum post praeformativam Poeni habent u, ut Arabes in مُقَبِّل, et eodem modo suffixum scripserunt هُم pro הֶם, quod quidem suffixum ante ipsum substantivum (removebo ea, mendacia eorum) redundat, ut in *syllohom alonim* sc. 1, 4. *Muphonnium* autem in ore Poenorum fere sonasse *m'phonnium*, *emphonnium*, ut in lingua arabica vulgari مقبّل *m'kabbel*, *emkabbel*, ex eo apparet, quod verbo *m'phonnium* infra respondet et *supponi* et *imponi*. — In *sucorahim* latere שֶׁקֶר *mendacium*, cum

*) Mirum quod *Muenterus* (Rel. der Karthager pag. 134) scribit: „חננים *das aus dem Hebräischen* (?), *Arabischen*, *Persischen*, *Türkischen bekannte Wort für böse Geister.*“ Nam in lingua hebraea hoc vocabulum *misericordes* significat, non *daemones*, in reliquis linguis daemon non חן appellatur, sed جنّ (גן).

Digitized by Google

suffixo הֶם, equidem nil dubito, quod quidem duplici modo cogitari potest: sive ut legatur *succrathim* (Heidelb. sucoraphim) et scribatur שִׁקְרַתְהֶם a fem. שִׁקְרָה = שֶׁקֶר, quae ratio commendatur verbis latinis *sub cratim*, quanquam ei repugnat suff. plurale in Muphonnium, quod nomen plurale poscere videtur: sive *succrahim* vel *succraim* = שִׁקְרֵיהֶם (cf. mytthybariim = מדבריהם) *mendacia eorum*.

V. 67. *Gunebel balsamen ierasan*) iam Petitus maximam partem ita scripsit, ut supra fecimus, consentiente Reinesio, Bellermanno al. idque paene indubitatum videtur. *Gunebel* vel uno *n* extruso est pro גְּאוֹן נָבָל, vel a nomine גְּאוּ, unde fem. גַּאֲוָה: utrumque h. l. ὕβριν significat, ut LXX reddunt hebr. גאון. Ad *Balsamen* cf. *Βεελσαμήν* ap. Sanchuniathonem v. ind. appellativorum litt. B. *ierasan* יְרַסֵּן est fut. Pi. a רסן رسن ligavit fune s. capistro: legitima mediae radicalis geminatio neglecta est, ut in *hily* אֵלֶּה 1, 9, Ithobal = אִתּוֹבַעַל. Facessat autem Tychsenius, qui ita Punica scribit et interpretatur: קֹנֵי הֶבֶל בַּל שָׁמַיִם יִירָשׁוּן *ementes vanitatem* (vaniloqui) *non coelum possidebunt*.

Tertia scena nonnisi duos locos Punicos continet, unum V. 33 *Lachanam vos*, de qua imprecandi formula iam 2, 53 dictum est, alterum Vers. 22. 23, ex quo equidem nihil efficio et propterea iudicare non possum, an recte Milphio Punica interpretatus fuerit, in quam sententiam inclinare possit, qui viderit, latinam interpretationem minime, ut plerumque, solos sonos verborum Punicorum captare et in ridiculum vertere. Postquam enim Giddeneme, mulier Carthaginensis, Hannonem pristinum herum agnovit atque gaudium de opportuno eius adventu significavit, servorum Punicorum unus mulierem popularem ita compellat:

Haudones illi havon bene si illi in mustine.

cui mulier respondet:

Me ipsi et eneste dum et alamna cestinum.

Tum Agorastocles:

Quid illi locuti sunt inter se? dic mihi.

Mil. Matrem salutat hic suam, haec autem hunc filium.

Bellermannus, qui Milphionis interpretationem ficticiam censet, haec ita solvit redditque:

חַן דּוֹנִי שֶׁאֵלִי חָנַן בָּנוֹת הָאֵלֶּה אֵין מוּת תִּנָּה
מִי אַפְסִי עוֹד הָאָנוֹשׁ תָּדוּם עַד עוֹלָם נָשִׂישׂ תָּמִים

Puer. pietate commotus est dominus meus, quod deus meus (ei) donavit has filias, non morti tradidit.

Gidd. Quis praeter me (beatus?). Lamentum silebit! in aeternum gaudebimus beati.

Quae magnam partem ita ferri non posse, neque eam habere significationem, quam ei tribuit B., mecum facile intelligent litterarum hebraicarum periti (vide prae ceteris מוֹת תִּנָּה morti tradidit, מִי אַפְסִי עוֹד cuius formulae Jes. 47, 8. 10. Zeph. 2, 15 longe diversus est usus, אנוש lamentum? תמים beati?): meliora tamen

Digitized by Google

neque ab alio quoquam in medium prolata video, neque mihi ipsi dare post omnes curas et cogitationes contigit. Haud scio igitur an ista Liby-Phoenicia potius, quam vere Punica sit, pariter atque sc. I, v. 11 — 16, de quorum interpretatione paene desperandum sit.

B. *VOCABULA PHOENICIA, QUAE APUD SCRIPTORES GRAECOS ET ROMANOS REPERIUNTUR.*

§. 15.

In vocabulis Phoèniciis Punicisque, quae sparsim apud veteres scriptores inveniuntur, recte agnoscendis et ad orthographiam etymonque semiticum referendis non exigua cernitur difficultas, imo tanta, ut non defuerint, qui propter harum vocum multitudinem, quae Phoeniciae nuncupantur a veteribus scriptoribus, ex Hebraea tamen lingua explicari nequeunt, illam ipsam, quam supra defendimus, de linguae Hebraeae et Phoeniciae consensu sententiam in dubium vocarent *). Verum enimvero licet etiam post Bocharti nostrasque curas nonnullae glossae supersint, quae neque ex lingua Hebraea neque ex cognatis linguis vindicari queant, earum tamen non ita magnus numerus est, neque est quod hoc ipsum magnopere miremur. Namque

a. pleraeque hae glossae inveniuntur apud scriptores, qui litterarum Phoeniciarum ipsi prorsus ignari **) has glossas cum earundem explicatione vel fando acceperant vel aliunde exscripserant, quo factum est, ut non possent non varii generis errores subrepere vel ex sinistra vocum interpretatione vel ex similium confusione orti. Sic in Etymologico Magno *Βηταγών* explicatur *Κρόνος*, quum potius sit *οἶκος Κρόνου* (בית דגון); ibid. *γάλωνες* explicatur praeter alia: *τὰ περιφράγματα*, quam explicationem ad *Γάδειρα* pertinere recte vidit Bochartus: et Iustinus (18, 3. 8) *Sidon* apud Phoenices *piscem* significare tradit, quum *piscatum* significet. Alia non magis vera ex mera coniectura petita sunt, velut hae Servii explicationes: *Byrsa* lingua Punica corium; *Dido* virago; *magar* villa (v. ad Magalia).

b. Alia huius generis vocabula vel iam a veteribus variis modis immutata sunt, ita ut non sine negotio agnoscantur (v. *Κόης* כֹּהֵן, *χουρμά* = חרמל), vel a librariis ita depravata, ut de medicina iis afferenda paene desperandum sit. Nonnunquam etiam explicatio a veteribus data in metaphorico quodam vocabuli usu nititur (v. *Αἶλα*, *ἀβάθ*).

c. Nonnulla, quae pro Punicis venditantur, etiam Libyca esse videntur, ita ut ex linguis Semiticis illustrari non possint (v. *Ζίγαρ*, *Ζευγίτις*).

2. Quod ad singulos scriptores attinet, in quibus hae glossae reperiuntur, horum plures sunt Graeci) Plutarchus, Athenaeus, Dioscorides, Philo Byblius, Josephus, Stephanus Byzantinus, Damascius, Hesychius, Etymologicon magnum), quam Latini (Quinctilianus, Servius, Priscianus, Appulejus, Augustinus, Hieronymus),

*) Vide Bocharti Canaan II, cap. 1 fin.

**) Id de omnibus dici potest praeter Appulejum et Augustinum Afros.

Digitized by Google

quam ipsam ob causam in sequente indice litterarum Graecarum, non Latinarum, ordinem secuti sumus. De duobus tantum, qui satis largam explicandi materiam nobis praebuerunt, paullo accuratius nobis dicendum est. Unus est *Dioscorides*, Neronis fere aequalis, in cuius opere *de materia medica* plerisque plantis synonyma Punica, Aegyptiaca, Romana, Gallica, Dacica, adscripta reperiuntur, quae in omnibus libris vetustis (sunt autem in hoc scriptore vetustissimi et optimae notae, vide Sprengelii praefat. ad Dioscorid. p. XVIII) obvia editio princeps Aldina sine ulla distinctione in textum recepit, Asulanus vero atque Marcellus Vergilius ad spuria amandarunt: adstipulante etiam Lambecio (de bibl. Vindob. lib. 2 pag. 593), qui potius Pamphilo cuidam grammatico a Galeno laudato haec synonyma tribuit, cui quidem plura opposuit Sprengelius l. c. pag. XVI. Quam quidem causam quum h. l. disputare longum sit, unum monuisse sufficiat, synonyma et Aegyptiaca et Punica ita comparata esse, ut cum Aegyptiacae et Punicae linguarum opibus aliunde cognitis bene conspirent, et, si modo vulnera a librariis inflicta ubique sanari possint, maximam partem ad originem in his linguis revocari posse: id quod in Aegyptiacis egregie praestitit *Ignatius Rossius* in *Etymologiis aegyptiis* (Romae 1808), in Punicis tentarunt Bochartus, ac Sprengelius ad Dioscoridem et in hist. rei herbariae T. I. p. 226—228. Quisquis igitur collegit ista synonyma; dubitari non potest, quin genuina sint, praesertim quum ipsos Afros rei herbariae operam dedisse aliunde constet (p. 345). Ceterum de forma horum nominum notandum est, in codicibus ea ita scripta esse, ut appareat, librarios ea scribendi et pronunciandi methodo usos esse, quae Itacismi nomine insignitur, ita ut *ἀστήρ,γοίδ*, *ἀσίῤῥισοι*, *βοιδήν*, *ἀχοιοσίμ* pronuncianda sint *astir*, *gid*, *asirrisi*, *bidin*, *achiosim* rel. Alter huius generis liber similia plantarum synonyma continens est Appuleji *Madaurensis Afri de herbis* s. *de nominibus* et *virtutibus herbarum* libellus inter Appuleji opera editus in Editionibus Basilensibus: separatim Tiguri 1537 cum commentario Hummelbergii, et 1788 editore Ackermanno, de cuius authentia non minor est doctorum hominum dissensio, quam de Dioscoridis nothis, v. I. Bosscha de scriptis Appuleii in Appuleii Oudendorpiani T. III p. 522—24 et Sprengel. hist. rei herbariae T. I p. 199, qui sanae criticae fines fere excedens seculi duodecimi vel tertii decimi monacho hunc librum tribuit. Huius enim libelli sermo quum ab Appuleii sermone et omnino a scriptorum Africanorum usu prope absit, plantarum etiam nomina Punica huius linguae indolem aliunde cognitam prae se ferant, equidem vel ipsi Appuleio Platonico eum tribuerim, vel, si forte superstitiosa huius libri indoles ab hominis Platonici ingenio abhorrere videatur, Appuleio Madaurensi Mago, cuius apud Augustinum non semel una cum Apollonio Thyaneo mentio est (v. epist. 102 §. 32. — 136. 137. 138), quemque in hac causa nemini in mentem venisse miror.

3. Vocabulis, quorum origo Phoenicia satis explorata est, praeter glossas mox recensendas etiam annumerari possunt: a) litterarum Hebraicarum nomina (אָלֶף, בֵּית, גִּמֶל cet.), quarum forma grammatica ab Hebraismo paullulum discrepans (אָלֶף pro אֶלֶף) nescio an Phoeniciae linguae tribuenda sit: b) rerum Phoeniciarum vel a

Digitized by Google

Phoenicibus acceptarum nomina graeca, velut קִנָּמוֹן *κιννάμωμον* Herod. 3, 111, אֵזוֹב *ὕσσωπος*, בּוּץ *βύσσος*, חֶלְבְּנָה *χαλβάνη*, כַּמּוֹן *κύμινον*, כֹּפֶר *κύπρος*, כְּתֹנֶת *χιτών*, לְבֹנָה *λιβανωτός*, נֵרְדְּ *νάρδος*, מָן *μάννα*, מֹר *μύῤῥα*, נְטֹפָה *νέτωπον*, נֶתֶר *νάτρον*, פּוּךְ *φῦκος*, קֶנֶה *κάννα*, קְצִיעָה *κασσία*, שִׁקְמָה *συκάμινος* — נֶבֶל *νάβλα*, כִּנּוֹר *κινύρα*, יָשְׁפֶה *ἰάσπις*, סַפִּיר *σάπφειρος* — cf. כַּד *κάδος*, *κάδδος*, מֶלֶם *μάλθη*, מָנֶה *μνᾶ*, עֵרָבוֹן *ἀῤῥαβών* al. quae omnia in indice nunc contexendo omisimus *).

§. 16.

Abaddir, *Abadir*, *Abdir*. Priscian. lib. 5 p. 647 Putsch. Abadir (Deus est. Dicitur et hoc nomine lapis ille, quem Saturnus dicitur devorasse pro Jove, quem Graeci *βαίτυλον* vocant). Verba uncis inclusa, etsi fortasse h. l. interpolata [v. Krehl p. 180], tamen veram Prisciani sententiam de Abaddir exprimunt. Lib. VI §. 45: Abaddir quoque vel Abaddier, ὁ *βαίτυλος*, declinatum non legi. Lib. II, c. 1: *Abaddir vel Abaddier*. Lib. VII §. 32: Quidam addunt, hic Abaddir ὁ *βαίτυλος*, huius Abaddiris ..... sed in usu hoc non invenitur. — Punicam vocis originem disertis verbis non memoravit Priscianus, memorat vero Augustinus, qui (epist. 17, olim 44) Poenos habere dicit *in sacerdotibus Eucaddires, et in numinibus Abaddires*. Vix dubitandum, quin sit אב אדיר *pater* (deus) *potens*, cf. אָב de diis gentilium Jer. 2, 27, et אֱלֹהִים אַדִּירִים 1 Sam. 4, 8 (Boch. p. 765), non אבן דיר lapis sphaericus, quod magis placet Bocharto (p. 708): nihil enim frigidius, quam lapidem, eumque talem in quo numen latere credebatur, lapidem appellare. De re vide s. v. *βαίτυλος*.

Ἀβάθ, *διδάσκαλος*, *Κύπριοι*. Hesych. Dudum viderunt interpretes, in eo latere hebraeum et chaldaeum אב *pater*, quod ad praeceptorem translatum sit, et maxime in blanda compellatione frequentatur, v. c. אָבִי 2 Reg. 2, 12. LXX ὦ *διδάσκαλε* cf. Matth. 23, 9. Act. 7, 2 et quae dedimus in thes. ling. hebr. T. I. p. 7. Sed nemo dixit, quid sibi vellet forma in *άθ*. Est autem ea vel feminini generis nota (§. 38), ut in aliis nominibus muneris (v. Lehrgeb. p. 478. 879. Knobel ad Eccl. 1, 1), vel legendum *Ἀβά*, ὁ *διδάσκαλος* (*O* pro *Θ*), quo posito *Ἀβά* esset ܐܒܐ, cui respondet ὁ *διδ*.

Ἀβαρταί, *πτηναί*, *Κύπριοι*. Hesych. Recte Hamak. p. 301 ducit ab אֶבְרָה ala, unde אברתי esset *alatus*.

Abelonii. Augustin. de haeresibus ad Quod vult Deum cap. 87: „Est quaedam haeresis rusticana in campo nostro, id est Hipponensi ..... Abelonii vocabantur Punica declinatione nominis.“ Mox addit eos de quorundam opinione ab Abele dictos esse, ceterum ascesi operam dedisse et a concubitu cum uxoribus abstinuisse. Bocharto (pag. 768) propterea nomen ductum videtur ab arab. ابل, de quo Giggejus [I pag. 15] تابِلُ عن امراته vir continuit se, ne cum uxore congrederetur, تابَلَ آدَمُ Adam ab Eva se abstinuit ob necem Abelis.“ Sed haec Giggeji, ut pleraque, ex Kamuso perperam deducta sunt, in quo (T. II. p. 1386) nihil est nisi ابل ... عن امراته امتنع عن غشيانها i. e. ابل sq. عن abstinuit a congressu cum muliere, quod pendet ex primaria lugendi significatione,

*) Cf. hist. ling. hebr. p. 66.

Digitized by Google

quae ad vitam asceticam refertur, unde ابيل asceta, monachus. Possint quidem ab hac ascesi nomen invenisse Abelonii: malim tamen id nominis ducere ab אב עליון *pater supremus*, ut אבעליונים sint qs. Hypsistarii (p. 135).

Ἀβιβλαβόν lilium regium apud Afros Dioscor. 3, 106 (116), haud dubie אָבִיב לָבָן pr. arista candida, fortasse flos candidus, coll. syr. ܗܒܒܐ flos, amhar. ሐበባ: id.

Abila s. *Abyla*, mons altus. Festus Avienus de Calpe et Abila loquens (Vers. 111): ... *Abilam vocant Gens Punicorum, mons quod altus Barbaro.* Vereor ut hoc ex linguae usu probari possit, nam אָבֵל, quod confert Aldretius, est graminetum, pratum, non mons; magis placet Bocharti עב עלאה ex Syriasmo *silva alta* (non *columna alta*) pag. 732. At num forte *Abyla* confusum cum גביל, גבל, quod apud Phoenices pariter atque Arabes *montem* significasse testantur nomina propria גְּבָל et גְּבַל Byblus, v. thes. p. 258.

Ἀδὰ παρὰ Τυρίοις ἡ ἰτέα. Hesych. Apud Talmudicos servatum est אירן salix Schabb. cap. 2.

Adad. Ita Solem Heliopoli cultum, quem deorum summum maximumque venerentur, appellari tradit Macrob. Saturn. 1, 23, his additis verbis: *eius nominis interpretatio significat UNUS:* cuius quidem observationis auctores *Adad* confudisse videntur cum *achad*. Scriptura enim *Adad* recte se habet, neque potest mutari in *Ahad*, cum eius numinis nomen etiam alibi compareat, in V. T. הֲדַד (unde הֲדַדְעֶזֶר, בֶּן־הֲדַד), apud Philonem *Ἀδωδός* Euseb. praep. ev. 10, 38.

Ἄδωνις, ... *δεσπότης ὑπὸ Φοινίκων.* Hesych. אֲדֹנִי v. §. 18 h. v.

Ἄζα capra, Steph. Byz. v. *Ἄζωτος*, quanquam hoc ad Palaestinenses spectat.

Azirgozol, peristereon, Apulej. חציר גוזל herba columbarum.

Ἄλλα, ἀντὶ τοῦ καλά, Κύπριοι. Etym. M. Recte Ham. (Miscell. 302) confert אַיָּלָה pr. cerva, dorcas, vox blanda, qua mulierem pulcram alloquuntur Prov. 5, 19.

Alma, virgo. Hieron. in Jes. 7, 14 de עַלְמָה: lingua Punica, quae de Hebraeorum fontibus dicitur manare *proprie virgo* Alma appellatur. Dubitamus tamen, num recte Hieronymus „proprie virginem" ita appellari dixerit, quae Hebraeis בתולה est, non עלמה.

Alonim, dii, pr. Superi, Sisenna ad Plaut.

Ἀλσουνάλφ, *βούγλωσσον* apud Afros Dioscorid. 1, 126. Est לשון אלף. Ita autem, ut dedimus, habet cod. Const., Vulg. *ἀνσανάφ*, fort. ex *ἀλσανάλφ*.

Ἄλφα, nomen primae litterae, quam reliquis praeponi scribit Plutarchus quaest. symp. IX, 2 §. 3, *διὰ τὸ Φοίνικας οὕτω καλεῖν τὸν βοῦν.* Est hebr. אֶלֶף, quod LXX non semel reddunt *βοῦς* Deut. 7, 13. 28, 4. 18. 51. Ps. 8, 7. Prov. 14, 4. Reliquae linguae Semiticae hac voce carent.

Ἄριζος, τάφος, Κύπριοι Hesych. Hamak. p. 303 confert חריץ fossa (de quo vide thes. p. 525): nec male, certe non video, in quam sententiam sepulcrum *sine radice* (ab *α* et *ῥίζα*) vocari possit.

Ἀρμάς v. *Ἀσουμεςλαβόν*.

Ἀσίραχος, locustae genus apud Leptitanos, magnis cruribus, sed alis carens Diosc. 2, 57. Respondet talmud. אסקרא Cholin c. 3 syr. ܐܣܩܪܐ, v. Boch. Hieroz. II, 450.

Ἀσίῤῥισοι, ἀναγαλλίς apud Afros Diosc. 2, 209, qua herba succurritur a vipera morsis, cf. Plin. 25, 15. Bene Bochartus p. 753 חציר רישי herba veneni, immo ad venenum pertinens, *οι* ab Itacismo profectum et ι pronunciandum est.

Digitized by Google

Ἀσκαουκαύ, ἑλαφοβόσκον, *pastinaca* apud Afros Dios. 3, 73, cuius herbae pabulo cervos aiunt serpentium morsibus resistere. Boch. 755 reponit *ἀσκαικαύ* (*κ* pro *ε*) חשק אקו desiderium cervi, egregie. *αυ* scriptum pro ὁ, more Syrorum.

Ἀσουμές, λινόζωστις i. e. Mercurialis apud Afros, Diosc. 4, 188, et

Ἀσουμέςλαβον, λινόζωστις ἀγρία s. *cynocrambe* ibid. 189, etiam ἁρμὰς dicta. Bochartus p. 761 illud scribit הַשּׁוּמֶשׁ et *ministrum* interpretatur (a chald. שַׁמָּשׁ), *Mercurium* intelligens, ut deorum ministrum, qui propterea etiam Cadmilus vocetur, ἁρμὰς autem ex graeco Ἑρμῆς factum esse censet: quae non probo, quanquam meliora dare non possum. Unum certum, λαβον esse לבן albus, quoniam brassicae caninae folia ad albedinem inclinant, cf. Ἀβίβλαβον.

Ἀσοῦρ, ὁ κρατὴρ ὑπὸ Φοινίκων. Hesych. Etym. M. Est syr. ܟܘܣܐ scyphus. Ham. 303.

Ἀσουρίκ, εὖζωμον, *eruca* apud Afros Diosc. 2, 169. Bochartus emendat ἀσιρούκ חציר רוק *herba erucae*, quod posterius ex latina lingua petitum sit (cf. ἀτιερβερζία), malim חציר רק pro חציר ירק *gramen viride* (χλωρόν).

Ἀστήρτιφη, χαμαίμηλον, *anthemis* apud Afros Diosc. 3, 144, חציר חפוח herba pomorum, ut nomen graecum. Ἀστὴρ scriptum est per Itacismum pro *astir*, idque pro *atsir*, quod graece scribenti iusto durius videbatur.

Ἀστηρχιλλός, Ἀχιλλεῖον, herba Achillis, Diosc. 4, 36, i. e. *chazir Achillos*, cf. הרדוס pro Ἡρώδης.

Ἀστιρκόκ, ποταμογείτων, *venae folium* Diosc. 4, 99. Bochartus omisit, Sprengelius scribit חֲצִיר בֹּחַ herba efficax; quanquam non video, peculiarem vim ei tribui. Cogitari etiam possit חציר רֶקֶק herba sputi.

Ἀστρεσμουνίμ, στρύχνος *solanum* Diosc. 4, 71. Est חציר אֶשְׁמוּנִי *herba Asclepiaca*, (v. de אֶשְׁמֻן s. Aesculapio Phoenicum p. 135). Apollo enim hanc herbam, cuius usu conciliatur ὀλιγοχρόνιος μανία vatum et poëtarum furori similis, invenisse et Aesculapio dedisse ferebatur (Apulej. de virt. herb. c. 22). *μ* extremae voci adiectum, ut in נַפְתָּלִי LXX *Νεφθαλείμ*.

Ἀταδίν rhamnus apud Afros Diosc. 1, 119. hebr. אטדים pl. ab אָטָד rhamnus.

Ἀτιειρκόν, ἀρνόγλωσσον, etiam πολύνευρον dictum, *plantago* Diosc. 2, 152. Bene Bochartus p. 752 exponit חציר ערק, חציר ערקין herba nervorum s. venarum, coll. عِرْق vena, coll. πολύνευρον. R in hac forma absorptum est, ut in *Atzikurur*.

Ἀτιερβέρζια, πράσιον, marrubium Diosc. 3, 109. Sprengelio videtur חציר בָּרָכָה herba salutaris, utpote sterilitati adversa, quod non probabile. Num forte *βερζια* est ipsum graecum πράσιον? cf. ἀστηρχιλλός et ἀσιρούκ.

Ἀτιρσίπτη, κορωνόπους Diosc. 2, 157 חציר זפת herba picis.

Ἀτιρτόπουρις, τηλέφιον Diosc. 2, 217, fort. חציר טפרין herba unguium.

Atzikurur ranunculus, apud Poenos. Apulej. de virt. herb. 10. Est חציר קרור herba ranae, coll. قُرّ, قُرّ, قُرّ, قُرّ, قُرّ, قُرّ rana, r absorpto, ut in ἀτιειρκόν.

Ἄχοιοσίμ, τράγιον Diosc. 4, 50. Boch. p. 757 legit Ἀχαιοσίμ idque pluralem punicum censet ab Ἀχαῖος, inde (herba) Graecorum: contra Sprengelius אזנחים (foetidi): ego vix dubito, quin scribendum sit אחי עזים *herba caprarum*, cf. ἄχυ אָחוּ, quod LXX scribunt Ἀχί, Ἀχεί (aegypt. ⲁϫⲉⲓ v. thes. ling. hebr. p. 67). Diphthongus *οι* ibi legendus î (cf. ἀσιζρίσοι) et ע pronunciatum o.

Ἄὔδονις salutandi formula, v. pag. 378.

Digitized by Google

Ἄχυ, species cassiae Diosc. 1, 12, hebr. אָזוֹב, v. *ἀχοισσίμ*.

Baal (בעל) dominus, deus. August. ad Iud. 16: solet dici Baal nomen esse apud gentes illarum partium Jovis, Astarte autem Iunonis, quod lingua Punica putatur ostendere. Nam *Baal* Punici videntur dicere *dominum*, unde *Baal samen* quasi dominum coeli intelliguntur dicere: *samin* quippe apud eos coeli appellantur. Iuno autem sine dubitatione ab iis Astarte vocatur. Servius ad Aeneid. 1, 733. lingua Punica Bal deus dicitur. Hieron. ap. Aldret. p. 184: Belus hebraice dicitur בל ... hunc Sidonii et Phoenices appellant בעל: eadem enim inter ב et ל consonantes ע vocalis littera ponitur, quae iuxta linguae illius proprietatem nunc Beel, nunc Baal legitur.

Βάαν natura quaedam superior apud Phoenices, quam *noctem* interpretatur Philo Byblius. *Εἶτα* (*φησὶ*) *γεγενῆσθαι ἐκ τοῦ Κολπίας ἀνέμου καὶ γυναικὸς αὐτοῦ Βάαν, τοῦτο δὲ νύκτα ἑρμηνεύειν, Αἰῶνα καὶ Πρωτόγονον θνητοὺς ἄνδρας* .... Sanch. Orell. p. 14. Grotius et Scaliger app. ad emend. temp. p. 27 contulerunt בהה, quod probabilius videtur, quam quod Bochartus p. 706 *Βάανι* legendum coniicit idque a בוא pernoctavit, ducendum existimat, quod ipsum secundarium est, ductum a בית domus. Mihi ista interpretatio, ut plura Philonis, incerta videtur.

Βαιτύλια, *Baitvloi*, lapides animati ab Urano deo inventi, sec. Sanchun. p. 30. Orell. Plura de iis refert Damascius ap. Phot. p. 1047. 1062. 1063, huiusmodi lapides sphaericos atque igneos nonnunquam cum impetu coelitus deorsum ruere: exstinctos colore subcandido, nonnunquam etiam rubro, palmi fere magnitudine esse: numinum instar eos haberi, et alios aliis diis consecratos esse, ut Saturno, Jovi, Soli: plures iuxta Heliopolin Syriae repertos esse. Cf. Hesych. et Etym. v. *Baitvlos*. Eosdem *Abaddir* appellatos esse, supra vidimus, h. v. Cf. Bochart. p. 707. 708. Orellus ad Sanch. p. 31. Quod ad rem ipsam attinet, nihil dubito, quin aërolithi intelligendi sint, iique tales, qui integri, non disrupti, in terram descenderant, quibusque numen quoddam inesse credebant, ut in lapide ille Pessinuntio, in quo matrem deorum latere arbitrabantur (Liv. 29, 11, cf. Arnob. 7, 46 ibique Orell.). Iam diu est quod viderunt viri docti (Scal. ad Euseb. p. 198) *Baitvlos* esse בית אל, sed nugatorium est, quod huc referunt lapidem, qui Jacobi cervical erat in loco *Bethel* dicto Gen. 28, 18. Imo בית אל *domus dei* appellabatur huiusmodi lapis, quia deus in eo inesse credebatur, quam ipsam ob caussam etiam *Abaddir* dictus est.

Βαχχόν. κλανθμόν. Φοίνικες Hesych. Respexit huius glossae auctor ad בָּכוֹת fletus.

Βάλλαι, *βαθμοί*, *ὑπὸ Κυπρίων*. Hesych. Num forte ortum ex מַעֲלָה gradus?

Balsamen, v. Baal, et Plaut. 2, 67.

Βεελσάμην, *Κύριος οὐρανοῦ* Sanchun. Orell. p. 14. Forma Syriasmum redolet.

Βητάγων, *ὁ Κρόνος ὑπὸ Φοινίκων*. Etym. M: Egregie fallitur Etymologus, nam *Βητάγων* non aliud esse atque *Βηθδαγών* 1 Macc. 10, 83 = בית דגון templum Dagonis, in aprico est.

Billis apud Afros appellatur semen humanum humi profusum. Fest. Bene Bochartus p. 734 confert בֻּלְבֻּל semen, a בָּלַל madefecit.

Βοιδήν, *θαψία*, ferulae genus Diosc. 4, 154. Bochartus id scribit בַּדִּין parvi rami, ferulae, imo בִּדִּין *biddin*, nam et *οι* et *η* ex Itacismo i pronuncianda sunt.

Digitized by Google

Βουινεσάθ, ἀγχοῦσα Diosc. 4, 23. Boch. p. 757. Prior pars est אָבוּ pater, per apocopen בו, ut arab. ابو, بو; posteriorem non assequor, nisi forte est אֲנִישָׁה *morbus*, ut pater morbi sit planta salutaris. Boch. p. 757 id corruptum censet ex ابو جلشا, quod ipsum ex اكوسا depravatum videtur (Spr.).

Βουρχουμάθ, χρυσοκόμη, Diosc. 4, 23. Boch. 758 et Spr. conferunt arab. بُرْغُمَة *calyx floris*, malim fere אבו רקומת *pater varii coloris* (cf. praeced.) i. e. flos versicolor. ק saepe mollius pronunciatur.

Butzutzim, brassica silvatica Apulej. 127. Nihil est quod coniectat Boch. 763 בוס זיזים mors repentina ferarum: videant autem eruditi, possitne ea planta vocari אבו צוצים i. q. אבו ציצים *pater florum*.

Γάδαρα. Tzetzes chiliad. 8, 126: *Φοῖνιξ δὲ γλῶσσα γάδαρα λέγει τοὺς λιθοστρώτους.* Displicent haec Bocharto 747, et sane גדר murum significat, non pavimentum: at etiam pavimentum quodammodo murus vocari poterat.

Γάδειρα, Gadir septum, v. pag. 304.

Γάδον parvum. Claudius Iulius in Etym. Magno v. *Γάδειρα* de etymo Gadium loquens: *ὅτι Ἀρχαλεὺς υἱὸς Φοίνικος κτίσας πόλιν, ὠνόμασε τῇ Φοινίκων γράφῃ· γάδον γὰρ παρ' αὐτοῖς το ἐκ μικρῶν ᾠκοδομημένον.* In etymo utut absurdo ante oculos habebat קטון *parvus*, litteris ק et ט emollitis.

Γαθονοήμ, σόγχος, cichorea Diosc. 2, 158. Spreng. coniicit גדוד עינים incisura faciei (imo: oculorum), vel גדוד עלים incisura foliorum (folia enim eius herbae incisa), equidem emendaverim *Γαθονολήμ*, קטון עלים parvis foliis: cf. *γάθον* = קטן.

Γάλωνες .... τὰ περιφράγματα, Φοίνικες. Hesych. Bene Boch. 734 observat, hanc glossam sede sua motam ad *Γάδειρα* pertinere.

Γάνος (גַּן) *ὑπὸ Κυπρίων παράδεισος.* Etym. M.

[*Γέννου. Κύπριοι. καὶ λάβε καὶ κάθιζε.* Hesych. *). Id Ham. 304 phoenicium putat, coll. חנה, sed cf. *γέντο, ἔλαβε* Hom.].

[*Γέργινοι* vocabantur parasiti regum Cypriorum Athen. VI p. 255. 256, quod Ham. 304 illustrat ex syr. ܓܪܓ circuivit, inde כרכין homines circumforanei. Sed ipsi Athenaeo *Γεργίνοι* est nomen gentilicium, posteros Trojanorum indicans, quos Teucer in Cyprum colonos duxerat].

Γίγγροι tibiae Phoenicum sonum stridulum et lugubrem edentes, quibus Adonidem lugebant. Athen. 4, 76 p. 175 Casaub., unde etiam ipsum Adonidem Giggram appellatum fuisse tradunt, ibid. Illud ductum est a rad. כנר (knarren, schnarren) sonum stridulum edidit (v. Lex. man. h. v.), unde כִּנּוֹר cithara a sono stridulo.

Gingam, hyoscyamus Apulej. c. 4. Boch. 762 legit bingam, coll. arab. بنج hyoscyamus.

Γοιδ (lege *gid*) *κόριον*, coriandrum Diosc. 3, 54. Hebr. גַּד Exod. 16, 31. Vulg. *κόριον*. Onk. גַּדָּא.

Γόνατα (rectius cum cod. Schowii *Γόνα*), *τὸ ὅριον, Φοίνικες.* Idem vocabulum, sed *angulum* potius quam finem significans, reperitur in nominibus propriis *Rusgonia* s. *Rusconia*, *Salaconia*. Punice id scribo כְּנַע, fem. כְּנָעָה (fortasse etiam כָּנְיָה, גָּנְיָה), ductum a כָּנַע flexit, genu fecit, cf. גָּנָא, جثا procubuit, cui in Graecis cognatum et *γόνυ* (lat. genu) et *γωνία* angulus. Vide Lex. man. p. 494.

[*Γρά, φάγε, Κύπριοι.* Ham. 364 vix

*) Uncis inclusimus eius generis glossas, quae ab Hamakero aliisque pro Phoeniciis habitae et ex linguis Semiticis explicatae sunt, revera autem graecae esse videntur.

Digitized by Google

graecum arbitratur, et quaerit possitne a גרר ductum videri. Sed graecum esse γράω i. q. ἐςθίω monstrant Callim. fr. 250 et alia quae laudantur ad Hesych. l. c.].

Gudubbal leontopodium Apulej. c. 7. Dictum videtur pro *Gududbal* גדוד בעל granum Baalis, גדוד i. q. גַּד.

Δάγων, ὅς ἐστι Σίτων. Sanchun. p. 26 Orell. ὁ δὲ Δάγων ἐπειδὴ εὗρε σῖτον καὶ ἄροτρον, ἐκλήθη Ζεὺς Ἀρότριος, ibid. p. 32. Numinis דָּגוֹן dicti aliud esse etymon (a דָּג piscis, v. thes. p. 320), facile consentient viri docti, quidquid dicit Hamak. Misc. p. 168: e re nostra hoc unum est, דָּגָן apud Phoenices, ut apud Hebraeos, σῖτον significasse.

Derdun asterium Apulej. c. 60. Boch. 762 coniicit *cherdun*, quomodo eryngium appellatur apud Dioscoridem, quae planta cum asterio propter foliorum similitudinem etiam apud Arabes permutatur.

Δουβάθ χρυσοκόμη Diosc. 4, 55. Est דהבם, ה emollito, ut in להבים, לובים al.

Edom sanguis. Augustin. in Ps. 136, 7: „... nam et Punice Edom sanguis dicitur." Magis etiam quam hebr. דָּם respondent formae talmud. אֲדַם, אִידְמָא, sam. ࠀࠃࠌ, cf. thes. p. 27.

Ἐλοείμ ..... Οἱ δὲ σύμμαχοι Ἴλου τοῦ Κρόνου Ἐλοεὶμ ἐπεκλήθησαν, ὡς ἂν Κρόνιοι, Sanch. pag. 28 Orell. Est ipsum אֱלֹהִים, idque pluraliter usurpatum de Saturni sociis et quasi commilitonibus, atque a Philone ab אֵל (quod Phoenices κατ' ἐξοχὴν de Saturno frequentant) ducitur, quod non omnino falsum, v. thes. p. 49. 94 B.

Ἔλφος, βούτυρον, Κύπριοι Hesych. cf. חֵלֶב adeps, pinguedo, ἔλπος, ἔλαιον, στέαρ id. Nam inter se cognata sunt חָלַב pinguis fuit et ἀλείφω, λίπα, λιπάω, λιπόω, v. Lex. man. rad. חלב, לבב. Etiam ὄλβος pr. videtur pinguedinem significare.

Ἑλλωτία, ἡ Εὐρώπη τὸ πάλαιον ἐκαλεῖτο· ἢ ὅτι οἱ Φοίνικες τὴν παρθένον ἐλλοτίαν καλοῦσιν· ἢ παρὰ τὸ ἑλεῖν. Etym. M. Ἑλλώτης, Εὐρώπης Hesych. ubi nihil de illo etymo ex lingua Phoenicia, quod quidem ex linguae opibus nobis cognitis vix vindices (Boch. 421): nam virgo est בחולה.

Ἐρβιαιαθούμ (al. ... θούν), capparis Diosc. 2, 204. Boch. 753 coniicit ἐβιαιανώθ אבירנות cappares (Eccl. 12, 5. thes. p. 12. 13), Spreng. ἐβιωνώθ, quod iusto audacius, malim ἐβιαννούθ, quod litteris Hebraeis proximum. ἐρβι pro ἐβι scriptum est, ut alludatur ad *herba*, αυ et ου more Syrorum et Poenorum pro ὁ.

Eucaddires, genus sacerdotum apud Poenos, Augustin. epist. 17 (v. supra v. Abaddir), ubi plures Ms. Eucaddares. Altera vocis pars est אדיר magnificus: de priore mihi non constat. Boch. p. 766 coniicit *Encaddires* idque scribit חנך אדיר *initiatus* (sacris) *Addiri* (dei), Malnius (ap. Münter. Rel. d. Carth. p. 88) ad eandem formam confert عُنُقٌ proceres, principes (sic enim scribendum erat), quod ad sacerdotes translatum sit: sed pr. longicolles significat et nonnisi poët. de principibus dicitur.

Ἐσμοῦνος nomen Aesculapii apud Phoenices pag. 136.

Ζεγέριες v. Ζίγαρ.

Ζεραφοῖς (lege Zeraphis) linum Diosc. 2, 124. Boch. 752 coniicit Ζεραφοιστᾶ זרע פשתה semen lini, sed forte extrema syllaba abiecta erat.

Ζιγάρ, βούνιον (rapae genus), Diosc. 4, 122. Ad Punici Graecique nominis concordiam illustrandam vide prae ceteris Herod. 4, 192, ubi murium Africanorum genus vocatur ζεγέριες et additur, Libycum hoc vocabulum esse, quod *colles* (βουνούς) significat. Itaque etiam plantae illius nomen Libycum, non vere Punicum videtur.

Digitized by Google

Zimicum peristereon Apulej. 65. Boch. 763 id dictum existimat pro *zibicum*, et confert chald. שׁוּבְכָא columbarium Jes. 60, 8 pr. cancelli columbarum: quod longe petitum. Num forte est חציר מקום herba oppidi, vici, *zi* pro *azi*, *azir* cf. Atzikurur?

Ζουορινσίπετ iuniperus Diosc. 1, 103. Spr. id scribit צרי ספד arbor balsamica pr. lugens, ego צֳרִי זֶפֶת *fluxus picis*, cf. *ἀτιρσίπτη*. Poeni adeo Schwa compositum in צֳרִי imitati sunt: *ν* in *ζουοριν* adiectum, ut supra in *ἐσμουνὶμ* pro *ἐσμουνί*.

Ζωφασημίν, *τοῦτ' ἔστιν οὐρανοῦ κατόπται* Sanch. p. 10 Orell. צופי שמים. Sed nonne legendum *Ζωφησαμίν*? certe statuendum, Philonem vocales inter se permutasse.

Θαμάκθ (Boch. *Θαμανάθ*), parthenium, herba saporis amari Diosc. 3, 145. Respondet talmud. תמכה, quae recensetur inter herbas amaras, quarum usus Judaeis fuit in paschate Exod. 12, 8. Cant. 2, 9 Targ. et tract. Pesach. 2 §. 6, ubi Maimonides intybi speciem intelligit, alii aliter. Eodem pertinere videtur *tamnacum*, parthenii synonymum ap. Plin. 21, 30 s. 104, ubi plerique codd. *amnacum*.

Θεψώ, *βούνιον*, Diosc. 4, 122, cf. *ζιγάρ*. Hoc Libycum, illud vere Punicum plantae nomen fuisse videtur. De etymo nil definio.

Θίβωνος, *κιβωτός*, *Κύπριοι*. Est תֵּבָה, quod ipsum receperunt Graeci in *θίβη*.

Θορπάθ, *ῥαφανίς* (radicula) Diosc. 2, 137. Sprengelius confert ترفة tuberculum, quod eximie placeret, nisi ex usu linguae esset tuberculum labii, non tuber terrae: sed vel sic ferri potest, certe quadril. ترفاس *terrae tubera* significat i. q. كمّ. Ex linguae Hebraeae, Chaldaeae, Syrae usu esset טֶרֶף folium, טַרְפָּא, ܛܪܦܐ: idque melius convenit sequenti

Θορπάθ σαδέ (Boch. *θ. σαδοί*, lege *sadi*), *ἄπιον* Diosc. 4, 174 i. e. טרפת שדה folium agreste. Etiam in Talmude, in cuius tractatu כלאים dicto multa plantarum maxime leguminum nomina reperiuntur (cf. Sprengel hist. rei herbariae T. I. p. 176 sqq. ed. 2), saepe earum plantarum nominibus, quae *ἄγρια* graece appellantur, additur שדה v. c. עולשין et עולשי שדה = *κιχώριον* et *κιχώριον ἄγριον*, כוסבר et כוסבר שדה coriandrum agreste, כרישין et כרישי שדה porrum et porrum agreste.

Θώρ, *οἱ Φοίνικες τὴν βοῦν καλοῦσι*. Plut. Syll. c. 17, cf. hebr. שׁוֹר, chald. תּוֹר. Nisi Phoenices cum Syris confudit Plutarchus, novum hoc est exemplum formarum ad Syrorum pronunciationem inclinantium, cf. et Plaut. sc. I, vs. 9. 10.

Iamim aquae calidae, Hieron. ad Gen. 36, 24. Fortasse inter se confudit ימים aquae et חמים calidi.

Iar lignum (יַעַר) et dubitandi particula. Augustin. in Ps. 123: „quod Punici dicunt *jar* (non lignum, sed quando dubitant) hoc Graeci *ἆρα*, Latini possunt vel solent dicere: putas? cum ita loquuntur: putas, evasi hoc?" Quid sit *jar* dubitandi vox, difficile est dictu. Boch. 769 confert وعر attonitus fuit in sermone, quod melius ita declares, יָעַר = وعر esse: difficilis, impeditus fuit, intricata fuit quaestio, dein haesit in sermone: unde יַעַר *jar* esse possit: *impeditum*, *difficile* est (dictu), quod dubitantis et haesitantis est. Praeterea in mentem venit, fueritne illud יַרְא, יֵרֶא *videat* (aliquis) num —, *vide num* (ita sit), i. e. fortasse.

Ἰεβάλ, *ἄγρωστις* Diosc. 4, 30, Boch. 757 et Spr. non male conferunt יְבוּל, forma est ut יְקָר. Possit etiam conferri ܝܒܠܐ, ܝܒܠܐ gramen, i. q. hebr. אֲבֵל.

Ἰέγκ (al. *ἰέσκ*) geranii species Diosc. 3,

Digitized by Google

121. Spr. confert arab. أَعْنَقُ longicollis: malo ינק, ינקת surculus.

Ἰεούδ, *μονογενής*, Philo Bybl. 42 Orell. יחוד = יָחִיד unicus, quod LXX saepe *μονογενής*.

Καῖσαρ, *Caesar*. Ita *elephantem* in lingua Punica appellari tradunt Serv. ad Virg. Aen. I, 290 et Constantinus Manasses p. 71: idem Spartianus (Ael. Ver. c. 2) Maurorum linguae tribuit. Ex Hebraicis id vindicari non potest.

[*Κέραμος carcerem* significare apud Cyprios testantur Grammatici v. intpp. ad Hesych. h. v. Sed graecum esse vc. utcunque translatum, non orientale (حَرَم locus seclusus), ut Ham. 304 volebat, monstrat usus eius apud Homerum Il. 5, 387 cf. Athen. 4, p. 621].

[*Κίβισις*, *πήρα*, *Κύπριοι*. Hesych. Ham. p. 304 id scribit חביש circumligatum: at in Cypriis origo orientalis non statuenda, nisi etymon manifestum].

Κίττω, cassia Diosc. 1, 12, est קִדָּה cassia, pronunciatione ad Syriasmum deflectente.

Κοίης, *ἱερεὺς Καβείρων ὁ καθαίρων φονέα, οἱ δὲ Κοής*. Hesych. Hebr. כֹּהֵן, *en* mutato in *ης*, ut *al* vulgo in *ας* (Hannibal, *Ἀννίβας*). In *Κοίης* Iota positum est pro h, ut in יְיֵלִיל pro יְהֵלִיל.

Κολπία· ita in cosmogonia Phoenicum appellatur ventus, qui una cum uxore *Βάαυ* primos homines generaverit, Philo Bybl. p. 12. Orell. Si modo Phoenicium est voc., quod sane esse videtur, non male Bochartus id scripsit קול פי יה *vox oris Jehovae*; displicet tamen in mythis Phoenicum usus vocis יה.

Κορβάν. Iuramentum quoddam peregrinum *κορβάν* dictum legibus Tyriis prohiberi tradit Theophr. ap. Jos. c. Ap. I, 22 qui addit, id *δῶρον θεοῦ* significare. Cf. Arch. 4, 4. Est igitur קָרְבָּן.

Κουσίμεζαρ, *σίκυς ἄγριος*, Diosc. 4, 152. Idem Apuleius c. 113 appellat *cussimezara*. Non bene Bochartus id scribit קִשֻּׁא מוּזָר cucumis peregrinus, melius Aldrete p. 194 קשא מֵישָׁר cucumis agrestis. Sive hoc sequere, sive scribe קשר מצר cucumis Aegyptius. Ceterum nescio an reponendum sit *Κισουμέζαρ*. In tractatu כלאים laudatur דלעת מצרי cucurbita Aegyptia.

Λανάθ, *περικλύμενον*, hepatitis Diosc. 4, 15. De etymo nihil probabile dedit Boch. 756, videant eruditi, sitne idem quod לַעֲנָה absynthium.

Λαβοθολαβάθ, myosotis Diosc. 2, 214. Bocharto p. 753 compositum est ex *λαβ* = *λοβός* et *ὀθολαβάθ* i. q. עטלפת = עֲטַלֵּף vespertilio. Posterius certissimum, de priore ambigo, quum hibrida displiceant.

[*Λαχμάν* optimi panis genus in Syria Athen. 3 p. 113 Casaub. לַחְמָא addito *ν*, ut saepe post vocalem. Sed hoc Syriacum].

[*Λείνα*, *ἔρια*, *Κύπριοι*. Hesych. Ham. 305 confert لان mollis fuit: sed est graecam *λῆνος*, *λᾶνος*, lana].

[*Λεπίδιον*, edulii genus apud Phoenices. Apud Athen. 3 p. 119 b Plutarchus Ulpiano Tyrio: *ταῦτα δὲ τὰ βράματα, ὅτι πολλῷ ἡδίω ἐστὶ τῶν παρά σοι περισπουδάστων κοττάνων καὶ λεπιδίων* (al. *λεπίδιον*, *λεπίδιοι*) *πειραθέντες ἴσασι*. 9 p. 385 a: *πλὴν εἰ μὴ καὶ κόττανα καὶ λέπιδιν* (lege *λεπίδια*), *τὰ πατριά μου νόμιμα βρώματα, ὀνομάζειν μέλλετε*. Quum Tyria vocarentur haec edulia, et originem et formam e linguis Semiticis petendam censuerunt interpretes et editores (modo *λέπιδιν* dantes, modo, ut Dindorfius, *λέπιδι*, quod non magis Phoenicium esset quam Graecum) et de origine mira quaeque excogitarunt (v. Schweigh. ad h. l. et Spreng. ad Diosc. 2, 484). Verum iam diu est quod vidit Boch. 726, *λεπίδιον* (squamula) esse graecum vocabulum, idemque dicendum est

Digitized by Google

de *cottanis* non a קטן (parvus) ducendis, sed a coquendo, unde etiam *coctana* scribuntur].

Magalia, *Mapalia*, *Magaria* (*Μέγαρα*) tuguria Numidarum portatilia, quae plaustris circumferebantur, dein suburbium Carthaginis. 1. Primam illam formam (per g) a) de *casis* adhibitam habes Virg. Aen. I, 425: miratur molem Aeneas, magalia quondam. Charis. I p. 21: Magalia, *καλύβαι Ἀφρῶν*. Diomed. I p. 315. Serv. ad Aen. I, 425: „Cato Originum primo, *Magalia aedificia quasi coortes rotundas dicunt*. Alii Magalia casas Poenorum pastorales dicunt. De his Sallustius, *quae Magalia sunt circumiecta civitati*, suburbana aedificia *Magalia*. Et alibi Cassius Hemina docet ita, *Sinuessae Magalia circumdanda, murumque circum eam.*" b) de exteriore Carthaginis parte. Serv. ad Aen. I, 372: „*Carthago speciem habuit duplicis oppidi, quasi aliud alterum complecteretur: cuius interior pars Byrsa dicebatur, exterior Magalia. Huius testis est Cornelius Nepos in eo libro, qui Vita illustrium inscribitur.*" Eodem pertinet Aen. IV, 259. Plaut. Poen. prol. 86. Pers. 1, 3, 57 (ubi tamen optimi libri Magaribus, Megaribus legunt). — 2. Altera illa forma, cuius prima syllaba corripitur (Virg. Ge. 3, 340. Sil. 17, 90. Lucan. 2, 89. Martial. 8, 55. 10, 20) illa frequentior etiam est, sed primo tantum tuguriorum significatu reperitur Sallust. Iug. 18, 8: *Ceterum adhuc aedificia Numidarum agrestium, quae mapalia illi vocant, oblonga, in curvis lateribus tecta, quasi navium carinae sunt.* 46 §. 5. Plin. 5, 3: *Numidae vero Nomades, a permutandis pabulis, mapalia. sua hoc est domus plaustris circumferentes.* Fest. v. Mapalia. Hieron. in Amosum: *Agrestes casas et furnorum similes Afri vocant mapalia.* Epist. ad Demetr. *non solum ad urbes, oppida, viculosque, sed ad ipsa quoque mapalia celebris fama penetravit.* — 3. Tertia *Magaria* (*Μέγαρα*) contra non nisi de Carthaginis suburbio usurpatum deprehenditur. Plaut. Poen. l. c., ubi optimi libri *Magaribus*. Appian. 8, 117. 135, qui illam Carthaginis partem constanter *Μέγαρα* appellat. — De tribus his formis ita disputat Servius ad Aen. IV, 259, *magalia* et *mapalia* eandem rem significare, licet metri ratio diversa sit (māgalia, măpalia): veram autem formam *magaria* esse idem affirmat (ad 1, 425) „quia *magar*, non *magal*, Poenorum lingua *villam* significet," idemque docet Isidorus Origg. 15, 12: „Magalia dicta quasi magaria, quod *magar* Punice *novam villam* significat." Firmare voluit hanc Servii opinionem Bochartus (pag. 470) *magar* scribens מגאר, מְגָר = מגור habitatio (Ps. 55, 16): sed etymon, quod ipsius rei naturae multo accommodatius sit, offert *Māgalia*, quod nihil dubitans scribo מַעְגָּל, מַיְגָּלָה (ab עֲגָלָה plaustrum) in V. T. carrago, munimentum ex plaustris factum (1 Sam. 17, 20. 26, 5. 6) apud Numidas *casa* Nomadum *in plaustro circumgesta:* unde simul apparet, quid caussae sit primae syllabae productae. Ex *Magalia* autem ortum videtur tum *Mapalia*, sive vulgaris sermonis consuetudine (cf. *λυπέω* lugeo, *λαγώς* lepus, *ῥώξ rupes*), sive hoc librariorum demum errore factum est: tum *Magaria* (*r* et *l* permutatis) quod quidem posterius *κατ' ἐξοχήν* de exteriore Carthaginis parte frequentabatur, quae a *tugurüis et vilissimi generis domibus* nuncupata est, a Graecis *Μέγαρα* scriptum, ut alludatur ad *Μέγαρα* urbem, et *μέγαρον* conclave. Quod Servius *magar* villae nomen Punicum esse tradit, in medio relinquimus: sed plane falsum, quod Isidorus id *novam villam* interpretatur, cuius erroris caussa haec est, quod *Magalia*

Digitized by Google

Carthaginis etiam *Neapolis* appellata sunt. Suspicari aliquis possit, trium illarum formarum unamquamque etymon habere sibi proprium, *magalia* מעגל, *mapalia* מפל, *magaria* מגר, מגאר: sed manifesto omnium trium significatio primitus eadem erat, et uterque vocis usus deprehenditur in *Magalia*, licet *mapalia* nonnisi de tuguriis frequentetur, *Magaria* fere nominis proprii vim induerit.

Mammon, lucrum. Augustin. de sermone Domini in monte lib. 2. *Mammona apud Hebraeos divitiae appellari dicuntur. Congruit et Punicum nomen. Nam lucrum Punice Mammon dicitur.* Proprie chaldaeum est מָמוֹן, מַמּוֹן, syr. ܡܰܡܳܘܢܳܐ, sam. ܡܰܡܳܢܳܐ divitiae, quod quidem contractum est ex hebr. מַטְמוֹן i. e. thesaurus, non solum subterraneus, sed quivis Gen. 43, 23. Cf. thes. p. 552 B.

[*Mappa*, pannus, quo magistratus in circo aurigis signum dabant, ut e carceribus exirent. Quinctil. 1, 5 §. 57: *Mappam usitatum circo nomen, Poeni sibi vindicant.* Post contortam Bocharti explicationem p. 730 meliorem dedit Ham. p. 306 e syr. ܡܰܦܰܠܳܐ part. Aph. a ܢܦܰܠ = ܢܦܰܩ exire faciens; sed quanquam Quinctiliani auctoritati credo, *mappa* etiam Punicum fuisse affirmantis, tamen *mappa* in circo re vera erat *mappa* pannusve cretatus, quam agitare vel, quod verbum erat in hac re proprium, *mittere* (Tertull. de spectac. c. 16. adv. Valent. c. 16. Suet. Ner. 22), solebant magistratus. Martial. 12, 29: *Cretatam praetor quum vellet mittere mappam, Praetori mappam surripit Hermogenes.* Sen. de ira 3, 30: *taurum color rubicundus excitat, ursos leonesque mappa irritat.* Figuram eius vide ap. Ruben. Elect. 1, 30. Non est igitur, quod de peregrina vocis origine circumspiciatur].

[*Μαστός* poculi nomen apud Paphios. Athen. XI, p. 487. Ham. 306 confert משתה, sed, quum perpauca Cypria exstent, quae graeca non sint, etiam hoc malo graecum esse a mammae similitudine dictum].

Messias. August. contra litteras Petiliani 2, 114: *Hunc Hebraei dicunt Messiam, quod verbum Punicae linguae consonum est.* Videntur igitur etiam משיח de Uncto s. Rege dixisse. Id. tract. in Ioann. 15: *Unctus Graece Christus est, Hebraice Messias, unde et Punice messe* (מְשַׁח) *dicitur unge.* Ad pronunciationem cf. חשָׁן LXX ἐσσήν.

[„*Μόρον λέγουσι Κύπριοι τὸ ὀξύ.* Etym. M. in v.“ Ita Hamak. 306 conferens hebr. מר, sed in ipso Etymologico haec glossa non legitur].

Μώτ, in cosmogonia Sanchuniathonis p. 10 Orell.: *τοῦτό τινές φασιν ἰλύν, οἱ δὲ ὑδατώδους μίξεως σῆψιν. καὶ ἐξ ταύτης ἐγένετο πᾶσα σπορὰ κτίσεως καὶ γένεσις τῶν ὅλων.* Bochartus p. 706 hoc explicat ex arab. „مادة materia a rad. מ ד“, sed hoc vc. est مادّة augmentum continuum, materia, a مدّ extendit, et non magis huc referri potest, quam Castelli ماث maceravit, aqua madefecit, quod hebr. est מוּשׁ: ne de Grotio et Vigero dicam, quorum opiniones vide ap. Orellum l. c. Omnino enim saepius diximus, Arabica tam antiquis vocibus illustrandis minus apta esse. Nobis *Μώτ* vel femininum esse videtur a *Μω* = מוֹ aqua (v. Lex. man. h. v. et supra pag. 223 not *), vel, quod praefero, *Mót* dictum est pro *Malt* ex vulgari illa Phoenicum contractione (מלך Môch, vide infra §. 23), מלט i. q. *caementum*, *limum*.

Νάβλα (נֶבֶל) nablium, instrumentum musicum, a Phoenicibus inventum esse observat Athen. IV, p. 175.

Digitized by Google

Ναράτ, *βούφθαλμον* Diosc. 3, 146. Vel est נָרַת (i. q. נָרָה) splendens, vel נַעֲרַת (flos) puellae.

Νίσιβις, *Νάσιβις*, *Νέσιβις* .... Steph. Byz. h. v. *σημαίνει δέ, ὥς φησι Φίλων, νάσιβις τὰς στήλας, ὡς δὲ Οὐράνιος νέσιβίς φησι σημαίνει τῇ Φοινίκων φωνῇ λίθοι συγκείμενοι συμφόρητοι.* Nomen loci syriace scribitur נציבין, נציב autem Phoenicibus est *στήλη* (pag. 353), idem in V. T. Gen. 19, 26 obvium a Kimchio תל tumulus redditur.

Nesso esse sade, callitrichon s. capillus Veneris Apulej. 47. Est נִצָּה שֶׁשָּׂדֶה flos agri, sed *nesso* pro *nissa* Syro more pronunciatum. Cf. *Κίττω*.

Οὐαργουγούμ, *ψύλλιον*, herba pulicaris Diosc. 4, 70. Lege *οὐαργουσούμ*, (*Γ* et C permutatis), nam pulex hebraice est פַּרְעֹשׁ arab. برغوث, unde *οὐαργοὺς* (herba) pulicis, addito lat. *um*. Eadem ellipsis est in *δουβάθ*, *ναράθ*.

Οὐδήδονι sideritis Diosc. 4, 33 scribendum videtur חַדִּידֹנִי cf. חַדּוּדֵי חָרָשׁ Iob. 41, 22 et arab. حَدِيدٌ ferrum.

Οὐλωμός (עולם aeternitas), natura quaedam superior in cosmogonia Phoenicia, Damascius de principiis ed. Kopp. p. 385.

[*Πάρμαι δερμάτινοι θυρεαὶ παρὰ Καρχηδονίοις*. Suid. Etiam apud Romanos *parmae* usitatissimae erant, neque Suidas diserte dicit, vc. originis Phoeniciae fuisse, quod ipsum ex etymo a פרם disrupit, unde Boch. p. 741 *parma* dicta videtur, ut ancile ab ancisu, non efficias].

Ραμά, *ὁ ὕψιστος θεός*. Hesych. Quanquam non dicit Hesychius, vc. Phoenicium esse, tamen non dubito, quin ex Philone Byblio aut simili scriptore ea glossa petita sit. Est enim רמא altus.

[*Ῥεῖος* debilis Cypr. non est a רע malus, ut vult Ham. p. 307, sed finitimum adverbio *ῥέα*, *ῥεῖα* facile].

Σαδέ ager, v. *θορπὰθ σαδέ*, *σιθιλεσαδέ*, *φυλλεσαδέ*.

Salus tres (שָׁלוֹשׁ) Augustin. (v. supra pag. 340 not. **).

Σιθιλέα, *ἱεράκιον τὸ μέγα* lactucae genus (cf. de nominis causa Apulej. c. 30) Diosc. 3, 65. Boch. 754 confert arab. سَتَلٌ aquila, aut alia avis aquilae vulturive similis. Ex Hebraeorum opibus conferre possis שְׁתִיל planta.

Σιθιλεσαδέ, hieracium minus 3, 66, סתיל שדה aut שתילי שדה.

Σισιμάκα papaver cornutum s. maritimum, agreste Diosc. 4, 66. Boch. 759 coniicit ܣܡܣܡ ܐܘܟܡܐ *semsem uchama* sesamum nigrum, sed hoc a papavere nimis differt. Ego malim *Σι-σι-μάκα* esse i. q. חציר שמכה *herba vulneris*: ad *σι* pro *asi* (asir) cf. *σιχάμ*, *Zimicum* et *Atzikurur*: *σι* pro ש, אשר tralatitium est: *μάκα* est מַכָּה, missa geminatione, ut saepe.

Σιχάμ, *σταφυλῖνος ἄγριος*, daucus silvestris Diosc. 3, 58. Boch. 754 confert ܣܚܡ nigrescere, mihi decurtatum videtur ex *asicham* חציר חם (v. praeced.) i. e. *herba calida*. Daucum enim Theophr. hist. pl. lib. 9 appellat *θερμαντικὸν φύσει*, idemque auctore Dioscoride l. c. ad venerem stimulare, menses et conceptum iuvare credebatur.

Σοῦσα (שׁוּשַׁן, שׁוּשַׁנָּה), lilia. *τὰ γὰρ λείρια ὑπὸ τῶν Φοινίκων σοῦσα λέγεται.* Etym. M.

Συδύκ, *δίκαιος* v. ind. nom. propr. §. 18.

Συρίς, *στρούθιον* (radicula) Diosc. 2, 142, hebr. שֹׁרֶשׁ (radix).

Sufes pl. *Sufetes*, summus magistratus Carthaginensium. Liv. 28, 37: sufetes

Digitized by Google

eorum, qui summus Poenis est magistratus. 30, 7: sufetes, quod velut consulare imperium apud eos erat. Plerique fere libri *suffetes*, sed *sufetes* habent antiquiores, item Festus: sufes, consul lingua Poenorum, et vetera monumenta, v. Gruter. p. 470, 1. 2. Drakenb. ad Liv. 30, 7. Ipsum Phoenicium שפם (שֹׁפֵט iudex) habes in inscr. Carthag. 5. In Phoenices propriae urbibus iidem *δικασταί* appellabantur. Jos. c. Apion. 1, 21.

Φυλλεσαδέ, ὑποκιστίς, herba memorabilis cistorum radicibus adhaerens (Cytinus hypocistis) Diosc. 1, 127. Sprengel scribit פלאי שדה, malo פלאי שדה *miracula agri*.

Χαβαλών, οὐκ ἀρέσκον. Jos. Arch. 8, 5 §. 3: *μεθερμηνεύομενον γὰρ τὸ Χαβαλὼν κατὰ Φοινίκων γλῶτταν οὐκ ἀρέσκον σημαίνει*. In V. T. respondet כָּבוּל 1 Reg. 9, 13, cuius significatio et ipsa obscura est (proprie כבול idem valere videtur quod גבול, h. l. vero a scriptore sacro ita accipitur, quasi esset pro כהבול): Josephus autem h. l. nonnisi ex sermonis contextu coniecturam fecisse videtur.

Χεβροδλάψον, placentae genus apud Phoenices, *πλακοὺς ἐκ γάλακτος, ἐτρίων τε καὶ μέλιτος*. Athen. 3, 126 a. Quod supra dedimus, habent Pal. Casaub. 1, ed. Venet., codd. A. B. D apud Dindorfium *χθωροδλάψον*. Illud Boch. 727 interpretatur חברות לחבץ compositiones pulmenti, ego malim חברות לבש *striae* s. *virgulae*, *maculae vestis* (cf. thes. v. חֶבֶר no. 3 et quae ibi laudantur), placentarum nomen a qualicunque similitudine ductum (ut apud nos *Horn*, *Knötel*): hoc esse possit עֲטָרָה לבש (כֶּתֶר) corona vestis.

Χερδάν, ὀρεία χλόη, ἠρύγγιον, cardui genus. Diosc. 3, 21. Boch. 753 ducit a חרד q. d. Schreckkraut.

Χούδουα, σχοῖνος, ἑλεία, iuncus palustris Diosc. 4, 52. Boch. 757 אֲחוּ דְיוּ frater atramenti, num forte אֲחוּ דָוָה frater fluxus?

Χουλοίμ, πολύγονον, etiam *χιλιόφυλλον, πολύκαρπον* Diosc. 4, 4. Spr. coniicit חילים, an potius אחי עלים, quod esse possit *multifolium*.

Χουρζῆτα, χρυσάνθεμον Diosc. 4, 58. Bocharto videtur gr. *χρυσῖτις*, Sprengelio arab. قرّاص chamaemelon, mihi in *χουρζ* latere videtur חרוץ aurum, unde חרציתא esset *aureus* (flos).

Χουρμά, ruta Diosc. 3, 46. Est חרמל, arab. حَرْمَل Avicenn. 174, abiecto l, ut in *Iuba* pro Iubal §. 23, 2.

Χουρμά σεμμακέδ ruta silvestris. ibid. 3, 47; חרמל שמקד ruta Macedonica, quoniam in Macedonia crescebat (Boch. 754). Appellatur quoque *ἅρμαλα*, quod itidem ductum a חרמל.

Χουσωρός, principium quoddam superius in cosmogonia mythica et allegorica Phoenicum, ex Ulomo (עולם) ortum Damasc. de princ. p. 385. Ut *Οὐλωμός* pro עולם, ita hoc pro קוֹשֶׁר *coniunctio* dictum est.

Χούφφοις (lege chuffis), anemone Diosc. 2, 207. Spreng. חֻפָּץ deliciae. Num forte est אֲחוּ פרש pro נפרש frater venti i. e. (flos) a vento dictus? an potius *φοις* = פשׁ valet *linum*, ut supra in *Ζεραφοῖς*?

C. *NOMINA PROPRIA HOMINUM ET DEORUM EXPLICATA.*

§. 17.

Eximias veterum linguarum Semiticarum opes superesse in nominibus propriis, satis constat inter viros doctos, nec plane defuerunt, qui Phoenicum et Poenorum

Digitized by Google

nominibus propriis illustrandis operam darent: inter quos post Scaligerum, Bochartum, Mignotium al. (p. 331) praecipue meruit Hamakerus, qui (Miscell. p. 172 sqq.) duplicem nominum propriorum indicem satis copiosum, alterum personarum, alterum urbium et locorum pertexuit, in utroque tamen omisit, quae vel ab aliis satis bene explicata essent, vel quorum probabilem explicationem ipse dare non posset. Nobis quidem, quum omnia et singula, quae ex ingenti illo veteris linguae naufragio servata sint, in unum corpus colligere propositum sit, intra hos fines nos continere non licuit: id igitur egimus, ut, quoad eius fieri posset, plenam et integram omnium nominum propriorum enumerationem exhiberemus, singulisque ad scripturam vernaculam originemque revocandis operam dedimus. Ad Hamakeri autem exemplum nomina propria personarum s. hominum et deorum seorsum posita nominibus locorum praemisimus, quia utrumque hoc nominum genus nonnulla habet sibi peculiaria, et prioris quidem generis explicandi omnino minor est difficultas. Horum enim nominum, ut recte observat Hamakerus p. 216, significatio arctioribus limitibus circumscripta est, quum pro singulari quadam Poenorum δεισιδαιμονίᾳ plurima, ad pietatem erga deos pertinent, et modo eorum, qui nomina gerant, pietatem laudare, modo parentum gratum animum commemorare, modo hominem significare soleant, qui quaecunque habeat, diis accepta referat vel a deorum auxilio exspectet. Cui accedit, quod magna saepe inter nomina pp. Hebraica et Phoenicia similitudo reperitur, ut non raro hoc solum discrimen sit quod Phoenices pro Jehovae nomine Baalis aliorumque numinum titulos posuerunt.

De priore autem hoc Onomastico nostro haec in universum teneantur:

1. Recepimus in hunc indicem nomina pp. hominum Phoeniciorum, Carthaginensium, Numidicorum, quotquot reperiri poterant et originem Phoeniciam prae se ferre videbantur *), non solum ex scriptoribus profanis Herodoto, Diodoro, Polybio, Appiano, Arriano, Philone Byblio, Sallustio, Livio, Plauto, Iustino, Plinio al., sed etiam ex inscriptionibus **) et ecclesiae Africanae patribus, velut Cypriano et Augustino,

*) Non pauca ad Graecae Latinaeque linguae similitudinem conformata sunt, licet manifesto domesticum nomen Punicum sub iis lateat, veluti *Hecebolus*, *Misagenes*, *Midacritus*, *Sappho*, *Straton*, *Tetramnestus* al.; Bochartus tamen et Hamakerus in hoc nominum genere statuendo nimii fuerunt, et plura huc retulerunt, maxima Cypria nomina, quae non alius quam Graecae originis sunt, velut *Aërias*, *Rhoecus*, *Penthylus*, nosque propterea omittenda putavimus.

**) Nonnullas huius generis inscriptiones, quae ad Africae civitates in hospitium et clientelam receptas pertineant, apponere placet. Duas servavit Gruterus p. 470 quarum una (Romae in tabula aenea) haec est: L. Silano Flam. Mart. C. Vellaeo Tutore Cos. (i. e. A. V. 763) pridie Non. Decemb. Civitas Afisia maius hospitium fecit cum C. Silio C. F. Fab. Aquiola ..... Egerunt Hasdrubal Jummo Hasdrubal Hannonis Chinisdo Sufetes Saepo Chanebo Jader Jummo Banno Gabali Aristo Apoi Legati. Altera iisdem Coss. eodemque die: Senatus populusque Siagitanus hospitium fecerunt cum Silio ... agente Celere Milchonis Gulalsae filio Sufete. Ita Ursinus, sed Imilconis Gulissae Selden. de Synedr. 1, 14. Guilissae Boch. Canaan p. 473. Simile tesserae hospitalis exemplum ad Themetram, Africae oppidum, pertinens, est apud Maffei. Mus. Veron. p. 472, cui haec nomina subscripta: Egerunt

Digitized by Google

atque Conciliorum Actis, quanquam haec Christianorum scriptorum documenta largius spicilegium ad alteram nostram indicem (litt. D) locupletandam suppeditarunt. Addidimus, quae de deorum heroumque nominibus memoriae prodita sunt: consulto autem omisimus nomina tum Cabirorum, tum regum Pastorum Hycsos dictorum, de quorum origine Phoenicia propter formas insolentiores et a reliquorum facie abhorrentes dubitamus quarumque explicationem ab aliis propositam nostram facere non potuimus *): omisimus etiam pleraque Cypriorum hominum nomina ab Hamakero recepta, quae nobis graecae originis videntur. In disponendis autem his nominibus latinarum litterarum seriem secuti sumus formamque Latinam, ubi talis exstabat, Graecae anteposuimus iccirco quod Romani vocabulorum Punicorum formam plerumque integriorem servarunt, quam Graeci, qui in peregrinis nominibus suae linguae consuetudini nimis indulgere solebant.

2. Quum eximia sit horum nominum, maxime rariorum, in libris manu scriptis corruptela atque scripturae varietas, editoresque in forma earum constituenda saepe consilii inopes huc illuc fluctuent, adhibito apparatu critico ubique operam dedimus, ut, quoad fieri posset, genuinam eorum scripturam restitueremus, quae cum etymo et linguae Punicae indole congrueret, non desperantes fore, ut hac nostra opera aliquam apud futuros illorum scriptorum editores gratiam ineamus (v. Azemilcus, Balatorus, Atherbal, Bithyas, Myrcalos, Saphon, Methymatnus).

3. Maxima veri etymi inveniendi difficultas cernitur in insigni licentia, qua tum ipsi Poeni tum Graeci et Romani in nominibus contrahendis, decurtandis, ne dicam mutilandis usi sunt: quae quidem causa paullo copiosius disputanda est, ne in his ad legitimam originem revocandis iusto audaciores fuisse omnesque probabilitatis fines migrasse videamur: intelligant etiam lectores, quid caussae sit, quod a nonnullorum etymo indicando prorsus abstinendum putaverimus. Etenim iam apud ipsos Poenos domestica scriptura utentes subinde formae ita contractae reperiuntur, ut de etymo eorum dubites (מעקר pro מלקר, מכת pro מלכת, חכמחבעל pro חכמחבעל): multo maior autem sive audacia sive licentia est, ubi huiusmodi nomina, praesertim longiora,

---

Banno Himilis f. Supes Azdrubal Baisiliecis f. Iddibal Bosiharis f. Leg., aliudque ad pagum Gurzensem pertinens in Museo Academiae Cortonensis exstat in *Actis fratrum Arvalium* (Romae 1795. 4.) p. 782, editum cui haec nomina subscripta: Ammicar Milchatonis f. Cynasyn Boncar Azzrubalis f. Aethogurzensis Muthumbal Saphonis f. Cui. nas. Uzitensis.

*) Ex Cabirorum nominibus (Schol. ad Apollon. 1, 917) unum *Κάσμιλος* Phoeniciam originem redolet (v. infra h. v.), unde non sequitur, etiam reliqua *Ἄξιερος, Ἀξιόκερσος, Ἀξιόκερσα* eiusdem originis esse. Parum felices certe Bocharti et Schellingii in iis ex lingua Hebraea interpretandis conatus (Canaan p. 747. Schelling Gottheiten v. Samothrace p. 67 sqq.): et probabiliora certe ex lingua Aegyptiaca dedit Zoëga de obelisc. p. 220. — Eiusdem originis saltem ex parte videntur regum Hycsos dictorum nomina, quae haec sunt apud Josephum c. Ap. 1, 14: *Σάλατις, Βηών, Ἀπαχνάς, Ἄπωφις, Ἰανίας, Ἄσσις*, apud Syncell. p. 113 Dind. *Βνῶν* (al. *Βυῶν, Βηών*), *Παχνάν, Σταάν, Ἄρχλης, Ἄφοβις*. Quanquam enim *Σάλατις* (שלם), *Ἰανίας* (יעבי), *Ἄσσις* (עזי) originem Phoeniciam admittant, aliorum quorundam origo manifesto Aegyptia videtur, ut *Ἄπωφις* ⲁⲫⲱⲫ gigas.

Digitized by Google

Graecorum Romanorumque usu trita sunt, qui non solum peregrinorum nominum asperitatem mitigare, sed eadem ad suae linguae similitudinem deflectere solebant. In *Suniatho* (Iustin. 20, 5) quis *Sanchuniathonis* nomen agnoscat, nisi memor sit, hoc nomen etiam *Σουνιαθων* et *Σαγχουνιάθος* appellari? Quis coniectando assecutus fuerit *Sichaeum* et *Acerbam* idem nomen esse, nisi a Servio edoctus, genuinam formam *Sicharbam* esse, quae utriusque illius communis fons est et aptissimum etymon offert? Quis, ut exemplis aliunde petitis utamur, nomina nostra *Hans*, *Fritz*, *Minna* ex *Ioannis*, *Friderici*, *Guilielmae* nominibus orta crediderit, nisi quotidianus linguae vernaculae usus testis esset locupletissimus? Iusto igitur horum nominum interpreti ante omnia id agendum est, ut primam et nativam eorum formam restituat: siquidem is, qui *Suniati*, *Sichaei*, *Bostoris*, *Stembae* nomina, ut nunc sunt, ad etymon revocare vellet, non minus erraret, quam qui illa mutilata nostrarum linguarum nomina ad proximam aliquam originem referre vellet: quanquam fatendum est, contractiores illas formas subinde ita effictas esse, ut novi etymi speciem assumserint et quasi mentiantur. Non magnopere reprehendas eum, qui *Iusti Ionae* nostri praenomen *δίκαιον* significare dixerit, et tamen is falsa docuerit. Nativum enim eius praenomen in baptismo ei datum erat *Iodocus*, in vita communi contractum, in *Iost*, quod quidem ipsum Ionas latine scribens *Iustus* efferre solebat. Sic qui *Sichaeus* Phoeniciis litteris זַמִּי scribebant, per se absurdi non erant: quum vero ex Servio constet, illam formam a Virgilio demum effictam esse, ut nativae illius (Sicharbae) asperitas mitigaretur, apparet, eam utpote secundariam non magis ad etymon aliquod proximum revocari posse, quam germ. *Minna*, quod male ad *amoris* significationem retuleris, quum e pleniore Guilelmina ortum sit.

Ut autem intelligant lectores, quomodo in huiusmodi nominibus contrahendis decurtandisque versati sint sive Poeni sive Graeci et Romani, potiora exempla ad quaedam capita revocare placet. Non solum enim singulae litterae, maxime molliores, extrusae sunt et abiectae, sed integrae etiam syllabae perierunt. Ac *singulae* quidem *litterae* abiectae sunt a) *ab initio*, veluti *y* in *Bodostor* pro עבד עשתר. b) *e medio*, veluti *b* (ב) in חכמחבעל pro חכמחעל, צברחבעל pro צברחעל, Iugurtha(l) pro *Iugurthbal* (cf. Gulalsa, Magdalsa, Narthalus) *); *d* in *Ballonymus* pro *Badlonymus*, *Camilus* pro *Cadmilus*; *c* (כ) in *Hiempsal* pro חכמשבעל, מלקרת pro מלך קרת; *m* in *Oesalces* pro *Osmalces*. c) in *extremis nominibus*, veluti *l* in *Micipsa*, *Massiva*, *Iugurtha*, *Iuba* al. quae dicta sunt pro *Micipsal*, *Massival*, *Iugurthal*, *Iubal*; item *r* in *Malica* pro *Malicar*, *sa* pro *sar* in Gulalsa, Magdalsa, cf. *atzi*, *zi*, *si* pro *atzsir* חצר gramen apud Diosc., ne dicam de memorabili mutatione syllabarum *al* et *ar* in *ô* (§. 23, 1); denique *t* in *Milcar* pro Milcarth, *Astor* pro Astoreth (cf. Bodostor).

*) Occurrat forte aliquis, de hac sententia integri vocabuli בעל *bal* unam tantum litteram superesse, idque omnem fidem superare. Hunc vero memorem esse iubeo, id ipsum in nomine *Sabrucha* probari posse, quod in numis צברחבעל scribitur, idemque in nominibus Hebraeis usu venire, quae nominis יהוה extremis vocibus adiecti saepe unicum vestigium servant in *a* vocali, velut מַעֲשִׂיָּה pro מַעֲשִׂיָּהוּ; מַחְנִי pro מַחְנִיָּה, חִלְקִי pro חִלְקִיָּה, v. Simonis Onom. V. T. p. 551.

Digitized by Google

Integrae syllabae perierunt a) *ab initio*. Ut apud Arabes *Hamdie* dicitur pro *Muhammedia* et apud nos *Hans*, *Klaus*, *Betty*, pro Johannes, Nicolaus, Elisabeth, ita apud Poenos *Carthalon* pro *Melkart-alon*, *Carteja* pro *Melcarteja*, *Sicharba* (adeoque Acerba) pro *Masi-charba*, *Syphax* pro *Masimac*, *Stembal* pro *Mastanabal* cf. in V. T. אֲבִיעֶזֶר pro אִיעֶזְרִי Num. 26, 30, יְמִינִי Benjaminita, pro בֶּן־יְמִינִי 1 Sam. 9, 1 sqq. b) in mediis vocibus, ut in *Sanchuniathon — Suniatus; Bomilcar — Boncar; Bodostor — Bostor*. c) extremis vocibus, ut *Himilco — Himil*. Ceterum de litterarum vocaliumque ratione et mutationibus vide quae infra disputata sunt §. 22 sqq.

§. 18.

Ἄββαρος iudex et pontifex maximus Tyriorum Jos. c. Apion. 1, 21. Respondet hebr. חַבָּר Iob. 40, 30 i. q. חֶבֶר socius, sec. alios i. q. חֹבֵר incantator.

Ἄβδαῖος, pater Chelbae, iudicis Tyriorum, ibid. Respondet עַבְדִּי, quod (cf. nomm. propria Hebraea in יָ— p. praec.) decurtatum videtur ex עַבְדִּיָהּ servus Jehovae: cuius generis nomina propria (cf. אוּרִיָּה n. pr. viri Hethitae; מוֹבִיָּה Ammonitae nomen Neh. 2, 10. 4, 1) etiam apud gentiles reperiri, mirum videri non potest, quum nomina personarum ex una religione in alteram transferri soleant (cf. *Isidorus*, *Dionysius*, de hominibus Christianis), ne memorem Jehovae a Phoenicibus quoque culti vestigia quaedam, etsi incerta, extare (Gen. 14, 18. Philo Bybl. ed. Orell. p. 3). Cf. Bithyas.

Abdalonimus (עבד עלים servus Superorum, cf. de forma *alon* pro עֶלְיוֹן ad Plaut. Poen. 5, 1, 1), rex Tyri tempore Alexandri Iust. 10, 10, ubi recte ita Gronovius. Apud Curtium 4, 1, 19 in editt. est *Abdalominus*, pro quo idem illud reponendum est. Congruit Ἀβδαλώννμος (qua forma alludere volebant ad gr. —ωννμος), quod olim lectitatum est Diod. 17, 42, ubi nunc corrupte Βαλλώννμος, neque falsum quod idem rex apud Plut. de fortit. Alex. 2, 19 Ἀλόννμος appellatur, nam עבד in huius generis nominibus omitti solet, cf. pag. 136 et infra §. 38.

Ἀβδαστάρτος, rex Tyri, Jos. c. Ap. 1, 18, cf. Syncell. p. 345 Dind. (ubi Goarus Αὐδάστρατος). Est עבדעשתרת, *servus Astartes*, unde contractum בדעשתרת (pag. 347), punice *Bodostor* q. v. Apud Theophil. Antiochenum idem appellatur *Metuastartus* מתו עשתרת *vir Astartes*.

Ἀβδήλεμος vir Tyrius, pater Mytgoni et Gerastrati iudicum Jos. c. Apion. 1, 21. Est עבד אלים servus deorum, quod accuratius scribendum erat Ἀβδήλημος.

Ἀβδήμων vir Tyrius, Menand. ap. Jos. c. Ap. 1, 18, sed apud Dium ibid. §. 17 Ἀβδήμονος, cod. Haun. Ἀβδήμοννος. Eadem scripturae varietas est Jos. Archaeol. 8, 5 §. 3, et apud Syncellum p. 345 Dind. *Abdemonis* nomen gessit etiam alius vir Tyrius, regulus Salaminius Diod. 14, 98. Si integrum est n. pr., scribendum est עַבְדֶּאֱמֶן, עַבְדּ־אֱמֶן *servus fidei* i. e. servus (deorum) fidelis: videant autem eruditi, sitne *Abdemon* fortasse dictum pro *Abdesmun* עבדאשמן (servus Aesculapii), ut Casmilus, Camilus, quod quidem nomen proprium in inscriptionibus tam frequens (vide pag. 354 A) graece scriptum, nisi hoc est, non reperiretur.

Acervas v. Sicharbas.

Adherbal, Numidiae regulus, Micipsae filius Sallust. Iug. 5, 7, it. dux Carthaginensium Flor. 2, 6. 3, 1. Eutrop. 4, 11. Aurel. Vict. 66, ubi praeter illam formam in codd. saepe scribitur *Atherbal*, rarius

Digitized by Google

Aderbal (v. Corte ad Sallust. l. c.), gr. Ἀτάρβας Diod. 24, p. 336. 34; p. 134 Bip. Polyb. 1, 46. 49. 53. Quae quidem durior forma et maiore auctoritate et meliore etymo commendatur. Namque *Atherbal* scribendum est עתרבעל i. e. *cultor Baalis* (עָתַר בַּעַל) cf. Lex. man. v. עָתַר no. I, max. עָתָר cultor Dei Zeph. 3, 10: ex duriore forma orta est lenior, sed aspiratione tamen munita. Quod olim conieci (hist. ling. hebr. p. 228) אדיר בעל, scribendum erat *Addirbal*.

Ἄδωδος, *βασιλεὺς θεῶν* ap. Phoenices, Philo Bybl. Orell. p. 34. Est הָדַד Veteris Test. v. Thes. l. hebr. h. v.

Ἄδωνις numen Phoenicum, cuius cultus etiam in Graeciam translatus est (v. quae laudavit Creuzer Symbolik II, p. 91 sqq.). Proprium eius nomen erat תַּמּוּז Ezech. 8, 14, et Ἄδωνις אֲדֹנִי (non אָדוֹן) est merum attributum, ut אֲדֹנָי epitheton Jehovae, *Baaltis* בעלתי (domina mea) attributum Astartes. Amabant enim Semitae, vocibus *dominum*, *herum* significantibus, maxime ubi ad numina referebantur, primae personae pronomen addere: *dominus meus*, *dominus noster*, vide בעלן pro בעל Numid. 2, 3 (p. 204) et saepe, ubi attributum est Carth. 3, 1. 5, 1, cf. de hebraeo אֲדֹנָי thes. ling. hebr. T. I. p. 328. syr. ܡܪܝ *dominus meus* pro *dominus*, nostr. *Notre* Dame, *Unsere* liebe Frau, *Mon*sieur.

Ἄγβαλος, Merbalis, regis Aradii, pater Herod. 7, 98, ubi alii codd. Ἄρβαλος. Vel est חגבעל festum celebrans Baalis, cf. חַגַּיָּה festum celebrans Jehovae, unde decurtatum est חַגּוּ, חַגִּי, vel עגב בעל altero b extruso, *deliciae Baalis*, quod praefero.

[Hamakerus Miscell. p. 176 nescio quo errore hic inserit *Agyrin*, regem Cypri laudatum Diod. XIV p. 716, qui Agyrinensium in Sicilia rex est].

Ammicar forma contr. pro *Ammilcar*, inscr. Corton (p. 397).

Amilcar, v. Hamilcar.

Ampsigura, mulier Poena Plaut. Poen. V, 2, 105. 108. Est אמת יגרה *serva timida* sc. deorum, i. e. pia deorum cultrix, cf. Iugurtha. P insertum est more Latinorum in *sumpsit*.

Anna, soror Didonis divinis honoribus ornata, vide ad Carth. 5, 5. Apud Phoenices ea scribitur חַנָּא, quod respondet hebr. חַנָּה 1 Sam. 1, 2 sqq. Latine propterea emendatius scribas *Hanna*, ut *Hannibal*, *Hamilcar*, in quibus eadem radix latet; causa tamen, cur hoc maxime nomen sine aspiratione scriptum inveniatur in Virgilii, Ovidii, Silii codicibus, haec est, quod *Anna* Carthaginensium a Romanis cum *Anna Perenna*, anni dea, variis modis confusa est (cf. Schneider gramm. lat. I, 194).

Annibonius, episcopus Robautensis, e secta Maximianistarum, Augustin. in Ps. 36. Opp. IV, p. 210. *Annibo* contractum pro *Annibal* (v. §. 232): ex illo ortum *Annibonius*. Cf. infra Chanebo.

Ἀνοβρέτ nympha in mythis Phoenicum, ex qua *Κρόνος* filium suscepit, Philo ap. Porphyr. v. Orell. p. 43. Boch. 712 explicat חֵן עִבָּרַת ex gratia concipiens, malim (quem) *donavit conceptrix* i. e. mater.

Ἄνυσος, Tetramnesti, Sidoniorum regis, pater Herod. 7, 98. Scribi potest אֱנוּשׁ, ut Sethi filius patriarcha, vel אָנוּשׁ aeger, vel עָנוּשׁ mulctatus: sed illud magis placet, quum haec fere mali ominis sint. Hamakero (p. 177) compositum videtur ex חן עזיז gratia Martis.

Apo (gen. Apoi), n. pr. legati, inscr. Gruter. (p. 396). De etymo nihil definio, licet plura cogitari possint, velut *Apo* dictum esse pro *Apar* (§. 23) אָפָר, vel אַפּוֹ *facies eius* sc. Baalis.

Arabion, filius Manassis Numidae, Appian. civ. 4, 54 sqq. Scribendum ערביון *ex Arabia oriundus*, vel *occidentalis*.

Arin s. Arines, dux Carthaginensium in

Digitized by Google

Hispania. Liv. 26, 49 de nova Carthagine capta loquens: „Aeque et alia inter auctores discrepant. ..... Ne de ducibus quidem convenit. Plerique Laelium praefuisse classi; sunt qui M. Iunium Silanum dicant. *Arinem* praefuisse Punico praesidio, deditumque Romanis, Antias Valerius, Magonem alii scriptores tradunt.“ Pro *Arinem*, quod recepit Drakenborchius, alii libri habent *Arimem*, *Arimen*, *Arionem*, *Arnionem*, *Armem*, quod ipsum receperunt editt. principes. Sed illud unice verum esse ostendit Nic. Heinsius ad Sil. Ital. 15, 232, ubi idem dux *Aris* (אֲרִי leo) appellatur. Ex eodem illo *Ari* (leo) ortum est *n*, ut fit, adiecto *Arin* Valerii Antiatis, unde in accus. *Arinem*. Bifariam autem in h. l. tractando erravit Hamak. p. 178. Partim quod contra Silii auctoritatem scripturam *Arimem* recepit, quam interpretatur חרים *simus*: partim quod Livii locum ita intellexit, quasi Armes s. Arimes Magonis epitheton fuerit, quam sententiam verba non admittunt, quae ad scriptorum in personis indicandis dissensum referenda sunt.

Aris, homo Sardus, sed Africanae stirpis, qui Bostaris cuiusdam matrem duxerat Cic. pro Scauro §. 14. 18. it. dux Poenorum Sil. Ital. XV, 232 cf. Arin. Hamak. Miscell. pag. 312 id scribit חָרִישׁ, حارث arator, ego אֲרִי *leo*, s adiecto, ut in Adonis אֲדֹנִי, Baaltis בעלתי.

Aristo, vir Tyrius Liv. 34, 61, it. sufes Carthaginensis, in num. Carth. tab. 16 inscr. Grut. (p. 396). Idem nomen (Ἀρίστων) etiam apud Graecos usitatum est (Diod. 3, 41. 13, 10), in quorum lingua origo eius in promtu est: quum vero identidem Phoenicibus tributum reperiatur, haud scio an Punicae originis sit et fortasse decurtatum ex *Aristor*, *Aristoreth* (ארי עשתר leo i. e. heros Astartes). Cf. Bostor, Bodostor.

Arpas, minister Iugurthae, Sallust. Respondet vel חַרְבָּא gladius, vel חָרֵף n. pr. 1 Par. 2, 51.

Ἄσασις, dux Masinissae Appian. 8, 70. Respondet עזזי (עָזָזִי) fortis, validus, cf. nomm. propria hebraea עֲזִיזָא, עָזָז, עֲזִי et infra *Azizus*.

Asdrubal, gr. Ἀσδρούβας, complurium ducum Poenorum nomen (vide indd. ad Livium, Polybium, Appian.), etiam *Azzrubal* inscr. Corton. (p. 397) et *Azdrubal* inscr. Maff. (ib.). Male Bochartus p. 744 id scribit אזור בעל, quum manifesto sit עזרו בעל (hebr. עָזְרוֹ בַעַל) cuius *auxilium* est *Baal*, cf. nomina hebraea עֲזַרְיָה, עֲזַרְיאֵל Ἀζαρίας. Propter hoc ipsum etymon autem praestat latine scribere *Asdrubal* quam *Hasdrubal* (inscr. Grut. p. 396), quanquam contra *Hanno*, *Hannibal*, non *Anno*, *Annibal*. Nam ע fere nunquam *h* littera exprimitur, §. 22, 2.

Ἀσέρυμος, rex Tyriorum Jos. c. Apion. 1, 18, pro quo Syncellus p. 345 Dind. Josephi locum exhibens dat Ἀστάρυμος, Theophilus Antiochenus lib. III p. 254 Ἀθάρυμος, quod depravatius est. Duae priores formae significatu prorsus conveniunt: nam prior est אֲשֵׁרִים (Astartae) pro pleniore עבד אשרים cultor Astartarum (v. p. 136), posterior עשתרים pro עבד עשתרים: אֲשֵׁרָה enim et עַשְׁתָּרֶת eiusdem deae nomina sunt, v. thes. ling. hebr. v. אֲשֵׁרָה. Pluralis masc. עשתרים, pro quo Hebraei habent עַשְׁתָּרוֹת, non magis offendet, quam אֲשֵׁרִים, אֲשֵׁרָה.

Aspar, legatus Iugurthae, vir Numida Sallust. Iug. 108 sqq. apud Appian. fragm. Numid. 4 Ἄψαρ, litteris transpositis. Illa forma, quae nativa esse videtur, scribenda est אַבְשָׂר pulcher, haec esse possit אבשר pater princeps.

Astarte Ἀστάρτη dea i. q. עַשְׁתָּרֶת, quod tritum.

Ἄσταρτος rex Tyri, Menand. ap. Jos.

Digitized by Google

c. Ap. 1, 18. Est עשתרת pro עבד עשתרת servus Astartes, cf. p. 136 et infra §. 38, 1.

Astarymus v. Aserymus.

Atherbal v. Adherbal.

Azzrubal v. Asdrubal.

Ἀζέμιλκος, rex Tyri, Arrian. II, 15. 24. „In libris antiquis hoc nomen scribitur *Ἀζέλμικος*, *Ἀζέλκημος*, *Ἀζέμικλος*, *Ἀζέμιλκος*." Gronov., qui quartam hanc scripturam praefert. Et recte quidem, est enim עז מלך (עַז מֶלֶךְ) *fortis* s. heros *Regis* i. e. Baalis. ε in *Ἀζέμιλκος* insertum est, more Schwa mobilis, ut geminatio latens in עז quodammodo exprimatur (vide §. 31, 3). Hamak. Miscell. p. 151 legendum censet *Ἀζέλμιλκος* coll. arab. عزّ الملك *maiestas regis*, sed formas arabicas ex coniectura intrudere vix et ne vix quidem licet.

Baal (בעל) 1) numen primarium Poenorum, quod sexcenties in nominibus propriis virorum comparet, modo explicatius, ut in *Asdrubal*, *Banobal*, *Ecnibal*, *Hannibal*, *Iddibal*, *Inibal*, *Ithobal*, *Muthumbal*, *Mastanabal* (Stembal), *Merbal* al., modo occultius, ut in *Mezetul* pro *Mezethbal* (cf. §. 17 extr. §. 19, 2 extr.). 2) rex Tyriorum (pro עבדבעל §. 38, 1), Menand. ap. Jos. c. Ap. 1, 12.

Βααλτίς, Astartes nomen apud Phoenices. Philo Bybl. p. 38 Orell.: *Βααλτίδι τῇ καὶ Διώνῃ*. Hesych. *Βήλθης* (lege Beltis), *ἢ Ἥρα ἢ Ἀφροδίτη*. Scribe בעלתי *domina mea*, et vide s. v. *Adonis* et *Βωλαθής*.

Βαδέζωρος, rex Tyriorum, Ithobalis filius, Jos. c. Ap. 1, 18, quem Theophil. Antioch. III, p. 254 *Βάζωρον*, Syncellus p. 345 Dind. *Βάλζερον* (al. *Βαλέζερον*) appellat, Eusebius Armenus corrupte Balelorum. Primam formam, haud dubie nativam, Ham. Miscell. p. 181 explicat בד אזור vectis cinguli i. e. princeps cinctus: ego nullus dubito, quin *Badezor* dictum sit pro *Badestor* i. q. Bodostor בד עשתרת *servus Astartes*, quod ipsum habes inscr. Carth. 2. Formae *Βάλζερος*, *Βαλέζερος* ex illa corruptae sunt, *Λ* pro *Δ*.

Baisiliec, pater Asdrubalis sufetis, inscr. Maff., cui admodum vicinum est *Βάσλαχος* cod. Haun. *Βάσληχος*, pater Ecnibalis, iudicis Tyrii Jos. c. Ap. 1, 21. Hanc simpliciorem formam equidem lego בצלח pro בן צלח *filius fortunae* i. e. felix, ut hebr. בִּדְקַר pro בֶּן־דְּקַר filius transfossionis i. e. transfodiens, בַּעֲלִיס pro בן עליס al. (v. Lex. man. p. 128 et sub vc. בִּמְהָל, בִּשְׁלָם), et arab. بلغنبر pro بنو الغنبر Tebrizi ad Hamas. ed. Freytag p. 3. Illam Punicam contra legerim בי צליח *Bai siliec* i. e. *domus felicitas*, *ie* pro *i*, ut *atier* pro *atir* §. 16 h. v. Cf. etiam n. pr. מסלח = מצלח inscr. no. 43.

Βαλάτορος, iudex Tyrius, Jos. c. Ap. 1, 21, ubi tamen cod. Paris. habet *Βαλάστρατος*. Illud Ham. p. 181 scribit בעל עתר *quem Baal ditavit*, sed genuinae nominis formae proprior est forma *Βαλάστρατος*, quae nihil aliud esse videtur atque בדלעשתרת *servus Astartes* i. q. vulgare בדעשתרת, inserto ל, de cuius in his locutionibus usu v. pag. 199, maxime n. pr. עבד לשלמם Cit. 3 lin. 3.

Βαλεάζαρος, rex Tyri, Hiromi filius, Jos. l. c. §. 21, *Βαλβάζερος* Sync. ed. Goar. *Βααλβάζερος* p. 345 Dind., ε male in β mutato. Illa forma satis emendate explicari potest בעלעזר (בַּעַלְעָזָר) *cui Baal auxiliatur*, ut אֵלְעָזָר *cui Deus auxiliatur*, fortasse tamen etiam haec contracta est ex בדלעשתרת, cf. nom. praeced. Eandem contractionem habes in

Ballonymus pro *Abdalonimus* q. v.

Banno (*Βάννων*), legatus Carthaginensium Appian. 8, 82, duo alii Poeni, inscr. Grut. 1. Maff. Contractum videtur ex *Bad-Annon* בד חַנּוּן servus Misericordis (quod Baalis cognomen esse videtur, ut

Digitized by Google

Jehovae in V. T. cf. ad Plaut. V, 2, 53), ut *Bostor* ex *Bodostor* q. v.

Banobal, Veneris Erycinae minister Cic. Act. 2 in Verr. 3, 39. Ham. 312 explicat בחן בעל *cum gratia Baalis:* quod non probo, quum alias ob caussas tum quia desideratur, quod respondeat o litterae. Malim igitur בָּנוֹבַעַל *ad quem attendit Baal* i. e. quem rogantem exaudit.

Barcas, *Barca*, frater Pygmalionis, it. cognomen magni Hamilcaris Nep. Ham. 1 et saepe, unde Barcina familia, Barcina factio rel. Est hebr. בָּרָק fulmen, inde n. pr. indicis Iud. 4, cf. بارق fulgens (gladius) et Cic. in Balb. 15, qui Scipiones duo fulmina imperii Romani appellat. Quod in vett. libris passim exstat *Barchas*, *Barcha* recte repudiant Drakenborch. ad Liv. 21, 2, 4. Heusing. ad Nep. Hamilc. init. Eius femininum est *Barce*, Sichaei nutrix Virg. 4, 632.

Βαρμόκαρος, dux princepsve Poenorum Polyb. 7, 9, i. e. בר מעקר filius Herculis, vide quae de hac forma laudavimus pag. 353.

Baslachus v. Baisiliec.

Βηρούθ, mulier semidea, de qua Berytus nomen invenisse dicitur, Philo Bybl. p. 24. Factum videtur nomen ex ipso ברותי Berytus.

Βέτυλος, frater Ili, filius Coeli et Terrae, Philo Bybl. 26 Orell. Est בְּחוּאֵל = מְחוּאֵל *vir Dei.*

Bithyas (*Βιθύας*) praefectus equitum Poenorum Appian. 8, 111. Suidas v. *Βιθίας* id nomen per *i* scribit, et ita *Bitias* Sil. 2, 409. Virg. 1, 738, ubi Servius annotat: „Per transitum Poenorum ducum nomina introducit: nam Bitias classis Punicae fuit praefectus, ut docet Livius [lib. 51. 52, v. Freinsh. suppl.]." Ceterum illa scriptura per *thy* potior est, nam *Bithyas* scribendum videtur בְּחוּדָה i. e. *vir Jehovae* (cf. ad *Abdaeus*) cf. hebr. בְּחוּאֵל = מְחוּאֵל *vir Dei.* Quomodocunque autem explicabis *as*, *Bithy* haud dubie est בְּחוּ = מְחוּ *vir.*

Bocchar, rex Maurorum Liv. 29, 30, it. alius 29, 32, 1, ubi alii codd. habent *Bocar*, *Bucar*, *Bochar*, *Buchar.* Reliquis emendatius est *Bocar*, me auctore in editionibus reponendum, nam hoc est (*b* et *m* permutatis) ipsum *Mokar* מעקר, tritum apud Poenos Herculis nomen, id quod praeter alia luculenter probatur loco Arnobii lib. I pag. 20: „Titanes vel Bocchores (al. Bocores, Bucures) Mauri inter deos gentium connumerantur," ubi *Bocores* sunt Hercules varii, ut Hercules Tyrius, Hercules Libys rel. M huius vocis in B mutati aliud exemplum habemus in fluviorum nominibus *Βώκαρος*, *Βούκαρας*, *Βάκαρας* = *Μάκαρος* Hercules, vide ind. locorum. *Bocoar* pro quovis Mauro dicitur Iuvenal. sat. 5, 90.

Bocchus, *Βόκχος*, quod nomen gerunt duo Mauritaniae reges, a Sallustio, Dione, Appiano saepe memorati, de quorum historia v. Hamak. Miscell. p. 153. Idem valet hoc nomen, quod etiam Bochus et Bocus scribitur in vett. libris, atque *Mochus* (q. v.), utrumque autem contractum est ex *Malchus* (§. 23). Ipsi Poeni pro מלך scribebant etiam מך *móch*, et Libyes fortasse מוך, v. inscr. Tugg. Libycam lin. 4. Quod aliquis occurrat, *Bochi* nomen in monumentis scribi בקו vel בקש, iam supra explosum est pag. 320. 321.

Βοδόστωρ, *Οὐδόστωρ* dux Poenus Diod. exc. Vales. II, p. 566. Mai. nov. collect. II, 53, est בדעשתרת *servus Astartes* Carth. 2, abiecto ת. Saepius etiam hoc nomen apud Poenos contrahitur in *Bostor*, *Bostar* q. v. Apud Phoenices id efferebatur *Βαδέζωρος*.

[*Boëthus*, *Βοηθός*, artifex Carthaginensis Pausan. 5, 17. Graecum videri potest et

Digitized by Google

auxiliatorem significare; possit tamen sub eo latere domesticum etymon בו עת idque pro בר עת (§. 23) filius populi].

Bogudes Maurus, Bocchi 1 filius, Appian. Dio Cass., quem cum Boccho confundere videtur Hirt. de bell. Alex. 59. 62. bell. afr. 23. 25. Mihi contractum videtur ex Bargud (§. 23) = בר גוד filius turmae, גוד = ܓܘܕܐ hebr. גְּדוּד turma. Eiusdem nominis forma solutior abiecto *d* (cf. Bostar) est

Βογούας, Mauritaniae extimae rex, Dio Cass. I, p. 611, qui etiam *Βόγος* appellatur Strabo II p. 100. VIII, 359. XVII, 828, et *Βόκχος* Appian. (v. Ham. p. 154), cf. Boodes.

Βωλαθής Saturni nomen apud Phoenices (?). Damasc. ap. Phot. cod. 242 p. 343 Bekk. (559 H.): *ὅτι Φοίνικες καὶ Σύροι τὸν Κρόνον Ἤλ καὶ Βὴλ καὶ Βωλαθὴν ἐπονομάζουσιν. Βωλαθήν* ex cod. A dedit Bekkerus, in aliis est *βωλαθὶν*, *βολαθήν*. Quid sit *Βωλαθὴς* vel *Βολαθὶς*, neque Bochartus, neque alius quisquam explicavit, Hamakerus propterea (diatrib. p. 10) ficticium suum *Tholad* inferciens legendum suasit *Θολαθήν*: at vel sic Damascii verba difficultate non liberantur, quum et *Bel* et *Θολάθης* Baalem (Solem) significarent, non Saturnum. Quicquid est, *Βωλαθὴς* vel *Βολαθὶς* nihil aliud esse potest quam בעלתי (ע *ô* littera expresso) i. e. *dominium meum* (cf. ad *Ἄδωνις*, *Βααλτίς*) s. *dominus meus*, quae *Eli* s. Saturni compellatio honorifica fuisse videtur.

Bomilcar (*Βοαμίλκας*, *Βουμίλκας*), plurium ducum Poenorum nomen (v. indd. ad Liv. Polyb. App.). Ham. p. 183 id scribit בעו מלקר *petitio Milcaris*, ego diu putavi esse בו מלקר *quocum Milcar est* in quo nihil vitii: malim tamen *Bo* contractum esse ex *Bar* (§. 23), ut sit בר מלקר, quod ipsum fortasse exstat Carth. 5, 5.

Boncar inscr. Corton. (pag. 397), contr. ex *Bomilcar*, abiecto *l*, ut in *Macar*.

Boodes Liv. 17, 4, *Βοώδης* Polyb. 1, 21 §. 6 dux Carthaginensium, ortum videtur ex *Bogudes*, extrusa *g* littera.

Bosihar nomen sufetis, inscr. Maff. Pro BOSIHAR repone BOSTHAR.

Βώσταρος, dux Carthaginensium adversus Regulum Polyb. 1, 30. 79, et

Bostor *Βώστωρ*, praefectus Sagunti, Polyb. 3, 98 §. 5. Liv. 22, 22 al. Utrumque contractum ex *Bodostor* בדעשתר (servus Astartes) *d* littera inter duas vocales extrusa (§. 17 extr.), ut in eodem nomine *Βαδέζωρος* et *Βάζωρος* (v. supra) cf. *Bogudes* et *Boguas*, לֶדֶת contr. לַת; אַחַת ex אֲחֶדֶת, עֵת tempus ex עֶדֶת; אֵת instrumentum ex אֵדֶת, أَدَاةٌ, et in linguis cognatis التى pro الذتى; ܚܕܬܐ novus, ܥܕܬܐ concio, *d* eliso; אוּדְנָא auris, contr. אוּנָא; ወለት: filia pro ወለዶት:, አሐቲ: una, ab አሐዲ: eliso *d*, et in recentioribus linguis belg. *oue* pro *oude* (ex *alt*) al. Vide etiam infra ad *Cadmilus*.

Botas Appian. 7, 43 itidem ortum videtur ex *Botar*, idque ex *Bozar*, *Bostar*, cf. supra *Balazorus* et *Balatorus*.

Cabiri, *Κάβειροι*, dii ab Aegyptiis (Herod. 3, 37) et Phoenicibus culti, septem fratres, modo Vulcani, modo Sydyci cuiusdam filii habiti (Philo Bybl. p. 22 Orell.), operis metallici inventores, rei nauticae praesides (v. Pataeci), maxime in Samothrace mysticis ceremoniis culti. Verisimillimum etiamnum est etymon iam diu a Scaligero, Grotio, Bocharto, Seldeno propositum, a כַּבִּירִים *potentes*, cui respondet *θεοὶ μεγάλοι*, quo nomine saepe compellantur: aliudque, quod nuper placuit Schellingio (üb. die Gottheiten von Samothrace p. 107 sqq.) a חֲבֵרִים socii vel

Digitized by Google

חַבָּרִים incantatores, neque linguae rationibus neque ipsius rei natura magnopere commendatur. Ut enim reliqua taceam, ח littera nunquam graeco *κ* exprimitur, quod ubique כ et ק litteris respondet. §. 22, 3.

Cadmilus s. *Casmilus*, *Camillus*, Cabirus quartus, deorum minister, quem propterea eundem atque *Mercurium* censebant. Scribunt *Κάσμιλος* Mnas. ap. Schol. Apoll. 1, 917, *Casmillus* Varro ling. lat. VI, 3, unde *Casmilla* Virg. Aen. XI, 542 (cf. Macrob. Sat. 3, 8); *Κάδμιλος* Lycoph. 162 ibique Schol. Phavorin. h. v., reliqui *Κάμιλλος*, *Camillus* Plut. Num. 7. Dion. Halic. 2. Festus al., quae quidem postrema forma etiam de pueris ingenuis usurpatur, qui in sacris ministrabant. Nativa forma mihi esse videtur *Κάσμιλος*, unde per Dorismum *Κάδμιλος* (ut *ὀδμὴ* pro *ὀσμή*), et *d* absorpto (v. Bostor) *Camillus:* illam autem explico קָסְמִיאֵל *oraculum Dei* abstr. pro concr. *interpres Dei*, cf. Boch. Hieroz. II, 36. Si genuinum et ex ipso Oriente profectum esset *Κάδμιλος*, id explicari possit קדמיאל qui *ante Deum* est i. e. מְמֻנֶּה לִפְנֵי אֵל *minister Dei*, quanquam hoc minus placet, et minus etiam Bocharti etymon ex arab. خادم אל *minister Dei*, siquidem Arabica antiquissimis his vocabulis nonnisi cautissime adhibenda sunt.

Cadmus (*Κάδμος*), vir Phoenicius, Thebarum conditor, ad fabulosa tempora pertinens. Herod. 4, 147. (Respondet קֶדֶם et *oriens* et *priscum tempus*).

Canani, Cananaeus, Phoenicius, v. August. (v. pag. 340 not. ***).

Capusa, filius Oesalcis, Numidiae regis Liv. 29, 29. Num forte est קִפּוֹד *serpens iaculus* a saltu, quo se proripit, dictus? Non ineptum certe hoc nomen ad bellatorem cum impetu adorientem.

Cartalo (Iustin. 18, 7) et *Carthalo* *Καρθάλων* Diod. 23 pag. 330. 24, 339 Bip. Polyb. 1, 53. 44. Liv. 22, 15. 25, 17. 27, 16 nomen plurium ducum Carthaginensium, recte observante Hamakero p. 184 dictum est pro מלקרת עליון (abiecta syllaba *Mil*), idque tamen non reddendum: Hercules excelsus, sed *Hercules* (est) *summus* (deus), ut יוֹאָב *Jehova* (est) *Deus*, יוֹאָב *Jehova* est *pater*. Similem explicationem iam praeiverat Bochartus (Canaan I, 34) *Carteja* dictum existimans pro *Melcarteja* (Herculea). Cf. §. 17 extr.

Chanebo, vir Carthaginensis, inscr. Grut. (p. 396). Contractum ex *Chanebal* (חנבעל) i. q. *Hannibal* (ex lege §. 23), cf. *Annibonius*.

Chelbes *Χελβής*, iudex Tyriorum, Jos. c. Ap. 1, 21. Est חֵלֶב *adeps*, quod refertur etiam ad *robur* militum (cf. hebr. מְשַׁמְּנִים), inde n. pr. tribuni militum Davidis 2 Sam. 23, 29.

Chinisdo, sufes Carth., Grut. (p. 396). חן עֵזוֹ donum potentiae eius sc. Baalis, nisi forte est pro *Chinisdal*, *Chin-isd-bal* donum potentiae Baalis.

Χνᾶ, nomen primi Phoenicis, Philo Bybl. pag. 40. Rectius Steph. Byz. *Χνὰ*, *οὕτως ἡ Φοινίκη ἐκαλεῖτο*. Nam est כְּנַעַן, abiecto n.

Χρυσώρ Vulcani nomen Phoenicum sec. Philonem Bybl. p. 18 Orell. Si modo Phoenicium est, non male Bochartus p. 706 explicavit חֹרֵשׁ אוּר *πυρὶτεχνίτης*.

Χούσαρθις, dea, quae etiam *Θουρὼ* (תּוֹרָה lex) appellata est, Porphyr. ap. Euseb. p. 42 Orell. (ubi tamen male impressum *Χρούσαρθις*). Hamak. 171 id scribit חֻשָּׁרָה congregans, malim קֻשָּׁרָה coniungens, cf. *Χούσωρος* pag. 395.

Κινύρας rex Cyprius, Syria oriundus Il. 11, 20. Apoll. 3, 14 (כִּנּוֹר cinyra, cithara).

Cutzupitae August. epist. 52 et *Cutzupitani* id. de unitate ecclesiae cap. 3

Digitized by Google

appellabantur Donatistae in urbe Roma, teste Optato a spelunca, quam extra civitatem *cratibus* (ita in Mss. pro *gradibus*) sepserant, ubi celebrabant conventicula sua. Ortum nomen a קָצַב *crates*, unde fortasse קצוב *cratibus septum*, קצובי *Cutzupita* nomen ludricum eius, qui septum habet pro templo.

Cynasyn, n. pr. viri, inscr. Corton. Fort. קְנָזִי venator addito *n*, ut in *Arin*.

Dabar, vir Numida, Sallust. Iug. 108. (דָּבָר fortasse est participiale: loquens, *iubens*, vel abstr. pro concr.).

Δαχάμας, regulus Numidiae App. 8, 41. Scribendum videtur יְדַעְקֹם (Jod abiecto) quem *novit hostis*, vel: quem *curat hostis* i. e. quem sibi perniciosum expertus est.

Δελαιαστάρτος, pater Astarti, regis Tyrii, Jos. c. Ap. 1, 18, pro quo Syncellus male Ἐλεαστάρτος. Illud est דלי עשתרת *liberatus ab Astarte*, cf. hebr. דְּלָיָהוּ, דְּלָיָהוּ quem Jehova liberavit.

Δημαροῦς, rex Phoenicum, filius Saturni, Philo Bybl. 28 Orell. Num forte est דם אריה sanguis leoninus?

Διβδᾶς, Herculis cognomen apud Phoenices. Syncell. p. 299 Dind. Ἡρακλέα τινές φασιν ἐν Φοινίκῃ γνωρίζεσθαι Διβδᾶν ἐπιλεγόμενον, ὡς καὶ νῦν ὑπὸ Καππαδόκων καὶ Ἰλίων. Ita Cod. Paris. A, sed cod. B. Δισανδάν. Ex illo Scaligerus et Bochartus p. 472 non male fecerunt Διωδᾶν (דִּיוֹד amatus, formae אִיּוֹב, יְלוֹד): Δισανδὰν vix Phoenicium fuerit.

Dido Διδώ Carthaginis conditrix. Etym. M. id explicat πλανῆτις, διὰ τὸ πολλὰ πλανηθῆναι, quod Bochartus 472 utcunque vindicat coll. נְדִידָה a נדד: nugae autem quod Servius (p. m. 792) id *viraginem* explicat, Eustathius (ap. Boch. 746) ἀνδροφόνον. Nam דִּידוֹ vel דִּידָה non aliud significare potest, quam *amor*, *deliciae eius* (sive Baalis, sive mariti).

Ἐυνίβαλος, iudex Tyrius Jos. c. Ap. 1, 21: est קני בעל *creatus a Baale*, c. Aleph prosthetico אקני בעל.

Ἥλ i. e. Κρόνος, v. supra v. Βωλαθής. Respondet אֵל *deus*, quo nomine Κρόνος κατ' ἐξοχήν salutatus est, ut apud Hebraeos Jehova, et Hercules Baalis nomine. Aliam formam habet Philo Byblius p. 26 Orell. Ἦλον τὸν καὶ Κρόνον, p. 28: Ἦλου τοῦ Κρόνου, cf. arab. وَيْلٌ, وَلٌ Kamûs p. 1391. 1393, syr. ܘܝܠ et apud Nasoraeos ܐܝܠ ut *Solis* nomen. Nominibus hominum multo rarius annexum reperitur quam בעל *bal*, vide tamen חנאל Cit. 3, *Casmilus*, *Enylus*, *Masseyli* et *Masaesyli*.

Ἐλιοῦν i. e. ὕψιστος, heros Phoenicum, Philo Bybl. 24 Orell. עֶלְיוֹן.

Elisa, priscum Didus nomen Virg. Ovid. Bocharto p. 472 „אֵל אִשָּׁה divina virgo," quod per linguae rationes non licet, rectius עליזה exultans, laeta.

Ἐλοείμ, οἱ σύμμαχοι Ἦλου τοῦ Κρόνου, ὡς ἂν Κρόνιοι. Philo Bybl. 28 Orell. (אֱלֹהִים).

Ἐλουλαῖος, rex Tyri Jos. Arch. IX, 14 §. 2, אֱלוּלַי i. e. mense Elul natus, ut בנחרש Νουμήνιος, cf. ad Athen. 2, 1. Male Boch. p. 353 explicat דְּלוּל laudandus.

Ἔνυλος, rex Bybli Arrian. 2, 20, Ham. עֵין אֵל oculus dei i. e. Saturni, malim עֲנִי אֵל exanditus a deo = Saturno.

Ἐσμοῦνος, Aesculapius Phoenicum, in inscr. אשמן, vide ad Cit. 5.

Gabal, pater Bannonis, Grut. Si simplex est nomen, potest esse גֶּבֶל *mons*, si compositum גאבעל *superbus* s. *elatus Baalis*, stolz auf Baal.

Gala, pater Masinissae (p. 200. 201), prob. גָּאלָא i. e. σωτήρ.

Digitized by Google

Gamalius, episcopus Donatista, August. Opp. T. IX p. 316. 333: vel גָּמָל camelus, vel גְּמַלִּי (qui camelos habet) Num. 13, 12. Idem significat *Gemelius* Augustin. n. pr. IV p. 210.

Gauda, Masinissae nepos, Sall. Iug. 65, vel i. q. עַבְדָּה Abda, Auda (ע fortius pronunciato) vel syr. ܓܘܕܐ irruptio in hostes, concr. irrumpens, adoriens, cf. *Bogudes*.

Gemelius v. Gamalius.

Γεράστρατος, iudex Tyriorum Jos. c. Apion. 1, 21, apud Euseb. arm. Gerastartus, et

Γερόστρατος, rex Aradi, Arrian. 2, 13. Utrumque est גר עשתרת hospes i. e. cliens Astartes, cf. גור Ps. 5, 5 et جار الله hospes i. e. cliens Dei.

Γέσκων Polyb. 1, 66 sqq. 9, 11. Diod. 16, 81, lat. *Gisco* Iust. 19, 2, *Γίσκων* Polyb. 36, 1, apud Livium *Gisgo* (c = ק emollito in g, cf. §. 25, 2) 23, 24. 30, 37 complurium ducum legatorumque Carthaginensium nomen, vel עִשְׂקוֹן rixator, pugnator ab עשק Hithpa. altercatus est, vel, ut Hamak. 188, חזקון robustus.

Giddeneme, mulier Poena Plaut. Poen. V, scen. 3, גד נעמה fortuna favens (Glückshold). De e in altera syllaba inserto cf. *Ἀζέμιλκος*.

Gildo, comes Afer, fautor Optati Donatistae, August. Opp. II, 93. IX, 17. 36, ed. Bened.. Est גלדון, quod *fortem*, *robustum* significasse videtur, coll. جَلُدَ durus, robustus fuit, جَلْدٌ durus vir et agilis.

Gillas v. Tigillas.

Γιλλίκας legatus Carthaginensium Polyb. 36, 1, ubi cod. Bav. *Γιλλίμας*. Scribendum חִלְקָא *portio*, *sors*, Lamed propter euphoniam geminato, ut חֶשְׁבּוֹן LXX *Ἐσσεβών*, arab. حِلْزَة et حِلِّزَة (Hareth ben Hillisa). Coniicere etiam possis, id dictum esse pro *Γιλμίκας* חלק מלקר sors Herculis.

Gulalsa, sufes Poenus, inscr. Grut. Alteram vocabuli partem habes etiam in *Magdalsa* et *Nabdalsa* (fort. Habdalsa). Facile credas eam esse עלזה exultatio: haud scio tamen lateatne in his syllabis, quae secundam nominis proprii partem (ubi vulgo numen comparet) occupant, *balsa* (r) בעל שר Baal princeps, ut illorum omnium nativa forma sit: גְּאֻל בעל שר *liberatus a Baale principe*, מגד בעל שר *donum B. pr.*, עבד בעל שר *servus B. pr.* Ex Gulalsa autem contractum est

Gulussa, *Γολόσσης*, nomen filii Masinissae, Sall. Iug. 5 et saepe. Pro *Gulassa* dixerunt *Gulussa*, ex lege §. 30, 1 extr.

Guntasius, episcopus Benefensis, August. Opp. IV, 210. Num forte גאונת עז *maiestas potentis?* גאון = *gun* habebamus Poen. V, 2, 67.

Hamilcar (*Ἀμίλκας*), multorum ducum Carthaginensium nomen, de quibus vide indd. ad Liv. Polyb. Heeren hist. W. XIII, p. 538. Male Hamak. diatr. 47 id scribit המלקרת, ipsum מלקרת articulo munitum, quod multas ob caussas ferri non potest: contra manifesto est חַן מֶלְקַר quem *donavit Milcar*, cf. חֲנַנְאֵל quem donavit Deus, חֲנַנְיָה quem donavit Jehova. Eadem ratio est nominum *Hannibal*, *Himilco*, in quo posteriore, ut in nostro, *n* plane abiectum est. Sed geminatum est in *Ammicar* quod vide. Omnia haec nomina, quae in Punicis a ח ordiuntur, latine per *h* scribenda esse, recte observarunt Heins. ad Sil. 1, 39. Drakenb. 21, 1, in uno *Asdrubalis* nomine errantes.

Hannibal (*Ἀννίβας*), scribitur חנבעל (gratia Baalis) Melit. 2, 3. 4, pronunciatur חַנִּיבַעַל, cf. hebr. חַנִּיאֵל.

Hanno *Ἄννων* (v. indd. ad Liv. Polyb.),

Digitized by Google

חַנּוּן syr. ܚܢܢ misericors, clemens, quod fortasse Baalis attributum est, ut *Hanno* ellipt. dictum sit pro עבד חנון, cf. *Banno*.

Hasdrubal v. *Asdrubal*.

Ἐξήβολος, vir Tyrius, apud Procop. hist. arcan. p. 42. ed. Nic. Allem. Quanquam graece inflexum est nomen, tamen sub eo latet חִכְבַּעַל, quod exstat inscr. Numid. 2.

Hiarbas, regulus Africae tempore Didonis Virg. Aen. 4, 36. 196. Ovid. Fast. 3, 552. Sil. 1, 417. 2, 58. 8, 54, it. Hiempsalis II. filius. Scribitur etiam *Iarba*, sed apud Silium meliores libri per H (cf. Arntzen ad Aurel. Vict. 77), idque etymo probatur. Vel enim est חַרְבָּא gladius (cf. Iabdas), vel, quod praefero, חִירַבַּעַל *quem Baal nobilem fecit*, חִיר Pi. a חור = חרר nobilis fuit, unde חֹר, חוֹרִי nobilis, cf. חִירָם.

Hiempsal (Ἰάμψας), duorum regum Numidiae nomen, Punice modo חכמבעל, modo חכמשבעל, modo חכמחעל, vide ad Numid. 1 p. 198 et de variis formis p. 349 B.

Ἱερόμβαλος, sacerdos dei Ἰεύω, Euseb. praep. evang. 1, 10. Est יְרֻבַּעַל, quod nomen etiam Gideon iudex gessit, i. e. qui *litigatur cum Baale*, hostis Baalis, accommodate ad sacerdotem Jehovae.

Hiertas, Numidiae rex, Oros. 5, 21.

Himil, inscr. Maff. Decurtatum videtur ex *Himilco*.

Himilco Liv. 22, 19. 23, 12. 24, 35 sqq. 25, 26. 27, 20. Iust. 19, 2. 10, Ἱμίλκων Polyb. 1, 42. 45. 53. App. 8, 97, Ἱμίλχω in tessera hospitali eburnea ap. Cast. de Torremuzza p. 70. complurium Poenorum nomen, ortum ex *Himilcar* חֶן מִלְקָר *gratia Milcaris* (*ar* in *o* mutato, §. 23), ita ut prope absit a nomine *Hamilcar* חַן מלקר, quae caussa est, quod Livius 22, 19 Himilconem appellat classis Asdrubalicae praefectum, qui in Polybianis codicibus III, 95 §. 2. Ἀμίλκας appellatur; et quod apud Diodorum in uno eodemque viro designando codices fluctuant inter Ἀμίλκας, Ἱμίλκας, Ἀμίλκων, Ἱμίλκων, v. Wesseling. ad Diod. 12, 20. 13, 80. Simile est nomen חַמְלַכַת Carth. 8, 1, sed diversum tamen a nostro.

Hiromus, Εἴρωμος, rex Tyri, Jos. c. Ap. 1, 17. 18, hebr. חִירָם, semel חִירֹם 1 Reg. 7, 40.

Iabdas, rex Maurorum, Procop. Vandal. 2, 13. Vix aliud erit quam עבדא cultor sc. Deorum, ע more vocalis pronunciato, cf. חָרְמוֹן LXX Ἀερμών.

Iachon, vir Poenus Plaut. Poen. V, 2, 105, יָכוֹן quem *stabilit* Deus, cf. hebr. יָכִין Gen. 46, 10, יְכָנְיָה.

Iader, vir Poenus, inscr. Grut. (p. 396), it. Martyr et confessor, Cypr. conc. Carth. 45, episcopus Midilensis, August. c. Donatistas 7, 9. Vel est יַעְזֵר cui *auxiliatur* deus, vel יַאְדִּר quem *amplificat* deus.

Iarbas v. Hiarbas.

Iddibal, sufes Poenus, inscr. Maff., עֲדִי בַּעַל ornatus a Baale.

Ἰεύω = יהוה apud Phoenices, Euseb. praep. evang. 1, 6.

Ilus, Saturnus, v. s. v. *El*.

Ἰνίβαλος in tess. hospitali apud Castell. p. 70 i. e. עֲנִי בַּעַל exauditus a Baale, cf. Enylus. Ham. p. 45 etiam hoc interpretatur עֵנִי בַּעַל oculus Baalis.

Ἰθόβαλος, nomen duorum regum Tyri Jos. Arch. 8, 13. c. Ap. 1, 18. 21, in aliis libris Ἰθώβαλος, Ἰθώμαλος, Εἰθώβαλος, ap. Sycell. 345 Goar Εἰθόβαλλος, אִתּוֹ בַּעַל *quocum Baal* est. Prior illorum 1 Reg. 16, 31 scribitur אֶתְבַּעַל *cum Baale*, quod fortasse his potius vocalibus muniendum erat: אִתְבַּעַל.

Iuba Ἰόβας, nomen duorum Numidiae regum (p. 314 sqq.). Lindbergius (Falbe Recherches p. 115) in *Iu*, *Io* Jehova nomen latere putat, quo posito *Iuba* = Iubal

Digitized by Google

esset יוֹבַעַל = *Jehova* (est) *dominus* coll. יוֹאֵל, qua locutione *cultor Jehovae* significetur. Sed faciamus, apud Phoenices Jehovae cultores fuisse (v. ad *Abdaeus*), in Numidis, apud quos solos hoc nomen invenitur, verae religioni deditos non expectes. Malo igitur *Iuba* = *Iubal* scribere יְאוּבַעַל *splendor Baalis* (a rad. יָאָה = גאה), quod ipsum fortasse repcritur Cit. 26. Cf. *Iol* in ind. locorum, it. *Iummo*.

Iugurtha Ἰογόρθας, rex Numidiae, Sallust. Dio Cass. Plut. cet. Nihil dubito, quin dictum sit pro *Iugurthal*, idque pro *Iugurthbal* (§. 17 extr.), extruso *b*, ut in צברחעל pro צברחבעל in numis Tripol. Est igitur יִגְרַת בעל *timor Baalis* cf. *Ampsigura*.

Iummo, cognomen Asdrubalis cuiusdam, inscr. Grut. Eiusdem originis videtur atque *Iuba*, sed plenius scriptum יאון בעל (= גאון בעל) *Iun-bal*, *Iumbal*, inde *Iumbo*, ut *Chanebo* ex *Chanebal* (§. 23).

Lacumaces, filius Oesalcis, rex Numidiae Liv. 29, 29. 30, ubi libri mss. in alia omnia abeunt (v. Drakenb.). Si illa scriptura vera, id nomen scripserim לְאָכוּ מך quem *mittit rex*, *mac* מך = מלך, quod alibi effertur *móch* (§. 23, 1). Sed etiam *a* ferendum esse, monstrat forma *Μάχαρ*, *Μάχηρις* pro vulgari *Mocar* = מלקר, cf. §. 23, 2.

Lillec n. pr. viri, inscr. Numid. lat. (p. 210). Etymon non definio.

Μάχηρις, gen. *—ιδος*, Hercules Libys Pausan. 10, 17. Male Bochartus (p. 572) id explicavit מַחֲרִיד *terrens*: contra *Μάχηρ*, *Μάχαρ* manifesto est forma contracta ex pleniore מלקר Hercules (v. quae disputamus s. v. *Melicarthus*): in *ις* latere potest suff. י— cf. *Adonis*.

Maarbal v. Maharbal.

Μαγδάλσης, vir Numida App. Numid. fr. 4, scr. מָגֵד בעל שר donum Baalis principis, v. *Gulalsa*.

Mago *Μάγων*, nomen ap. Poenos pertritum, prob. מָעוֹן *refugium*, ע fortius pronunciato.

Maharbal, dux Punicus Liv. 21, 12. 45. 22, 6. 23, 18, ubi libri passim *Maherbal*, *Maerbal*, *Marbal*, *Mahabol*, *Maharmal*, *Mahermal* (v. Drakenb. ad 21, 12. 45), gr. *Μαάρβαλ* App. 7, 10 sqq. *Μαάρβας* Polyb. 3, 84 sqq. Est מַהַר בַּעַל *dos* s. *praemium Baalis*, מַהַר i. q. מֹהַר Gen. Hamak. p. 192 מחיר בעל, quod quidem longius abest.

Malcus v. Maleus.

Μάλχος, nomen domesticum Porphyrii philosophi, natione Tyrii, vit. Plot. c. 7. Suid. v. *Πορφύριος*, qui *regem* significare dicit. Est מֶלֶךְ *rex*, quod graece reddiderunt *Πορφύριον purpuratum*. Cf. *Mochus*, *Bocchus*.

Maleus, dux Poenorum Iustin. 18, 7, ubi alii codd. Macheus (cf. *Machaeus*, Christiani Afri nomen Cyprian. ep. 44), Orosius Mazeus. Gronovius bene scripsit *Malcus* = מֶלֶךְ, quod nomen reperitur etiam inscr. Grut. p. 317 no. 7.

Μάλιχα, Hercules apud Amathusios, v. supra pag. 97. Est pro *Μάλιχαρ*.

Μανάσσης, Numida, Iubae socius App. civ. 4, 54, prorsus hebr. מְנַשֶּׁה LXX *Μανάσσης*. Schweighaeuserus cum duobus codd. dat *Μασανάσσης*, quod non probo.

[*Mandrestal*, nomen a Gelenio fictum App. 1, 62, et propterea in stemmate Masinissae comparens, v. Schweigh. ad h. l. Hamak. 243].

Mapen v. Matten.

Masgaba, Masinissae filius Liv. 45, 13. 14, alius vir Poenus Suet. Aug. 98, ubi vide Casaub. Scribendum videtur מַשְׂגַּח בעל, *cui providet Baal*, cf. משגח בעיני בעל Numid. 4, 1.

Masinissa (passim in codd. Masanissa,

Digitized by Google

Massinissa, Massanissa v. Corte ad Sall. Iug. 5, 4), gr. *Μασανάσσης*, *Μασσανάσσης*, *Μασσανίσσης*, v. Schweigh. ad Polyb. 3, 33. 7, 19. De mea coniectura scriptum reperitur Numid. 1, 3 מעשינתן, quod explicavi מַעֲשֵׂי יִתָּן *opus Neithae nostrae* v. pag. 117. 200. Ham. p. 312 explicabat מַעֲשֵׂי נָשָׂא opus meum elatum est. Quicquid est, prima nominis pars certo est — מַעֲשֵׂי, quod saepe in his nominibus reperitur (cf. hebr. מַעֲשִׂירָה): reprobandae propterea scripturae a *Masa* ordientes.

Masintha, nobilis Numida Suet. Caes. 71, fortasse idem quod praecedens, p. 200.

Μασσάθης, regulus Numida, App. 8, 43. Videtur contractior forma praecedentis.

Massiva, filius Gulussae, nepos Masinissae Sall. Iug. 35, pro *Massibal* מעשיבעל opus Baalis, quod alio flexu pronunciatum est *Micipsa*.

Massugrada, Numida ex gente Masinissae Sall. Iug. 108, ubi alii veteres libri *Massugada, Mussugda*, Massurada, Massuzadra, Masudrada. Ego cum Guelf. 3 legendum censeo *Massugada*, quod unum etymon offert, מַעֲשׂוֹ גַּד *cuius opus prosperitas* (est) i. e. prosperum est. *Grada* ex duabus scripturis *gada* et *rada* coaluit.

Mastanabal, filius Masinissae, Sall. Iug. 5, *Μαστανάβας* App. Pun. 106, prob. מצנח בעל clypeus Baalis (*st* pro *x*, *te*, cf. *astir* pro חָצִיר), sec. Ham. 312 משתען בעל sustentatus a Baale. Contrahitur in *Stembal* q. v.

Μάτγηνος rex Tyrius, pater Pygmalionis Jos. c. Ap. 1, 18, apud Euseb. arm. *Metenus*, ap. Theophilum ad Autol. III, pag. 257 *Μέττην*, Syncell. 345 Dind. *Μέτινος* al. *Μέτηνος* (male *Λετῖνος* Goar.). Hoc posterius esset מַתָּן *donum*, et dubitare possis, sitne etiam apud Josephum reponendum *Μάττηνος*: at illam scripturam tuetur simile nomen *Μύτγονος* iudex Tyrius Jos. c. 21. (cod. Haun. *Μύτγυνος*), cui accedunt formae *Misagenes*, *Miggin*, *Miggenes* (v. infra), quae omnes ex *Matgen* ortae sunt, quanquam praeter *Mytgonus* reperitur etiam *Myttonus* (v. h. v.). Genuinum igitur videtur *g*: neque tamen cum Bocharto (p. 353) explicem מת גאון *vir gloriae* (quod esset *Metgún*), sed מת גן *vir horti* vel potius *praesidii*, *propugnaculi*, quam significationem etymon bene admittit. Y in forma *Mytgynus*, ut saepe, vocalium correptarum locum occupat §. 29, 2.

Μάθως, mercenarius Poenorum Polyb. 1, 69 sqq. Scribi possit מְתוֹ *vir eius* (Baalis), vel potius contractum cogitari ex *Mathal* (§. 23) pro *Mathbal* (cf. Iugurtha, Sabratha) מת בעל vir Baalis.

Μάττην. Ita recte observavit Hamak. p. 194 cum quattuor codd. reponendum esse Herod. 7, 98 pro vulg. *Μάπην*, regis Tyrii nomine. Est enim מַתָּן donum sc. deorum, cf. מַתַּנְיָה, מַתַּתָּה et *Methymatnus*.

Mazippa, dux Maurorum Tac. Ann. 2, 52. Origine num differt a *Micipsa*: utrumque est מעשיבעל opus s. creatura Baalis.

Μελικάρθος, *Hercules* apud Phoenices (Philo Bybl.) in inscriptionibus et numis מלקרת *rex urbis* (v. pag. 96), it. מלקי, מקרת, מעקר pag. 352 B. Quum hoc nomen pervariis modis contractum et decurtatum sit, maxime in nominibus hominum et locorum, varias eius formas h. l. semel in brevi conspectu ponere placet.

Ac 1) prior syllaba *mil* modo integra servatur, modo contrahitur, modo denique prorsus abiicitur. §. 23, 1. 2. Integra est in *Bomilcar*, *Hamilcar*. Contractam habes in *Mocar* (v. Barmocarus), *Macar* (v. Maceris, Macaria, Macaras *)), *Micar* (v. Ammicar) et *m*

*) Asterisco notavi nomina geographica in alio indice §. 20 quaerenda.

Digitized by Google

mutato in *b* in *Bocar, Bocchar, Bocarus**, *Bacarus**, *Bucaras**. Abiectam in *Carthalon* pro *Milcarth-alon*, *Carteja** pro *Milcarteja*, ut apud nos *Hanna* pro *Johanna* al. In *Myrcalus* pro *Mylcarus* utriusque syllabae litterae liquidae sedem inter se mutarunt.

2) In altera syllaba *carth*, *th* rarissime servatum est (cf. *Carth*-alo), praeterea etiam *car* nonnunquam contractum in *co* (§. 23, 1) v. *Himilco* pro *Himilcar*, raro *r* abiectum, ut in *Μάλιχα* ap. Hesych. pro *Μάλιχας*, *Μάλιχαρ*, cf. Hamilcar gr. *Ἀμίλχας*.

Μημροῦμος, *Ὑψουράνιος* Philo Bybl. 16 Orell. מְמְרוֹם (ex alto).

Μέρβαλος, iudex Tyriorum, Jos. c. Ap. 1, 21, sec. Reines. c. 7 מר בעל dominus Baalis, rectius i. q. *Maharbal* q. v. Idem nomen gerit rex Aradiorum Herod. 7, 98, ubi nonnulli codd. *Νάρβαλος*, quod esse possit נער בעל, sed illa scriptura praestat: quum de tali forma etiam aliunde constet.

Methres rex Tyrius, Serv. ad Aen. 1, 347, qui alibi *Matgenus* appellatur. Vix sana erit forma, quanquam מְעַתֵּר potest *cultorem* (deorum) significare.

Methuastartus v. Abdastartus.

Methymathnus vel *Methymatnus*, filius Masinissae, quem anno aetatis 86 generasse dicitur Plin. 7, 14 s. 12, מְחוּמַתָּן *vir doni* i. e. a diis donatus. Male alii libri Methymnus, Methymannus.

Metzen v. *Μάτγενος*.

Mezetulus, rex Numida, Liv. 29, 30, *Μεσότυλος* App. 8, 53. Contractum videtur ex *Mezetbal*, *b* in *v*, *u* soluto (cf. Muthul*, Suthul*, Masitholus*), מצית־בעל *robur Baalis*, quod vide Numid. 1, 4.

Micipsa Μικίψας, rex Numidiae, Masinissae filius, Sallust. Appian. Scribitur מצשרבעל *opus Baalis* Numid. 2, 3 et משרבעל Numid. 1, 3 vide pag. 200.

Midacritus, qui plumbum ex Cassiteride insula primus apportavisse dicitur Plin. 7, 57. Portentum nominis appellant Critici, vix ferendum, nisi codices sibi prorsus constarent. Nobia illud sive a librariis sive ab ipsis rerum scriptoribus depravatum videtur ex *Malicertus*, ita ut *Hercules* Phoenicius significetur (v. Melicartus), quo nihil ad hunc locum aptius cogitari potest.

Miggenes, episcopus Afer, Aug. c. Cresecon. III, 19, et *Miggin*, *Migginus* alius Augustini aequalis, id. ad Ps. 36, v. Matgenus.

Milchato vir Poenus, inscr. Corton. (p. 397) et

Milcho ibid. (ubi alii pro *Milchonis* legunt Imilconis). Milco est i. q. Milcar, cf. §. 23, 1.

Milphio, servus Poenus, Plaut. Poen. V, sc. 2. 3. Scribendum videtur מלפיון q. d. doctorem s. paedagogum agens, a מַלַּף i. e. מְמַלֵּף doctor, addita terminatione *ion*, ut in Arabion.

Misagenes, Masinissae filius Liv. 42, 29. 62. 65. 67. 45, 14. Licet ita inflexum sit nomen, ut graecam fere originem redoleat, videtur tamen proprie Punicum esse, fortasse idem quod *Matgen* q. v., *s* per sibilum pronunciato.

Μισδήρ, legatus Poenorum Polyb. 36, 1. Num forte est מְזָה (timor sc. deorum) n. pr. Gen. 36, 13. 17, a מזז = מסס pavit, timuit? Certe ר saepe effertur *sd*.

Μῶχος rerum scriptor Phoenicius, p. 343. Male Boch. p. 777 id explicat מעכה compressio, Hamak. 196 מוכה submissus: est enim i. q. *Molchus* (§. 23). Vide *Bocchus*.

Mutines, dux Numidarum Liv. 25, 40. 41. 26, 21. 40. 27, 5. Num מַתָּן donum, an מְתֻּן dono datum, part. Hoph. inusitatum?

Mutumbal, nomen sufetis, in numo Carth. (tab. 16), *Muthumbal* inscr. Corton. (p. 397), et *Muthumballes*, Plaut. V, sc. 2, 35. 37. Mihi esse videtur מְתוּמְבַּעַל vir Baalis (cf. Methuastartus), *m* ante *b*

Digitized by Google

inserto. Reperitur quidem inscr. Numid. 7, 1 מתנבעל, quod propius videri possit, sed hoc legendum videtur מַתַּנְבַּעַל.

Mygdon, martyr Africanus, August. epist. 16 cf. 17, unde apparet id nomen cum quibusdam aliis ibi memoratis Punicum esse. Est autem מִגְדָּן, מִגְדָּן *donum* sc. deorum. Alii codd. pro Mygdonem habent *Migginem* (q. v.).

Μύρκαλος, dux Poenorum Polyb. 7, 9, ubi male Schweigh. dat *Μύρκανος*. Illud transpositis liquidis dictum est pro *Mylcar* מלקר.

Mytgonus v. Matgenus.

Μύττονος, vir Libys, Polyb. 9, 22 §. 4. Vel contractum est ex *Mytgonus* (q. v.), vel est i. q. מַתָּן, cf. *Mutines*.

Nabdalsa Numida, Sall. Iug. 70. 71. Omisso *n* Abdalsa non dubitans explico עבדבעלשר *servus Baalis principis* (cf. *Gulalsa*): *n* unde sit, non definiam, suspicor tamen, id depravatum esse ex *h*, *Habdalsa* autem non differt ab Abdalsa, ut Hasdrubal, Asdrubal. *n* pro *h* scriptum vide ad Plaut. 1, 1.

Namphanio, martyr Poenus apud August. epist. 16. 17, ubi alii codd. *Namphamo*, quam scripturam ipse Augustinus secutus esse videtur, nomen explicans *boni pedis homo* i. e. נעם פעמו, ut recte observant Petitus et Bochartus. Illud esset נעם פניו *gratiosus facie sua*.

Νάουμος, vir Aradius in insula Rhodo degens, Boeckh Corp. inscr. T. II p. 393. Respondet נַחוּם, phoen. נחם Cit. 3.

Ναραύας, Numida, Polyb. 1, 78 sqq. נער בעל puer s. servus Baalis, cf. נְעַרְיָה puer Jehovae.

Narzales, Martyr Scillitanus Cypr. p. 238. Ruinarti act. Mart. 77, in aliis libris *Narthalus*, corrupte *Nazarius* (v. Muenter. eccl. afr. p. 223. 226). Num est נערת בעל *pueritia Baalis* i. q. praecedens? cf. de usu abstracti pro concr. *Βωλαθής*.

Νιθάδων, vir Salaminius Arrian. Ind. p. 146. Num est נת אדן *Neitha* est *domina* (cf. de Neitha p. 117. 172)? Certe אדן etiam ad *deam* referri poterat, ut אֱלֹהִים de Astarte 1 Reg. 11, 5, אָמוֹן Prov. 8, 30 de Sapientia. Gramm. hebr. §. 105, 1 not.

[*Ὄγκα*, ἡ *Ἀθηνᾶ κατὰ Φοίνικας*. Steph. Byz. v. *Ὀγκαῖαι*. Sed Scholiast. ad Pind. Olymp. 2 p. 20 *Ὀγκαία ἡ Ἀθηνᾶ*, et *Ὀγκαίην Ἀθήνην* memorat Nonnus Dionys. lib. 44. Hesych. *Ὄγγα, Ἀθηνᾶ ἐν Θήβαις ἐστὶ χωρίον ἐπώνυμον ἔχουσα*. Vide plura apud Selden. de dis Syris II, c. 4 p. m. 294. Originem Phoeniciam excogitavit Bochart. 427 ab אַגָּח bellum movit: sed veram sententiam iam Scholiastes ad Pindarum dixit, Minervam apud Thebanos ita dictam esse a statua eius in porta *Ὀγκαίᾳ*, hanc autem nomen invenisse a vicino oppido *Ὄγκα*].

Oesalces, patruus Masinissae Liv. 29, 29. Contractum esse videtur ex *Osmalc*-es (*m* extruso) i. e. עז מלך *robur Regis* i. e. Baalis.

Omanus i. e. חַמָּן, חַמֹּן v. pag. 171.

Ὀξύντας Iugurthae filius, App. civ. 1, 42. Graece inflexum est, ut ab *ὀξὺς* dictum videatur, sed vix dubites, quin sub eo lateat Punicum nomen. Huius prima pars fuerit עֹז robur, de reliqua nihil definio.

Πάραλος, praefectus Carth. Diod. 16, 9. Scribo בר בעל *filius Baalis*, *b* extruso (v. §. 17). ב littera *p* expressum habes etiam in

Πάταικοι dii Phoenicum, Pygmaeis similes, quos in prora (Herod. 3, 37) vel in puppi navium statuebant (Hesych. Suid. h. v.) quique iidem putantur cum Cabiris. Suidas *Πατταίκους* scribit. Scaliger nomen ducit a פִּתַּח insculpsit, ut sint *dii sculpti*, melius Bochartus p. 713 a בטח, unde בַּטָּח, בַּטִּיחַ *qui securam praestat* (navem). — Sing. *Πάταικος* est etiam n. pr. viri

Digitized by Google

Atheniensis *ἰσοτελοὺς*, Boeckh C. inscr. I p. 519.

Pelorus, gubernator Hannibalis, qui Peloro Siciliae promontorio nomen dedisse dicitur Val. Max. 8, 8. Mel. 7, 2. Isid. Orig. 14, 7. Num est בַּעַל אוֹר = בַּעַל אוֹר *Baal lucis* i. e. *Solis*, ellipt. pro עבד בעל אור ?

Φαμέας, cognomen Imilconis, App. Pun. 97. 100. 101. 104, *Φαμέας* Dio Cass. in Bekk. Anecd. gr. 1, 124. Hamak. diatr. p. 42 hoc nomen פמע scriptum in inscr. Tuggensi invenisse sibi videbatur, sed per errorem: contra scribendum illud videtur פַּעֲמִי adj. a פַּעַם ictus mallei, incus, et significare *malleator*, coll. *Μαχχαβαῖος* מַקַּבִּי et Carolus *Martellus*.

Φέλης rex Tyri Jos. c. Ap. 1, 18, cod. Haun. et apud Sync. p. 345 Dind. *Φέλλης*, פֶּלָא insignis, eximius, cf. hebr. פִּלְאִיָּה. Congruit *Phelis* rex Sidoniorum tempore belli Trojani, Dict.

Philaeni fratres Sallust. Iug. 79. Graecum videri possit, *φίλαινοι laudis amantes*, sed sub forma graecissante latet פְּלָאָן *mirabilis, eximius*, cf.

Φιλάων hominis Cyprii nomen Herod. 8, 11.

Πυγμαλίων, rex Tyri et Cypri, etiam *Φυγμαλίων* scriptum Jos. c. Ap. 1, 18. Apollod. 3, 14. Altera nominis pars certo est עליון: de priore ambigo, sitne illa בֹּהֶן *pollex* i. e. digitus (hist. ling. hebr. p. 229), an פַּעַם = פַּעַם incus, ut פעם עליון sit qs. malleus Dei, herois aptissimum nomen. Hoc tamen praefero. Minus probabiles explicationes vide ap. Ham. p. 203. 204. Corruptae autem scribendi rationes, ut *Φυγαλίων*, *Μυγδαλίων* ap. Sync. *Physmanon* Euseb. armen., non curo, quanquam *Μυγδαλίων* aptum etymon offert (מֶגֶד עליון donum Altissimi), et fortasse nomen Phoenicium erat aliunde notum.

Πύματος, vir Citiensis, Athen. IV, pag. 167 D. An est a פּוּמָא *os?* phoenicio more פומת, unde *Pymatos*, ut *Rubricatus* רו בריכת.

Ricoce, sufes Carthag. in numo (tab. 16). Quum in nomine audacius contracto aliquid audendum videatur, videant eruditi, possitne ortum esse ex *Berichmoc* (*m* extruso ut in *Oesalces* pro *Osmalc*-es) = בְּרִיךְ מַלְכָּא *benedictus a Rege* i. e. Baale.

Sabura, *Σαβούρρας*, dux Iubae, Caes. civ. 2, 38. App. civ. 2, 45. 4, 54. שָׁבוּר fractus, cui membrum fractum est Lev. 22. 22. Fortasse erat cognomen huic duci a vulnere quodam honorifico inditum.

Σάδιδος, filius Saturni, Philo Bybl. 30 Orell. שַׁדִּיד potens.

Σάδυκος Cabirorum pater, Damasc. ap. Photium p. 352 Bekk., qui *Συδύκ* scribitur ap. Phil. Bybl. p. 22 Orell., et *δίκαιος* explicatur, est enim צַדִּיק.

Saepo vir Poenus, inscr. Grut., conferri potest צָפוֹ (specula) n. pr. Gen. 36, 11. 15.

Salitthu, n. pr. mulieris, inscr. Pun. Lat. Lugd. (p. 210). Num reponendum Salittha? שָׁלִיטָה.

Samsuricus, fossor Poenus, August. adv. Crescon. 3, 29, fort. שֶׁמֶשׁ אוֹר, addita terminatione latina.

Sanaes, al. cod. *Senanes*, martyr Africanus, August. epist. 16 (cf. Namphanio). Posterius genuinum censeo atque scribendum שר נעם princeps gratiae, *r* abiecto cf. Gulalsa.

Σαγχουνιάθων, rerum scriptor Phoenicius (cf. p. 342) Euseb. praep. ev. 1, 6. Porphyr. de abstin. 2 §. 56, etiam *Σαγχωνιάθων* Euseb. 10, p. 485. Theodoret. de graec. morb. 2, 28. Suid., contractius *Σουνιαθων* Athen. 3, 36 p. 126 Casaub., *Σαγχονιαθος* Cyrill. c. Iulian. 6 p. 205

Digitized by Google

(cf. Suniatus). Porphyrius apud Theodoretum l. c. et fortasse etiam Eusebius (vide quae disputat Ham. p. 207) id explicat φιλαλήθης, et Bochartus (II, 17) phoenicie scriptum existimat סַן קִנְאָתוֹ *lex est studium eius* i. e. legis studiosus: coll. סַנָּה = سنّة. At valde dubium est, an סן de lege usurpatum sit, multoque praestantior est Hamakeri analysis l. c. שַׁנְּכוֹן יָדוֹ *cuius manus firma est* i. e. cuius fides sincera et integra est, φιλαλήθης. ש praefixum pro אֲשֶׁר in Phoeniciis tritum est (v. pag. 356 A) et §. 33, 3.

Sappho, filius Hasdrubalis Iustin. 19, 2, ubi liber Vossii *Saphon*, quod unice verum, cf. inscr. Corton. p. 397. Ham. 210 id scribit צְפוֹן et Typhonis, cacodaemonis Aegyptiorum, nomen esse coniicit, cuius vestigia etiam reperit in *Sophonisba* et *Ζαυάνας*: sed obstat, quod veteres malorum geniorum nomina, utpote mali ominis, in nominibus propriis devitare solebant. Mihi *Saphon* (nam ita scribendum) videtur i. q. צָפוֹן thesaurus, cf. Sophonisba.

Sichaeus, Didonis maritus, Virg. Aen. 1, 347. 352, quod nomen teste Servio ad l. c. emollitum est ex *Sicharbas*, quae observatio egregie confirmatur nomine *Acerbas*, quo idem vir insignitur Iustin. 18, 4. 6, quodque ex Sicharba manifesto ortum est. Male enim Gronovius ibi *Atherbam* legendum coniicit. Formam illam genuinam et nativam equidem dictam putem pro Isicharba אשׁ חרבא *vir gladii*, vel Masicharba מעשי חרבא *opus gladii* i. e. qui gladio omnia sua debet, cui ensis deus (Virg. Aen. 6, 773 coll. Iob. 12, 6. Hab. 1, 11). Sichaei nominis novum etymon non quaerendum, licet sponte se offerat זַכַּי *Ζακχαῖος* (purus, iustus) cf. p. 398.

Sifax v. Syphax.

Σίρωμος, Tyrius, Mattenis pater Herod. 7, 98 et rex Salaminiorum ibid. 5, 104. Est idem quod Hiromus (חִירוֹם), siquidem pro *Εἴρωμος* apud Josephum Syncellus habet *Σίρωμος*: estque Siromus Herodoti pro eodem rege habendus, quem Hiramum appellat Jos. c. Ap. 1, 21 et Cyri aequalem facit (Ham. 209). Litterarum *h* et *s* ab initio vocum frequens est permutatio.

Sobal, rex Sidonis, Eustath. ad Od. 4, 617, contr. ex *Sarbal* (§. 23), שר בעל princeps Baalis. Idem nomen est *Σούβας*, dux Masinissae App. 8, 70.

Sophonisba, filia Asdrubalis, Syphacis et Masinissae uxor Liv. 30, 12. 15. App. Pun. 27, ubi libri mss. *Ζοφονίβα*, ut alibi *Σοφόνβα*, adeoque *Σοφονίδα*, v. Wesseling ad Diod. T. II. pag. 571. Schweigh. ad Appian. l. c. Illam formam, quae apud Livium est, Ham. p. 210 explicat צפון ישבע *Typhon iurat* (cf. hebr. אֱלִישֶׁבַע, *Ἐλισαβέτ*): posteriorem equidem explicem צְפוֹנִי בָהּ *thesaurus meus in ea* i. e. mulier, quae marito instar thesauri est: atque hoc praefero. Ad significationem cf. צְפוּנִים thesauri Iob. 20, 26. Ps. 17, 4 Keri. *S* littera apud Livium facile addi poterat, si singulae voces seorsum pronunciabantur, ut Baaltis *Βωλαθίς* pro בעלתי, Adonis אדני.

Stembal, filius Masinissae natu minimus Polyb. 37, 3, ubi editum est *Στέμβανον* (lege *Στέμβαλον*), sed Suidas habet *Στεμβάν* (a *Στέμβας*), quod pariter ferendum est. Contractum est ex Mastanabal.

Strato (*Στράτων*), Sidoniorum rex Aelian. 7, 2. Athen. XII, 13, Tyri rex Iustin. 18, 3, vir Aradius Arrian. exped. Alex. 2, 13, 11. Ductum videri possit a gr. *στρατός*, sed licet Graecismum imitetur, sub eo latet domesticum nomen עַשְׁתַּרְתּוֹן q. d. *Ἀφροδίσιος*. Simile est

Στρυτάνος, cognomen Gisconis Polyb. 36, 1 i. e. עַשְׁתֻּרְתָּן id.

Subas v. Sobal.

Digitized by Google

Suniatus, vir Poenus, Iustin. 20, 5. Depravatum est ex *Σουνιαίθων*, i. e. Sanchuniathon q. v.

Σουρμούβηλος, maritus deae Thuro, Porphyr. ap. Euseb. (v. Sanch. Orell. p. 42, ubi male impressum *Ζαυρμούβηλος*). Est זרמו בל Beli semen, cf. hebr. זֶרֶם. Non bene Ham. p. 171 coniicit שׁוּר מוּבָל *contemplans* (imo contemplari) *terram fecundam:* nam מוּבָל est vox ficticia.

Syphax, rex nobilissimus Masaesylorum Liv. 24, 48. 29, 31 sqq. Ovid. Fast. 6, 769 (raro in codd. Siphax, Sifax), gr. *Σίφαξ* Appian. *Σόφαξ* Polyb., v. Schweigh. ad 14, 1. 15, 3. Mihi *Siphac* (nam *s* accessorium est) ortum videtur ex *Masimac* מעשי מך *creatura Regis* i. e. Baalis. Ad *si* pro *masi* cf. *Sicharba* s. v. Sichaeus: *mac* ex מלך (cf. Lacumaces) §. 23, 2: in permutatione litterarum *m* et *ph*, *b* nemo offendet, maxime quum in hac ipsa voce reperiatur (v. *Bocchus*, et Liby-Phoenicium פוך *rex* Tugg. Libyc. lin. 3).

Τέννης, rex Sidonis Diod. 16, 42, תַּנִּית pronunc. *Tennis* i. e. Tanaïtis, ellipt. pro עבד תנת Athen. 1, v. pag. 117. Idem nomen gerit rex Tenedi Diod. 5, 83.

Τετράμνηστος, rex Sidonis, Xerxis aequalis Herod. 7, 98. Graecam quidem formam imitatur, sed nemo facile credet, Sidoniorum regem Xerxis tempore n. pr. graecum gessisse. Videtur igitur Phoenicium nomen sub eo latere, fortasse *Etramnestor*, עֲתַר אמן עשתרת cultor sincerus Astartes. cf. *Atherbal*. *T* litteram addiderunt, quia animis obversabatur gr. *τετρα*.

Τιγίλλας, cognomen Hannonis App. 8, 82. תְּחִלָּה initium, pro concr. qui in prima acie est. Antiqua editio Veneta habet *Gellas*.

Τυχαῖος Numida, Syphacis familiaris Polyb. 15, 3. Num graecum a *τύχη*, an ductum a תוך medium?

Vermina Βερμινᾶς, *Οὐερμινᾶς*, filius Syphacis Liv. 29, 33. 30, 36. 40. 31, 11. 19. App. 8, 33. בר אמין filius veritatis, fidei.

Volux, filius Bocchi Sallust. Iug. 105. מְלוּךְ syr. ܡܠܟ consiliarius, *m* emollito in *v*: *s* in fine radicale non est. Ceterum *ux* in Hispanicis saepius reperitur ut *Abelux* Liv. 22, 32.

Zarzas (al. Zarxas) Libys Polyb. 1, 84—86.

Ζαυάνας, *θεός τις ἐν Σιδῶνι*. Hesych. h. v. Hamak. p. 210 hoc refert ad צָמוֹן Typhonem, cuius vestigia tamen in Phoeniciis admodum dubia sunt: fortasse huc pertinet arab. ظَنّ idolum.

Ζωρός, quem conditorem Carthaginis facit Appian. 8, 1, {צור Tyrus}.

D. *NOMINA PROPRIA URBIUM ET LOCORUM EXPLICATA.*

§. 19.

In altero, quod sequitur, nominum Phoeniciorum Onomastico praeter Phoenices propriae, Siciliae, Hispaniae Baeticae, Cypri oppida a Phoenicibus condita permagnus comparet urbium, oppidorum, vicorumque Africanorum numerus, quorum nomina a Tripoli usque ad maris Atlantici oras Punicam originem manifesto prae se ferunt. Oppidorum inquam, nam gentium, montium, fluviorum, maxime mediterraneorum, nomina partim obscuriora sunt: cuius quidem rei caussa in aprico est. Urbes enim atque coloniae a Poenis advenis conditae non poterant non Punicis nominibus insigniri,

Digitized by Google

quum contra et populi et loca mediterranea nomina ab indigenis indita servarent. Praeter scriptores profanos in hoc indice concinnando largissimam nobis messem praebuerunt ecclesiae Africanae scriptores cum actis conciliorum, maxime in Donatistarum caussa congregatorum, et Notitia episcoporum, ex quibus Hamakeri indicem duplo augere potuimus. Quam ipsam ob caussam quum metuendum esset, ne maiorem in molem excresceret commentarii nostri, consulto omisimus partim quorum scriptura non satis certae fidei esset (solent enim in libris manu scriptis admodum depravata esse haec nomina) partim quorum origo nimis obscura lateret *): in iis autem, quae dedimus, nominibus nominumque formis a singulorum fontibus indicandis plerumque abstinuimus, quos h. l. semel indicasse sufficiat eo magis quum hi libri bonis indicibus instructi sint. Sunt autem praeter Sallustium, Hirtium, Polybium, Livium, Strabonem ex profanis praecipue memorandi Plinius V, 1—5, Ptolemaeus IV, 1—3, Procop. de bello Vandalico, Antonini itinerarium p. 1—78 ed. Wesseling, quorum relationes in unum collegit *Shavius* in appendice ad itinerarium T. II, digessit *Cellarius* in notit. orb. ant. T. II. extr.; ex ecclesiasticis Augustini libri contra Donatistas, contra Cresconium al., acta conciliorum velut Carthaginensis anni 251, cui praeerat Cyprianus (v. eius librum de conc. Carth.), Cabarsusitani Donatistarum a. 393, cuius epistola synodica exstat ap. August. ad Ps. 36, Vagaitani a. 394, Collationis Carthaginensis a. 411, Victor Vitensis de persecutione Vandalica al. quae bene digessit *Car. a St. Paulo* in Geographia sacra cum eruditis Luc. Holstenii notis (Amstelod. 1704) p. 77—121. Accedunt inscriptiones nonnullae apud Shavium et Gr. Templium exstantes, itemque Arabum geographi, ut Edrisius et anonyma Africae descriptio quam nuper edidit *Quatremère* in *Notices et Extraits* 1831. Nomina apud Leonem Africanum aliosque recentiores obvia, nisi aliqua veterum auctoritate firmata consulto omisi.

2. In etymi autem investigandi negotio quum nihil antiquius graviusque sit, quam ut vocabula simplicia, ex quibus ceu elementis haec locorum nomina composita esse soleant, utcunque contracta et mutilata recte agnoscamus, potiora huiusmodi vocabula variasque eorum formas hoc loco semel in brevi conspectu ponere placuit, ut appareat, quomodo singula sensim magis magisque et ita depravata sint, ut saepe nonnisi parva eorum vestigia supersint (cf. §. 17, 3). Speramus enim fore, ut universa analogia hunc in modum exposita nostram de nonnullarum vocum origine sententiam, quae ex paucis quibusdam exemplis indicanti audacior videri possit, lectoribus facilius persuadeamus.

Ac primo quidem loco commemoranda sunt vocabula vel *urbem*, *oppidum*, *arcem*, *vicum*, vel *domum*, *tabernaculum*, *habitationem* significantia, quae in omnibus linguis urbibus designandis praecipue adhiberi solent cf. nostr. *stadt*, *stedt*, angl.

---

*) Videant v. c. lectores quomodo haec gentilicia vel emendent vel explicent: *Caviopitavorensis* Car. a St. Paulo p. 119, Bazaridid acensis p. 118, Truvascanionensis 121, Cathaguensusca p. 97. — *Giutrambacaria* p. 93 equidem lego *Gintram-bacar*(ia) גנת רם בקר.

Digitized by Google

town, *ton*, russ. *gorod*). In hunc censum veniunt a) קרת et (abiecto ת) קר *urbs*, cuius hae formae reperiuntur: *Cirta* et Ta*carata*; *Carth*, *Cart* in *Carth*ada, *Cart*ili, *Cart*enna; *Car*, *Cara* in *Car*alis, *Car*pi, *Car*epula, Medic*cara*; *Cur*(a), *Cur*(um), *Curr*(um) cf. قُرْيَةٌ, ܩܘܪܝܐ in Rusu*curum*, As*curum*, Auso*curro*, *Curium*, *Curubis*; denique *gàra*, *garra* (*c* emollito §. 26) in *Garra*, Medu*gara*, Ta*gara*, Ta*garata*. Tritum illud עִיר habemus in uno *Irath*. b) בקי, ex aegypt. ϩⲁⲕⲓ *urbs* (p. 321), quod varie effertur: *bucca* (Plaut. 2, 42), n. pr. *Bucca*, Ta*buca*, cf. *Buc*onia; *Baca* in Tubul*baca*; *Baga*, *Bagaï*; *Vacca*, *Vaga* (vide p. 321. 22) Aus*uaga*, *Vege*sela. c) עֹז et מָעֹז *munimentum*, urbs munita, quod effertur *Auz* in *Auza*, *Auz*egera; *Aus*- in *Aus*ocurro, *Aus*uaga; *Uz*, *Us* in *Us*ula, *Us*sara, *Uz*agada, *Uz*ita, *Uz*ippara: *Muz*, *Mus* (מָעוֹז), in *Muz*ul, *Mus*te, cf. *As* (עֹז) in *As*curum. d) בית *domus*, a quo in V. T. plus quam quadraginta oppidorum nomina ordiuntur (thes. I, 193). Plena forma in Punicis rarior est. Scribitur ea *Bet* in *Bet*agbar, *Byzaci*-um = Bytsaki בית שקי, frequentius *Bes*, in fine vocum *Bis*, ut *Bes*ippo, Bar*bes*ula, Curu*bis*, Rusu*bis*, Tuccu*bis*. Quum vero sive ipsi Afri sive Romani haec nomina latine pronunciantes litteras *Bet*, *Bt* ab initio vocum praesertim longiorum aegre ferrent *), *B*, *Be* abiecto haec nomina a *T* littera, vel, quum plerumque articulus sequatur, a syllaba *ta* ordiebantur. V. c. *T-abelta* בית הבעלת, *T-amugada* בית עמו גד et sexcenta alia infra alphabetico ordine digesta, in quorum *T* explicando frustra desudavit Hamakerus (p. 284), quanquam idem iam bene observavit, illud *t*, *ta* ad nativam horum nominum formam minus pertinere, quum modo addi modo omitti soleat (Tacape et Cape; Tasimyra et Simyra; Ticath et Oecath; adde: Tamazaca et Mazaca, Tuzummensis et Zummensis cf. hebr. בית quod saepe omittitur) eoque demum omisso nominis origo patescat. Quum autem pro *Bet* etiam *Bes* (ת raphato) pronunciatum sit, nemo mirabitur, in nonnullis pro *t* etiam *s* comparere, velut *S-eggera* בית אגרה domus catarractae, *S-egerme* בית כרם domus vineae, *Siagul* et fortasse alia. Aphaeresin non minus audacem statuo e) in nomine אהל (أَهْلٌ) *tentorium*, quod raro plenius reperitur, ut in *Al*taba, *Al*tiburi (tentorium collis), cuiusque plerumque solum *l* superest, v. c. *L-agnutum* אהל החנות, *L-amasbua* אהל עם צבוע, *L-aribus*, *L-amida* al. quae infra ordine alphabetico comparent. Quod Hamakerus (p. 256) in *l* littera articulum (אל) latere suspicatus est, id eam maxime ob caussam ferri non potest, quod complura huius generis nomina ex duobus composita sunt, articulum igitur regenti praepositum non admittunt. — f) מקום (Ortschaft) *oppidum* comparet in *Macuma*, *Macom*ades. g) בעלה *civitas*. Scribitur et *Vala* (q. v.) et *Bulla* (ut בעל *Bol*). h) כפר *vicus*, modo *Cebar* in *Cebar*susi, *Cebar*adefa, modo *Gaphara* (q. v.). i) מָדוֹר, מְדָר *habitatio*, in *Madaurus*, *Madar*suma, Am-*medara*, idemque valet k) *Thunu* i. e. תְּנוּ *habitatio* (cf. تنأ habitavit), in

*) Cf. *Ptolemaeus* talmud. תלמי; atque ital. *tisi*, *tisana*, ex *phtisis*, *ptisana*. Accedit quod etiam alia, ut *bdellio*, *psicologia*, *ptialismo* sine *b*, *p* pronunciari solent: *dellio*, *sicologia*, *tialismo*.

Digitized by Google

*Thunu*dromum, *Thunu*sida al. — l) Oppidum, in quo frequens *forum* erat, appellatum est שׁוּק *forum*, ut hodie multa nomina سوق appellata in regno Algeritano et Tunetano sunt. Id proprie scriptum est *Suc*, *Succ*, *Zucc*, ut in *Succ*abar (forum frumenti), *Suc*arda, *Zucch*ara, *Zucch*is, mox etiam *Sicca* (pro Sycca), ut Tubur*sicca* collis fori, Tubur*sicca*bure collis fori frumentarii, *Sici*libba al. Denique m) *Tucca* i. e. תֹּקַע *coloniam* significare videtur, a תקע sedem fixit, ut hebr. תְּקֹעַ. Ita *Tucca* Terebinthina, *Tucca*bori, *Tuccu*bis, Ap-*tuca* s. Ap*tunga*.

Multa oppida a situ in *montibus*, *collibus*, *rupibus*, aut ad *fluvios*, *thermas*, *aquaeductus* nomen invenerunt, quod utrumque genus cum ipsis *montium* et *fluviorum* nominibus convenire solet. Montium igitur urbiumve in montibus, collibus cet. sitarum nomina ordiri solent ab his vocibus: n) הר *mons*, ut *Ar*valtis, *Ar*senaria, *Ar*tisiga, o) מעלה *clivus*, ut *Maleth*ubalus clivus Baalis, p) ראש *rûs* promontorium, arab. رأس, ut *Rus*ucurrum, *Rus*pina, *Rys*sadium al. q) סלע *rupes*, ut *Sala*, *Sile*, *Soli*, *Solo*eis (סַלְעִי), Vege*sela*; r) טַבּוּר *umbilicus* i. e. collis, clivus, v. c. *Tubur*sicca clivus fori, *Tubur*nica al. s) עָקֹב, عقبة clivus, in Ἀκκαβικὸν τεῖχος, T-*acape*, *Ucibi*. t) שְׁפִי, שְׁפַי *collis* (cui voci hunc significatum vindicavimus in Lex. hebr.), pun. pronunciatum *sufi*, in *Sufi*-bus collis Baalis, *Sufa*-sar collis principis, *Sufe*tula collis aquaeductus; u) תֵּל *collis*, in *Thal*bora collis frumenti, *Till*abari id. — *Fluvii* ipsi vel oppida iis adiacentia his maxime vocibus indicantur: v) נהר, ut *Nara*, *Nar*-aggara, w) מו *aqua* (hebr. מוֹ in מוֹאָב v. Lex. man. h. v. arab. vulg. مويه, moje) pun. in fem. מות μωτ Philo Bybl. (p. 223. 393), *My*socarus, *Muth*ul aqua Baalis, *Muti*genna aqua horti, et vulgare מֵי *me*, ut *Me*nephessa aqua recreans, *Me*neggere aqua catarractae. x) רו *rû* (רְוִי) *irrigatio* i. e. rivus, in *Ru*-bricat(us). y) תעלה *aquaeductus*, in *Thala*, *Thuelath*, Sufe-*tula*. z) שִׁלּוֹחַ in *Sullu*cum, *Sullecti*. — aa) *Catarractae* nomen Punicum fuisse videtur *aggara* אַגָּרָה verbale Hiph. a נגר Hi. effudit aquam, quod comparet in Nar-*aggara* fluvius catarractae, Auz-*egera*, S-*eggera*; et *naggara* נַגָּרָה verbale Pi. eiusdem verbi, unde Me-*neggere* aqua catarractae. — Oppida in isthmo sita bb) appellari amant תפסח *Thapsacus* et *Thapsus* q. v. cc) a *lapicidinis* dicta sunt *Missua* מַסּוּעָה, *Fussula* = ܦܣܝܠܝܢ quod utrumque lapicidinas significat.

Permulta alia nomina ad rem frumentariam in Africa magnopere florentem, aut ad rem pecuariam, cui Numidae prae ceteris operam dabant, aut denique ad venatum, maxime ferarum, pertinent. Hinc in multis nominibus habes dd) vel בר *frumentum*, ut Succa*bar*, Tilla*bari*, Ur*bara*, Ulizi*birra*, vel עָבוּר, ܥܒܘܪܐ *frumentum*, in *Abora*, *Ebora*, Bun*obora*, Nab-*abur*um, Tucc*abori*. ee) גֵּז, גִּזָּה *tonsura* ovium, unde L-ammi-*gizza*, *Gaz*-auphala; ff) ציד, צידה *venatus*, in Thunu-*sida*, T-amu-*sida*, Tocolo-*sida* spes venatus al. A palmarum (תָּמָר), ficuum (תְּאֵנָה), olearum (זַיִת), myrtorum (הֲדַסָּה) copia nuncupata sunt *Tumarra*, *Tembro*, *Tamrith*; *Thenae*, Abi*tina*; *Zeitha*, *Zetha*; *Idassa*, Then*adassa*.

Ut autem gg) in nominibus propriis hominum saepe deorum nomina comparent varie inflexa et contracta, ita etiam in nominibus geographicis certe *Baalis*, primarii

Digitized by Google

numinis, nomen pervariis modis habetur contractum et mutilatum: integrae enim formae *bal* (Tagar*bala*, Sarda*bal*), *pul* (Care*pula*), *mal*, *mel* (Vagar-mel) rarae sunt. Contractae sunt: *ul* (*b* emollito), in Barbes-*ula*, Muz-*ul*, Muth-*ul*, Gaet-*uli*; *ol* in Masith-*olus*, Nur-*oli*; *al* (*b* extruso) in Car-*alis*; dein *bo*, *bu* (*al* in *o*, *u* mutilato §. 23, 1) in Sufi-*bu*(s), Lari-*bu*(s); et *ba*, *va* (*l* abiecto §. 23, 2) in Ausa*fa*, Assa-*fa*, —*va*, —*ba* Aggi-*va*, Tiga-*va*, Tigilla-*va*, Cenna-*ba*, Core-*ba*, —*va* al. Cf. Baal p. 402.

Ceterum quum credibile sit, nativam horum nominum formam, quae sola consideranda erat, non raro periisse, vulgarem autem etsi contractam et secundariam nativae formae speciem quasi mentitam esse (v. Carchedon; *Zella*, *Tiella* cf. p. 397. 398), facile appareat, universum hoc etymi inveniendi negotium subinde coniecturale atque ita comparatum esse, ut omni cautionis genere adhibito errores vix effugias.

§. 20.

Abba opp. Numid. Polyb. 14, 7. Liv. 30, 7, ubi tamen omnes libri *Obba*, et ita Cypr. Conc. Carthag. et August. c. Don. 7, 11 memorant Paulum episcopum ab Obba, ubi male nonnulli legunt a Bobba. Etiam Arabes scribunt Obba أُبَّة Ebn Haukal ap. Quatremère p. 72. Respondet syr. ܐܒܐ silva.

Abbir maius, sed. ep. in Africa proc., unde *Abbiritanus*. Idem oppidum videtur atque Ἀβδηρα Ptol. 4, 3, unde *Abdiritanus*, v. L. Holst. p. 88. 89. 91.

Abdera opp. Hispan. et Afr. (cf. *Abbir*), עבורת p. 310, sed etymon latet.

Abidus sed. episc. Byzac. עביד subactus, cf. Bida.

Abila, mons Tingit. p. 385 A.

Abitina, sed. ep. Afr. pr. אבי תאנה pater ficuum i. e. ficis ferax.

Abora, sed. ep. in Afr. proc. a עָבוּר, עִבּוּרָא frumentum, v. §. 19, 2, dd.

Ἀχχαβικὸν τεῖχος, opp. a Carthaginensibus ad columnas Herculeas conditum, Steph. Byz. Cf. עָקַב clivus, locus acclivis, arab. عقبة, unde *Acaba* ad sinum Aelaniten, et *Acabe* fons prope Tripolim.

Achilla, *Acholla*, *Achulla*, *Acilla*, *Acola*, it. *Cholla*, opp. Byzacii Liv. Plin. Strab. cf. Drakenb. ad Liv. 33, 48. Vel est עֻקָּה *curva*, *devia*, vel אֲכָלָה ab אָכְלָה annona, fort. annonâ abundans.

Acraith opp. Tingit. Ptol. עֲקָרִת sterilis.

Acufida s. ep. Maur. Sit. אחו סדד frater calamitatis, cf. Fidoloma.

Ἀδδύμη, opp. Maur. Caes. Ptol. אַדְמָה rubra.

Adin urbs Afr. a Regulo capta Polyb. 1, 30, 5: εἰς πόλιν Ἀδίν, alii codd. Ἀδύν. Esse potest עדין amoenus (cf. עֲדֵן): sed alii nominativum statuunt Ἀδίς, Ἄδυς, cui responderet עֲדִי ornatus.

Agar opp. Byzac. Hirt. 67. 79, unde in ecclesiast. *Aggaritanus*, *Aggeritanus*. Hodie est بوجر pater petrae, unde vero minime sequitur, *Agar* idem significasse, quod جر. Propter *g* geminatum suspicor, plenam formam esse *Aggara* = catarracta. §. 19, 2, aa.

Aggiva, al. *Aggya*, sed. episc. Aug. adv. Donatist. 7, 29. (Pro *Aggival*, חגיבעל).

Altibura, *Altaburis*, sed. ep. Afr. pr. אהל טבור tentorium clivi. §. 19, 2, et *r*. *Al* i. q. אהל habes etiam in *Altaba* et *Albula* cf. Bulla. Car. a St. Paulo 95. 115.

Amaccura, sed. ep. Afr., unde „Felix ab Amaccura" Aug. c. Donatist. 6, 40, ubi Cod. Corbej. Ammacura, Floriac. Ammacurra, male autem Bamacorensis, Vamacorensis in Coll. Carthag. (*Cura* urbem significat i. q. קֻרְיָה cf. 19, 2, a. prior pars est עֵמֶק vallis).

Amamassus Cypri, si modo Phoenicium est, אם המסועה *mater lapicidinae*, cf. Missua.

Amathus ibid. חֲמָת *arx*, ut urbs Syriae, quam Josephus Ἀμαθή scribit.

Amaura sed. ep. Maurit. Caes. עֲמָרָה *terra habitata*, cf. n. pr. Gomorrha.

Amestratus opp. maritimum Siciliae, עם עשתרת *populus Astartes*.

Ἀμμεδαρα, Ἀμμαδαρα, opp. Numidiae medit., עַם מְדָרָא *populus habitationis*.

Digitized by Google

Ammochostus Cypri, אֵם נְחֹשֶׁת *mater aeris*, cuius metalli Cyprus feracissima erat.

Ampsaga, fl. Maur. Caes., Massylorum et Masaesylorum regionem dirimens, אֵם פְּסָגָה *mater divisionis* Ham.

Amudarsa opp. Byzac. עַמּוּד אָרֶץ *columna regionis*.

Annesel, *Annasel*, *Annesel* opp. Syrt., itin. 64. Nonne עֵין נָזָל *fons rivi?*

Ἄνφαρ opp. Maurit. Caesar. Ptol. עָפָר *pulvis*. Cf. Uzippara.

Aptunga, unde Felix Aptungitanus in controversiis Donatistarum nobilis, cf. Abutucense oppidum Plinii. אבו s. אב תקע תקע *pater* (locus) *sedis fixae*, cf. §. 19, 2, m. Nomina geographica ab *Abu* (bu) أبو ordientia Arabes quoque habent v. c. Abu-cobais, Bu-schater (Uticae).

Artisiga, opp. Mauritaniae Sigae vicinum, itin. 12. הר שסיעת *mons Sigae*, videtur enim *μέγα ἀκρωτήριον* Ptolemaei esse (Ham. p. 227).

Arvaltis, mons Libyae, הר בעלתי *mons Baaltidis*.

Ascurum, opp. Mauritaniae Hirt. 23. עז קר *robur* (arx) *urbis*.

Asisarath opp. Maur. Caes. Ptol. 4, 2, ubi Palat. Ἀσσαράθ. Illud esse potest חצר עז שרה *r* abiecto (cf. Atzikurur-pag. 386) *robur* (arx) *principis*, חָצֵר עֹז שָׂרָה *atrium principis*, hoc

Assaba, *Assava*, *Assafa* sed. ep. Maur. Sit. עז הבעל *robur Baalis*.

Assurus Ptol. 4, 2, *Assurae* itin. 47 et in ecclesiasticis, opp. novae Numidiae prope Tuccam Terebinthinam, prob. חָצוֹר *atrium, chors*.

Atabyris mons Rhodi = תָּבוֹר, quod nomen gr. Ἀταβύριον et Ἰταβύριον scribitur.

Augala opp. Maur. Caes. cf. עֲגָלָה *plaustrum*.

Ausafa opp. Africae proc., fortasse pro Ausafal (cf. Ausufal opp. Libyae itin. 69) עז חבעל *robur* (arx) *Baalis*. Cf. *Assafa*.

Ausocurro, sed. episc. Numidiae עז קרת cf. Ascurum.

Αὖσος opp. Maurit. Caes. עז *robur* (arx).

Ausuaga sed. ep. Afr. ab *Aus* = עז et *vaga* בקי urbs, cf. §. 19, 2, b.

Auza opp. Africae ab Ithobale conditum Jos. Arch. 8, 13. עז robur i. e. arx. Et idem fere valet *Αὐζία*, *Αὐζίνα* Ptol. 4, 2.

Auzegera sed. episc. Byzac. עז אֲגֻרָה. Cf. §. 19, 2, aa.

Azama v. Zama.

Baesippo, *Besippo*, opp. Hisp. Baet. בית יפו cf. Hippo. *Ippo* (יפו) in Hispanicis admodum frequens est, ut Lacippo, Ulisippo, Irippo, Ostippo, Acinippo, Orippo, Ventipo.

Bagai, opp. Numidiae, nobile propter concilium Donatistarum anni 394: cod. Corbej. Vagai, al. Baga. (בקי urbs, p. 321). §. 19, 2, b.

Bagrades fl. prope Carthaginem, Strab. *Βαγράδας*, hodie بَجْرَدَة (Edrisi بَجَرْدَة). Sed genuinam eius formam apud Polybium esse *Μαχάρας*, *Μάχρας*, *Μάχαρ* docet Schweigh. ad Polyb. 1, 75, 5, quocum consentit *Βουκάρας* apud Suidam, utrumque ortum ex pun. מעקר *Mocar*, *Macar* (Hercules), ita ut *Herculis fluvius* sit. Male Boch. explicaverat ברכתא stagnum.

Baniubae pop. Maurit. Ting. בני יובל filii Iubae, fort. a principe huius nominis appellati.

Baniuri pop. Maurit. Caes. בני אור filii Incis, vel Uri (n. pr.).

Barathia opp. Tripol. fort. בריאת, v. ad inscr. Trip. 2. — Ham. בְּאֵרוֹת putei.

Barbesula opp. Hisp. Posterior pars est ביתאל (cf. *Βαίτυλος*) vel בית בעל §. 19, 2, gg. De priore dubito utrum sit בר filius, quod in nomine loci minus aptum, an עבר transitus.

Βαρεία, opp. Hisp. Baet. בריאה pinguis.

Bastuli, gens Hisp. „qui Poeni esse dicuntur" Ptol. 2, 4. Num בַּזַּת בַּעַל spolium Baalis? In *ul* Baalis nomen latet, ut in Gaetuli.

Belesasa sed. episc. Numid. בל עזז *Baal* (est) *fortis?*

Belo, urbs Hispaniae, in numis בעלת, v. p. 311. Forma Syriasmum redolet, ut in *nesso* נְצָחָה §. 16.

Berytus opp. Phoenices, בְּאֵרוֹת *putei*, cf. Steph. Byz. h. v. *ἐκλήθη διὰ τὸ εὔυδρον· Βῆρ γὰρ τὸ φρέαρ παρ' αὐτοῖς.*

Betagbar sed. episc. Afr. inc. בֵּית הַגִּבֹּר *urbs viri*.

Bida, opp. Maurit. Caes. עבידה *subacta*, ע abiecto.

Bidil, ibid. *Badel* Ptol. בד אל i. e. עבד אל.

Bilta sed. episc. Maurit. Aug. c. Donat. 6, 8. Cyprian. synod. Carth. *Benta* Ptol.

Digitized by Google

(בעלה i. e. civitas, v. Belo). Male Luc. Holstenius corrigere volebat Hilta.

Βώκαρος, fl. Cypri, Hesych. = מעקר, cf. ad Bagrades.

Bucca, opp. Carth. prope Uzitam Hirt. (בקי *urbs* cf. pag. 321 et ad Plaut. sc. 2, 42). Eiusdem originis videtur *Buconia*, sed. episc. Numidiae.

Buffada sed. episc. Numid., unde gentil. *Bofetensis*. Nonne ortum ex מופת signum, miraculum?

Bulla, complurium oppidorum Africanorum nomen, ut Bulla Regia, Bullaminsa, בולה i. e. בעלה civitas, ut apud Palmyrenos בול pro בעל, vide p. 325 et §. 19, 2, g. Quod Hamak. nomen eius in numis legere sibi videbatur, supra (325) refutatum est.

Bullaria opp. Numid., num forte בעלת ארי *civitas leonis*?

Buruch sed. episc. Maurit. Caes., *Burca* Ptol. et not. Afr., unde „episcopus Burugiatensis." Est בְּרוּךְ *benedictus*, vel aram. בּוּרְכָא genu, כּוֹבוֹ donum.

Byrsa, arx Carthaginis, בָּצְרָה *munitio, arx*, littera sibilante transposita.

Byzacium, *Bizacium*, *Βυσσαχῖτις* Polyb. provincia Africae. Bochartus scribit ביזא mamma, uber, Ham. בי שקי, ego malo בית שקי *Byt saki, regio irrigua*.

Cabarsus, *Cabarsusi* —*sussi*, locus Byzacii, nobilis propter concilium Donatistarum (p. 416). Est כפר סוסים vel כפר סוס *vicus equorum*. De varia et eximia nominis corruptela vide not. crit. in August. Opp. IV. p. 207 Bened. Primam nominis partem habes etiam in *Cebaradefa* sed. episc. Byz.

Caccabe, nomen Carthaginis, quod *caput equi* significare tradunt Steph. Byz. et Eustathius, unde nata est fabula, equi caput e terra erutum esse, quum fundamenta urbis iacerentur (Virg. 1, 443). Bene observavit Bochartus (p. 471), id ductum esse ex talmud. קרקפא *caput*, quod egregie confirmatur alius oppidi nomine *Carcabia*, *Carchabia*, quodque ita explicandum videtur. Nimirum Carthago *Carcab* קרקפא i. e. *caput* appellata est utpote regni caput: quum autem illud nomen paullulum in desuetudinem abiisset et tantum de *equi capite* frequentaretur, illa de huius appellationis origine fabula (mythum etymologicum dicas) exogitata est, ut similis ex *Byrsae* nomine conficta est.

Calumacuma, opp. Byz. Ptol. 4, 3, cod. Palat. al. ... *macula*. Altera pars est מקום locus, prior esse possit כְּלוּא clausura. Cf. Macuma.

Calpe, una columnarum Herculis, secundum Graecos *χάλπη* i. e. *ὑδρία* Hesych. Idem valet talmud. גַּלְפָּא, Boch. 615.

Capsa, urbs nobilis Africae, arab. قفصة, pun. קפצה *claustrum*, a קפץ clausit.

Carage, opp. Byzac. medit. כְּרַגָּא *arx*, *c* in *g* emollito.

Caralis, opp. Sardiniae (Cagliari), קר בעל *urbs Baalis*, קר pro קרת, ut in מלקר pro מלקרת.

Cararus, locus Byzac. fortasse a קרר frigidum esse.

Carchabia, *Carcabia*, sed. episc. Byzac. vide Caccabe.

Carepula opp. Numid. Ptol. 4, 2. קר בעל urbs Baalis? cf. Caralis.

Καρχηδών v. *Carthago*.

Carcoma, opp. Maurit. Ptol. Cogitari possit כַּרְכֹּם (crocus), sed malo קַר קוֹמָה urbs altitudinis, in alto sita.

Carpasia Cypri a Pygmalione condita, Steph. Byz., vel a כרפס carbasus, linteum, vel קר פז urbs auri.

Carpi, *Καρπίς* opp. Zeugit. קר מה civitas orae s. ostii, cf. Ruspae.

Carteja, urbs Hispan. Liv. Mel. Strab., bene observante Bocharto (p. 599) pro Mel*carteja* (מלקרתיה) i. e. Herculea, cf. §. 18 v. Carthalo.

Cartenna, *Cartennae* opp. Maurit. unde episc. Cartenitanus August. Opp. IX, p. 425. Ham. explicat קרת עין, malim קַרְתֵּין i. q. קַרְיָתַיִם *duo oppida*, quod contrahitur in קַרְתָּן Jos. 21, 32.

Carthada teste Solino 27 antiquior forma pro *Carthago*, quam idem cum Stephano Byzantino et Eustathio (Boch. 167) *novam civitatem* significasse tradit. Quod si verum est (neque hanc auctoritatem impugnare lubet), primaria forma erat קרת חדשת (v. num. Panorm. pag. 291) i. e. *t* extremo abiecto, ut saepe, *Carth-adas*, unde *Carthada*, plane ut Macumades = מקום חדש: unde et *Καρχηδών* et *Carthago* in Hispania maxime et Sicilia depravatum esse suspicatur Boch. l. c. coll. *ὄρνιθες* sicul. *ὄρνιχες*, *dama* hisp. *gama*, *delphin*

Digitized by Google

golphin. Aliud etymon haberet *Carch-edon* (כרך ארון arx domini), si haec forma primaria esse posset: sed in illa auctoritate acquiescere satius erit.

Cartili opp. Maurit. קרת אל *oppidum Ili* i. e. Saturni.

Castulo, *Καστα̃λών* opp. Hispaniae Liv. Polyb. et aliud Africae propriae, קשת עליון *arcus Excelsi* i. e. Baalis. Simile est *Castabalum*, opp. Ciliciae, קשת בעל.

Κελλαραρσάθ, nomen Phoenicium insulae Ἴστος, ὃ ἑρμηνεύεται ἱστὸς νηός. Steph. Byz. Hanc explicationem vindicet qui possit: sed altera pars *ἀρσάθ* vix aliud est quam ארצה *terra*.

Cennaba, mons Africae Ptol. 4, 2, קן הבעל *nidus* i. e. sedes, domicilium *Baalis*.

Cerne, mons Africae Polyb. קרן *cornu*.

Certima, urbs Celtiberica Liv. 40, 47 = קרתים, vide *Cartenna*. Aliud est municipium *Cartimi*tanum, v. Drakenb. ad h. l.

Cercina, insula ad Africam Liv. Hirt. כרכין *arces* Boch. 497.

Chinalaph al. *Chinaphal* opp. Maurit. Caes. Hoc est חן הבעל gratia Baalis, illud esse possit חן אלף decus boum.

Chylemath fl. v. Molochath.

Cilla opp. Afr. Appian. Pun. 80. Vide Zella.

Cirta, caput Mauritaniae (קרת urbs).

Cissa opp. Maurit. it. Hispaniae, cuius nomen Lindbergius כשעה scriptum in numo reperisse sibi videbatur (p. 324). Fortasse erat קָצָה finis, quacunque tandem de caussa locus ita appellatus est.

Cittium Κίτιον Cypri. Incola phoen. scribitur כתי, forte חתי Cit. 33, ubi vide.

Coba itin. 18, *Chobat* Ptol. opp. Maurit. Caes. cf. חוֹבָה Gen. 14, 15.

Coreba, *Coreva* opp. Zeugit. Ham. explicat חוֹרֵבָה sicca, coll. Horeb montis nomine. Sed ne unum quidem certum exemplum exstat, quo ח littera *c* (*x*) expressa sit. Malo igitur קֹרֵא בעל *invocans Baalem*.

Cothon portus Carthaginis et pars vicina urbis App. 8, 27. Diod. 3, 43, ubi in aliis libris est *Κάθων*. Idem nomen gerebat portus Hadrumeti (Hirt.), atque Festus portus arte manuque factos Cothones appellari tradit. Boch. p. 469 nomen ducit a rad. קטם talmud. et arab. incidit, ego nil dubito quin sit ipsum קָטֹן a primaria incidendi abscindendique potestate, v. Lex.

Culcua opp. Afr. Ptol. 4, 3, קוֹל בוּחַ?

Cufruta, sed. episc. Byzac. כפרות q. d. Dorfschaft, abstr. a כָּפָר vicus.

Cullu, municip. Numid. itin. 19. Ptolem. 4, 3. Eiusdem originis videtur atque *Cilla*, *Cholla*, v. Achulla.

Curium Cypri promont., קר urbs, §. 19, 2, a.

Curubis, *Curobis* opp. Zeugit. (hodie *Gurba*). Facile in mentem venit קָרוֹב propinquus; sed ut pleraque haec nomina, potius compositum videtur, idque ex *Cur*, urbs cum *u* compaginis (§. 37), et *bis* בית cf. Rusubis, Tuccubis.

Damatcore, sed. episc. Numidiae. Num אַדְמַת קֹרֵא terra perdicum?

Darat, fl. Maurit., fort. *perennis* a דור manere, unde etiam

Diur (דִּיוּר) fl. Tingit.

Dicdica opp. regionis Syrticae, cf. דקדק talmud. *parvus*.

Dumuras fl. Phoenices Polyb. Idem videtur qui *Tamyras*, a palmis dictus, cf. *Tadmor* pro *Tatmor*, itidem a תמר palma.

Ebora opp. Hispaniae Baeticae, i. q. *Abora frumentum*.

Fallaba sed. ep. Maur. Caes. סלא בעל quam insignem fecit Baal, cf. hebr. פְּלָאיָה.

Feradi maius et minus, duo oppida Byz. a פֶּרֶד mulus, cf. Parada.

Fesseita sed. ep. Numid. זיתא(סד?) campus olearum, סד i. q. פַּדָּן?

Fidoloma s. ep. Numid. סיד עולם calamitas aeterna, ut vicus Halae vicinus inundationibus obnoxius appellatur *Angst und Noth*. Cf. Acufida.

Filace s. ep. Num. פְּלֶךְ circulus, provincia.

Fussala opp. prope Hipponem (p. 340), prob. פּוֹסֵל i. q. syr. ܦܣܠ lapicidina a פָּסַל cecidit, sculpsit lapides. Cf. Missua.

Gadamusa, *Cademusa*, sed. episc. Maurit. Sitifensis, גד הַמּוֹצָא *fortuna fontis*, i. e. fons feliciter inventus.

Gades Hispaniae, proprie *Gadir*, pun. גָּדֵר v. num. Gadit.

Gaetūli gens Africana, cf. chald. גית בעל *grex Baalis*.

Galapha opp. Maurit., ab aram. גְּלַף sculpsit, caelavit, cf. aram. et arab. קלף decorticavit.

Gaphara opp. Leptit. כפר *vicus*, *c* emollito, ut saepe (§. 26).

Garbis sed. episc. Numid. i. q. גָּרִב asper, n. pr. collis Hierosol. Vide Girba. Sed possit etiam litteris emollitis dictum esse pro *Carpis* q. v.

Digitized by Google

Γάραφα ὄρη in Maur. Caes. a גָּרַף abripuit, asportavit aqua terram.

Garra opp. Maur. Caes. vel a גרר = גזר vel litteris emollitis pro *Carra* urbs, §. 19, 2, a.

Gasaufula, *Gazauphala*, Aug. c. Don. 7, 40 *Γαζόφυλα* Procop. opp. Numid. sec. Ham. גי משפלה vallis depressa: sed diphthongus *au* flagitare videtur, quod ei respondeat. Malo igitur גז עֵפֶל *tonsura* (ovium) *in colle*, vel (*pratum*) *detonsum in colle.*

Gaudiape, *Gaudiabe* sed. episc. Numid. Priorem partem habes etiam in n. viri *Gauda.*

Gerbe v. Girba.

Gigarta opp. Phoeniciae, a syr. ܓܓܪܬܐ *acini uvarum*, unde etiam gr. *γίγαρτον*. Cf. Girgiris.

Gilba sed. episc. Numid., *Gilva* itin. 13. fort. hebr. גִּלְבַּע *scaturigo* et n. pr. montis.

Gilda opp. Maurit. Tingit. fort. حَلَدْ *terra dura.*

Gippa, unde Gippitana ecclesia, August. epist. 65. Vel גֵּבָה = גב, vel גַּבָּה = גת, quod utrumque *dorsum* significat, ut hebr. שְׁכֶם.

Gira, *Guira*, *Gurra* s. ep. Num. גִּיר calx.

Girba, *Gerba* insula Poenorum, ubi inscriptio Punica reperta est (p. 219). Boch. p. 495 *siccam* explicat (חרבה), sed nonnisi timide *g* pro ח scriptum sumo. Sono propius est גרבה *aspera*, v. *Garbis.*

Girgiris mons Libyae, גרגיר bacca uvarum et olivarum, unde etiam *Girgis* opp. Syrticae.

Gisira, locus Zeugit. Ptol. גְּזֵרָה *terra deserta*, nisi mavis جزيرة *insula* h. l. Oasis.

Gor sed. episc. Afr. Aug. bapt. 7, 4. (גור *hospitium*, cf. גור בעל hospitium Baalis 2 Par. 26, 7).

Gorza opp. Afr. Polyb. 1, 74, cf. جرز *terra sterilis* a rad. גרז = גזר, cf. גִּרְזִי gentem Palaestinae 1 Sam. 27, 8.

Gulus fl. Maur. Caes. גֻּל, גַּל *fluctus.*

Gummasis, unde brevius *Gummi*, et gent. Gummitanus, Gummensis (Leonis IX epist. 3. 4. Luc. Holst. ad Car. a St. Paulo geogr. pag. 107), sed. episc. Byzac. גֻּמָּץ *fovea*, *cisterna.*

Gunugus, opp. Maurit. Plin. itin., 15. Fort. גאון ענק *altitudo cervicis*: *gun* pro גאון habes Plaut. sc. 2, 67, in *ug* pro *uc* (§. 26), *nuc* (uno n eliso) latere credi-derim. عنق cervices. Locus a sita elato ita dictus esse poterat.

Gunela sed. episc. Afr. proc. גאון אל.

Gypsaria, *Gypsara* portus Maurit. Caes. (it. opp. Arabiae Petraeae), גב שרה *gibbus s. dorsum principis.*

Gytte oppidum ab Hannone conditum, Peripl. p. 2 Huds. (גת torcular, vel chald. גית grex).

Heryn mons Afr. Ptol. 4, 2, fortasse הרין *montes*, *montanum.*

Himera opp. Sic. cum thermis, a חמר fervbuit, aestuavit aqua.

Hippo, complurium Africae et Hispaniae (Liv. 39, 30) urbium nomen. Boch. 475 id scribere volebat غُبّ sinus, quod Hamakerus adeo in numis reperisse sibi videbatur (pag. 298). Sed male. Hipponis nomen potius idem est quod *Ioppe*, hebr. יפו pr. *pulchritudo*, *splendor*, ita a Latinis conformatum, ut ab ἵππος ductum videri posset. De frequenti eius usu in Hispanicis v. s. Baesippo.

Hispalis, *Hispal* (Sil. 3, 392), urbs Hispaniae, hodie *Sevilla*, auctore Boch. 603 שפלה c. Aleph prosthetico אשפלה planities.

Hizirzada sed. episc. Numid. חצר צדה *atrium s. pagus venatus.*

Iagath, opp. Tingit. Ptol. 4, 1. יְגִעַת *labore parta*, fort. de agro recens culto.

Iarsath opp. maritimum Maur. Caes. Ptol. 4, 2. אי ארצת *littus terrae.*

Idassa, sed. episc. Numid. הֲדַסָּה *myrthus.*

Idicra opp. Numid. עדי קרה *ornatus urbis* (cf. Iddibal, it. Idicarum Babyloniae, Adicarum Arabiae desertae oppidum.

Igilgili, *Eguilguili* (Ammian.), *Gilgilis* opp. Mauritaniae, Ptol. Plin. Anton. אי גלגל *littus turbinis.*

Iol, dein Iulia Caesarea, caput Mauritaniae, contractum ex *Iubal*, *Iual*, יואל בעל *splendor Baalis*, ex quo *l* abiecto etiam factum *Iubae* nomen. Plenam formam habes in *Iubaltiana*, opp. episc. Byzacenes.

Iomnium, municipium Maurit. Caes. Respondet יִבְנָה Palaestinae opp., quod graece *Ἰαμνία*, *Ἰάμνεια* scribitur, arabice يبنى.

Ioza, cognomen Iuliae urbis, quae alibi

Digitized by Google

Transducta appellatur Strab. III p. 140. Boch. 477 גוזה a גוז transire.

Irath opp. Maurit. Caes. Est עירת i. q. עיר *urbs*. Male Hamakerus confert arab. جبر.

Izatha opp. Maurit. Caes., עִזָּתָה, עַזָּתָה *fortis, munita.*

De nominibus ab L ordientibus vide §. 19, 2, litt. e.

Lagnutum, opp. Maurit. אהל חנות tentorium castrorum.

Lamasba, *Lamasbua* opp. Numid. אהל עם צָבוּעַ *tabernaculum populi hyaenarum* i. e. eorum qui hyaenas venantur. Eodem pertinere videtur episc. Lamasuensis (v. Car. a St. Paulo p. 100) pro Lamasbuensis.

Lambesa, *Lambaesa* opp. Numid. Vel ex praecedente ortum est litteris traiectis, vel explicandum *L-am-besa* i. e. אהל עם בעשה (בעשה pro מעשה, cf. בְּעַשְׁיָה pro מַעֲשִׂיָּה) *tentorium operarum. Besa*, *Baesa* possit etiam בִּזָּה *praeda* legi vel בְּצָה palus.

Lamida opp. Maurit. אהל עמיד *tentorium columnae* vel אהל עם עֵד tentorium populi (comitum) principis, cf. עֵד Jes. 55, 4 et עַמִּי נָדִיב Cant. 6, 12.

Lamigizza sed. episc. Numid. אהל עַמִּי גִזָּה *tabernaculum tondentium.*

Laribus opp. Numidiae. Ita enim primo quoque casu scribendum est, unde ap. Procopium *Λαριβός*, *Λαριβούς*, ap. Arabes لاريس (v. Quatremère description de l'Afrique p. 68), hodie *Lorbus* Shaw 1, 224, cf. Sufibus. Scribo autem nomen *L-ari-bu(s)* אהל ארי בעל *tentorium leonis Baalis* i. e. herois s. heroum. Namque *bu*(s) contractum videtur ex *bal*, ut *Annibo* pro *Annibal* (§. 23), *s* adiectum: אריבעל autem idem est quod in V. T. אריאל leo dei i. e. heros, et collect. heroes, v. Lex. h. v.

Lapethus (*Λάπηθος*) Cypri a Belo condita, et

Leptis, Tyriorum colonia (p. 12 not. *), eiusdem originis esse videntur, et auctore quidem Hamakero i. q. לבנתא *alba*, a laterum calcisve albedine, ut Algera hodie ab aedificiorum candore nobilis est. Commendatur ea coniectura similibus nominibus, ut *Lapda* sed. episc. in Afr. proc. et *Labdia* sed. episc. Maurit. Caes.

Libyes hebr., ut constat, להבים scribuntur it. לִבִּים, לוּבִים, quod ab *ardore* solis et *siti* (v. לָהַב, לָאַב) ductum esse censeo.

Macara, Heraclea Minoa in Sicilia (p. 292), a מעקר Hercules, v. pag. 353. Inde etiam *Macaria* nomen Cypri, i. e. *Herculea.*

Macomades trium oppidorum Africanorum nomen, quorum unum in Byzacio Ptolemaeo (4, 3) appellatur *Μακόδαμα*, aliud Syrticum *Macomada* in tab. Peuting. Plena forma est *Macom-adas* מקום חדש *oppidum novum*, cf. Carthada.

Mactaris sed. episc. Byz., Aug. contra Don. 7, 2, al. *Mattaris*. Est מעתר *locus precandi*, adorandi, cf. Zactara et Zattara, dectha et datha Plaut. 2, 57, ubi in *c*, ut h. l., latet ע.

Macuma opp. Syrt. מקום *oppidum.*

Mada sed. ep. Numid., fort. pro *Madar*, v. sequ., nisi forte ortum ex (*Maco*)*mada*.

Mādarsuma et contr. *Madassuma*, opp. Byzac. מדר צומה pro pleniore מָדָר עֲצוּמָה *habitatio magna*: ad posteriorem partem cf. *Zuma.*

Madaurus, opp. Numidiae, patria Appuleii, מָדוֹר, מְדוּרָה *habitatio.*

Magura opp. Libyae, מְגוּרָה *hospitium*, cf. supra *Gor.*

Malaca, urbs Hispaniae, in numis מלכת (מָלָכַת) pag. 312. Idem valet *Malacath*, opp. Melanogaetulorum.

Malethubalus, mons Maurit. Caes. מעלת בעל *clivus Baalis*; *u* vocalis compagini inservit §. 37.

Malva, *Malvana*, fl. inter utramque Mauritaniam. Scribe מַלְוָא *plenitudo* i. q. chald. מַלְוָא.

Mampsarus, mons Zeugitanae, observante Boch. et Ham. מִבְצָר *munitio* cf. מִבְצַר צֹר 2 Sam. 24, 7 LXX *Μάψαρ Τύρου*. *m* ante *b*, *p* insertum est, ut in Membresa.

Marathus Phoenicia, מָרַת *amara* v. p. 272. 273.

Marazana opp. Byzac., sec. Ham. מָרְאשָׁנָה *in capite s. cacumine sita.*

Marcula, unde *Marculitanus* episc. (C. a St. Paulo p. 100). Si modo certa est scriptura, *Marcul* non diversum videtur a *Myrcal* (§. 18 h. v.) i. e. Hercules. Quaeri etiam potest, sitne ex *Marcula* etiam *Mascula* ortum et *Maxula*, v. infra.

Masaesyli, populus nobilissimus Africae, Numidiam occidentalem habitans, Liv. Polyb. Strab. al. Pariter atque *Massyli* est patron., ductum a שאל מעשה *opus s.* creatura *Dei* (Saturni), unde *Masaesyli* מעשה-שאלים.

Masatat fl. Maurit., *Μάσσα* Ptol. מַשָּׂא, מַשְׂאַת *donum* (sc. deorum) cf. Masitholus.

Digitized by Google

Mascula opp. Numid. et *Maxula*, *Maxala* opp. prov. Procons. eiusdem originis esse videntur. Vide quae supra coniecimus s. v. Marcula. De Hamakeri coniectura utrumque esset משכולה *locus uvarum* ab אֶשְׁכֹּל. In *ula* etiam latere possit *bal*, unde *Maxula* מכס בעל *tributum Baalis*.

Masitholus fl. Africae occidentalis, מַשְׁאֵת בעל *donum Baalis*, §. 25.

Masucaba s. ep. Maur. Caes. מעשו עקב opus insidiarum? insidiis partum, cum ו compaginis §. 37.

Mathara sed. ep. Numid. i. q. Macthara מעתר locus adorationis.

Maturbum sed. ep. Maur. Sitif. מַתַּח עֲרֵב *donum dulcedinis* i. e. dulce, cf. Tuburbum.

Maxula v. Mascula.

Mazaca sed. ep. Numid. מְצָקָה i. q. מְצוּקָה *angustiae*, *locus angustus* (inter montes).

Mazara castellum Siciliae, מְצָרָה i. q. מְצוּדָה *arx*, cf. מָצָדָה et מְצוּדָה, it. Mazaca.

Mediccara opp. Zeugit. Ptol. *Medugara* in inscr. nuper reperta (Semilasso in Africa V, 133). Scriptum videtur עמרי קרה, עמרו קרה *columna urbis*, *gara* pro *cara*, §. 26 et §. 29, 2, a.

Megara, suburbium Carthaginis, v. §. 18 v. Magalia.

Melicbuza sed. episc. Maur. Sitif. מלי קבצה *plenitudo pugilli*, fort. manipulus, cf. קבץ pr. manu prehendit, tenuit.

Melite cf. pag. 92.

Melza vel *Melzita*, unde oppidum Melzitanum al. Melizitanum Plin. 5, 4, *Μελδείτα* Ptol. Cf. מלץ laevis fuit.

Membresa opp. Zeugit. i. e. מברשה *silva abietina* s. cyparissina, a בְּרוֹשׁ, inserto m. Ham.

Membro, locus prope Uticam, cf. מַמְרֵא *Μαμβρῆ* V. T.

Meneggere statio Byzac. מֵי נַגָּרָה *aqua catarractae*, §. 29, 2, z.

Menephessa (male al. Menegese) sed. episc. Byz. מֵי נפש *aqua recreationis*.

Meninx, antiquius Girbae insulae nomen. מֵי נקש *aquae collisionis* i. e. collidens? an מֵי ניח *aquae quietis*?

Midila sed. episc. Numid. Est idem nomen atque *Bidil* q. v.

Migirpa sed. episc. Afr. proc. Vel מְגִרְפָה *gleba*, vel מגר בעל *hospitium Baalis*. Apud Cyprianum male legitur Misgirpa.

Mileum, *Milevum*, opp. Maurit., unde Optatus Milevitanus, מְלֵא, מְלֵו *plenitudo*, cf. Malva.

Missua, *Misua* opp. Zeugitanae cum lapicidinis (v. Strab. XVII p. 834. Shaw Voyages 1, 199. Hamak. 265) מַסּוּעָה *lapicidina*.

Molochath, *Mulucha* fl. Maurit. (Hamak. p. 240), מלוחה (fluvius) *salsus*.

Motye Siciliae, in num. מטוא p. 297.

Moxor sed. ep. Numid. מָקְצֹר *demessus* cf. ad formam *moncor* מָנְכַּר Plaut. 1, 10.

Musulubium, opp. Mauritaniae, מוֹצָא לובים *fons sitientium*.

Musse, *Musti* (unde Musticensis, inscr. apud Shav. 1, 227), oppida Byzacii, it. *Musta* Syrt. Tres formae dictae videntur pro *Muza*, vel מוֹצָא exitus, porta, vel מָעוֹז, מְעֻזָּה arx.

Muthul fl. Numid. contr. ex מוּת בעל i. e. *aqua Baalis* p. 223 not. §. 29, 2, w. Eadem forma מוּת est in

Mutigena, *Mutugenna*, opp. Numid. מותי גנה *aqua horti*. De *u* compaginis §. 37.

Muzuca sed. ep. Byzac. מְצוּקָה angustiae.

Muzul, sed. ep., Aug. c. Don. 6, 41. מְעֻזָּל בעל *arx Baalis*.

Mysocaras portus Ting. מו שקר *aqua mendax*, cf. שקר *sucar* Plaut. 2, 63, vel מו סכר *aqua clausa*.

Mythistratos, opp. Siciliae Polyb. 1, 24 מותי עשתרת *aqua Astartes*, cf. Muthul, Mutigenna.

Nababurum opp. Maurit. נב עבור *proventus frumenti*.

Nagidus opp. Ciliciae (נגיד princeps).

Nara locus prope Sufetulam נהרה *flumen*.

Naraggara, *Narangara* opp. Afr. proc. נהר דַּגָּרָה fluvius catarractae §. 29, 2, z.

Naratcata s. ep. Numid. נהרת קטן?

Niba sed. ep. Numid. ניב *proventus*, *fructus*.

Nora Sardiniae (p. 154), נערה *puella*, et n. pr. locorum in V. T. vide Lex. man. 675.

Nummula, al. *Namnula* sed. ep. Afr. proc. נעם בעל *gratia* s. amoenitas *Baalis*.

Nuroli sed. ep. Byz. נור בעל *lux Baalis*.

Oea opp. Tripol. *Aea* Sil., *Aeaea* Appulej. Nonne עַיָּא *ruina*, *tumulus*?

Parada opp. Afr. Hirt. 87. Num talmud. פָּרָד granum mali Punici, פּוּל granum?

Phtut, et *Putput* duo oppida Afr. פְּתוּת *fractum*, *frustum* et פתפות id.

Rabbotis, vetus nomen Phoenices Steph. Byz. רַבּוֹת significaret *urbes capitales*.

Digitized by Google

Simile nomen gessit sed. episc. Afr. unde ep. Rabautensis August. Opp. IV, 210.

Ramitha, *Ramatha*, vetus nomen Laodiceae (Boch. 744), רמחא *alta*.

Rubricatus fl. Numidiae, רו בריכת *rivus benedictionis*, vide ad Cit. 22.

Rucuma sed. episc. Afr. proc. i. q. רָקֶם קמה, *hortus floridus*.

Rusaddir, *Rusadder*, *Ῥυσαδδίριον*, promontorium Tingit. ראש אדיר *caput illustre*. De ראש significatu promontorii vide p. 356 et arab. راس, hodieque in imperio Tunetensi habes راس الابيض *Capo Bianco*, et *Rasaddar s. Cap bon.* Shaw I, p. 201.

Rusazis itin. 17, *Rusazas* Plin. Ptol. promontorium Maurit. Caes. ראש עז vel ראש עזיז *caput forte* i. e. *munitum*.

Rusconia, *Rusgonia*, *..guniae*, col. Maurit. ראש כָּנְיָה *caput anguli*, *γωνίας*. כנעה enim a rad. כנע genu flexit, *genu* inde *angulum* significare videtur. Cf. 388 B. Num eodem pertineat *Ruscinona* portus Liv. 30, 10, ubi insignis scripturae varietas est, non definio.

Rusibis portus Ting. Ptol., *Rutubis* Plin. ראש בית cf. Curubis.

Rusicade, *Rusiccade*, opp. maritimum Numidiae, ראש יקדה *caput ardoris* vel *ignis* i. e. pharus (Ham.).

Rusicibar locus maritimus Numidiae Ptol. *Rusubbicar* itin. 16. Si haec forma nativa est, scribendum ראש הבקר *prom. armenti*, si illa, ר׳ כבר *prom. magnum*: sed illud praeferendum.

Ruspae opp. Byz. ראש סה *caput orae*, cf. Carpis.

Ruspina, *Ruspinus*, oppidum Africae propriae Hirt. Plin. Sil. Dio Cass., ראש סָנָה *caput anguli*, cf. Rusgonia.

Rusubeser, *Rusuppisir* ראש בָּצָר *promontorium auri* l. aeris nobilis. Vide Lexx. h. v.

Rusucurrum, *Ruscarium*, *Rusucurium*, *Rusuccorae*, opp. marit. Mauritaniae. ראש קרת *caput urbis*, cf. ad Amacurra.

Ryssadium prom. Libyae, ראש שדה *caput agri*, non bene Ham. ראש חד *prom. acutum*.

Sabratha, urbs Tripolit. in nummis צברתעל i. e. *collis Baalis* p. 322.

Sala opp. Maurit. Ting. Plin. Mela. Ptol. סָלַע *rupes*. Quod in itin. pag. 7 est, *Salaconia*, pro *Sala colonia* scriptum censent, sed eandem formam addictam habes in *Rusconia*, ubi vide.

Salamis Cypri. סלמן scriptum coniecimus ad Cit. 3 p. 133. Quae si aliorsum pertinent, Salamina שָׁלֵם = שָׁלֵם scriptum fuisse suspicor.

Salde, *Saldae* opp. Maurit. صلد *lapis durus*, vel i. q. זָרַד (cf. Sardabal), *r* emollito.

Sara, *Sarra* Tyrus i. q. צר *Sor*.

Sardabal fl. Maurit. זרד הבעל, cf. זָרַד *luxuries arborum*, it. n. pr. rivi Deut. 2, 13. 14.

Sarsura opp. Byz. Hirt. 75 et *Sasura* Ptol. 4, 3, illud שרשורה i. q. שַׁרְשָׁרָה *catena*, hoc idem *r* eliso. §. 23.

Satafis v. Sitifis.

Seggera opp. Leptit. Ham. scribit צעירה *sagira* *parva*, quod non reprehendendum cf. צָעִיר LXX *Σηγώρ*, *Σιγώρ*. Sed vc. potius compositum videtur ex *eggera catarracta* (v. §. 29, 2, z) et *s* = *bes*, בית, §. 29, 2, d. De eadem coniectura

Segermes, sed. episc. Byz., esset pro Besgermes בית כרם *domus vineae*, *c* emollito in *g* §. 25, 2.

Serbes fl. Maurit. Caes. a זרב hebr. et chald. diffluxit, v. thes. ling. hebr. h. v.

Sereddeli sed. episc. Maur. Caes. זרד אל, cf. Sardabal.

Sex, *Sexti*, urbs maritima Hisp. v. p. 309.

Siagul locus Byzac., Ham. אשכל racemus, malim גֵּית עָגֹל (v. *Seggere*) cf. *Thagulis*.

Sicca Venerea, urbs Numidiae ob lascivum Veneris cultum (Val. Max. 2, 6) nobilis. Iam Seldenus et Vossius id סֻכָּה *tabernaculum* scripserunt, coll. סֻכּוֹת נְנוֹת 2 Reg. 17, 30: quod non reprobo, quanquam illud ipsum ס׳ כ׳ admodum obscurum est. Sed magis placet, *Sicca* pro Sycca idem esse quod *Succa* et *forum* significare, cf. *Succabar*, et *Tubursicca*.

Sicilibba opp. Zeugit. שִׁקּוּי לִבָּא *irrigatio* i. e. recreatio *cordis* Ham., malo *forum ardoris* vel *Libyae*, *sic* = שׁוּק forum (v. ad *Sicca*) et לַבָּה flamma, לִבָּה Libya.

Sidon Phoenices, צִידוֹן *piscatus*.

Siga, *Sigatha*, Syphacis regia, in numis סיגת p. 325.

Sile, sed. episc. Numid. סלע rupes.

Simittu Plin., *Simithu* itin. *Simisthu* Ptol. opp. Numidiae. Alteram partem habes etiam in *Salitthu* §. 18. Nostrum est שֵׁם אֵתוֹ *nomen* (Dei) *cum eo*, cf. *Ithobal*. Eiusdem originis videtur *Sinitu* Numidiae.

Digitized by Google

Cf. quae observavimus append. secunda ad שמיתי in inscr. 70.

Simyra Phoeniciae, hebr. צמר (lana?), unde gent. צְמָרִי Gen. 10, 18.

Sinuara s. ep. Afr. pr. שִׁנְעָר.

Sisara palus Numid. שישרא *catena*, a flexu sinuoso (Ham. 252), cf. Sasura.

Sitifi, *Sitifis*, urbs Mauritaniae, unde Mauritaniae pars Sitifensis dicta est, a שְׂטָף *inundatio*. Idem valet *Satafis*, , oppidum illi urbi vicinum.

Soli Cypri, et *Soloeis*, *Solus* Siciliae in alto monte sita, סלע *rupes* vel סלעי *ad rupem pertinens*, cf. *Sala*, *Sile*.

Subur fl. Tingit. Polyb. 34, 7, Plin. Ptol. שבור = שֶׁבֶר, מִשְׁבָּר *fluctus*.

Sucarda, sed. episc. Maur. Caes. Prior pars est שוק سوق *forum*, de posteriore nil definio, sed videtur res quaedam venalis esse.

Succabar, *Sugabar*, *Σουχαβάρ* Ptol. opp. Maurit. Caesar. haud dubie est שׁוּק דָּגָר *forum frumenti* §. 29, 2, l.

Sudava opp. Maur. Caes., pro *Sudaval* סוד הבעל *sedes Baalis*. Inde contractum videtur *Suava*, *Suaba* s. ep. Numid.

Suel opp. Hisp. שועל (opp.) *vulpis*; cf. hebr. שְׁעָלִים.

Sufasar locus Maur. Caes. pro Sufi-asar שפי השר *collis principis*. Vide seqq.

Sufetula, *Suffetula*, urbs Byzac. (hodie Spêtla, Sbêtla), cuius egregiae parietinae hodieque supersunt. Scribo שְׁפֵי תעלה *collis aquaeductus*, urbs enim in colle sita et aquaeductu cum catarracta insignis est (Shaw Voyages 1, 260 ed. gall. Temple Excursions II, 241. Semilasso in Africa V, p. 60. 61). Cf. *Thala* et *Thuelath*. Nisi forte mavis שפית בעל *collis Baalis*.

Sufi, rectius *Sufibus* etiam primo casu, ut *Laribus* (v. itin. 48. 49. 51). Prius est שְׁפֵי *collis*, *bu*(s) = *bo* contractum ex *bal*. Cf. *Laribus*.

Succuba s. ep. Afr. proc. i. q. Succabar.

Sullucum opp. Numid. prob. שְׁלוּחַ *aquaeductus*. Similis originis (certe a שָׁלַח) sunt *Saluce*, *Silice*, *Sullecti*.

Sumucis opp. reg. Syrt. ܣܡܘܟܝܣ *cubile* Ham.

Sumula, sed. ep. Maurit. Sitif. שְׂמֹאלָה *laeva* i. e. septentrionalis.

Suptu locus Maur. Caes. שבתו *habitatio eius* (Baalis).

Suriga opp. Maur. Tingit. שְׂרִיגָה *palmes*.

Susicasi(a), *Susicazia*, sed. episc. Numid. סוסי קצר (locus) *equorum principis?*

Suthul opp. Numid. שְׂחוּל *plantatio*, cf. שחל n. pr. mulieris, inscr. Eryc. it. שיתבעל inscr. Numid. 4, quod contrahi poterat in *Suthul*.

De nominibus a *T*, *Ta* ordientibus, in quo saepe latet *Bet* בית, v. §. 29, 2, d.

Tabalta opp. Byzacii, בית אבעלה *domus Dominae* i. e. Astartes.

Tabraca, opp. Numidiae, בית אברכה *domus benedictionis*. (Boch. 475 scribebat תורקה frondosa a ورق).

Tacape opp. Tripol. etiam *Cape* (hodie Gabs, Shaw I, 252) dictum (Boch. 493), בית עקבה *domus clivi*, cf. Accabicum.

Tabuca sed. episc. Byz. i. q. *buca*, *bucca* בקי *urbs*.

Tacarata sed. ep. Numid. בית אקרת.

Tacatua, urbs maritima Numidiae, בית אקטועה, sive ק est i. q. ܩܛܒܥܐ *portio agri*, *fundus*, sive *locus abruptus*, *praeceps*.

Tagara, *Tagarata* sed. episc. Afr. proc. idem quod *Tacara* §. 25, 2.

Tagarbala sed. ep. Byz. בית גר בעל *domus clientis Baalis* (cf. ad גר arab. جار الله).

Tagaste, urbs patria Augustini, בית אֲגָזַת *domus thesauri*, vel בית קשת *domus arcus* (*g* pro *c*).

Tagura, *Thagura*, *Thigura* opp. Maurit. בית אגורה *domus hospitii*, vel בית יִגְרָה *domus timoris* i. e. pietatis.

Talbora sed. ep. Afr. proc. תֵּל בּוֹר *collis frumenti*.

Talubath, opp. Getuliae, *domus sitis*, pro בית לאובח.

Tamugada, *Tamogada* et *Thamugada* opp. Numid. בית עמוגד *domus populi fortunati*.

Tamusida, *Thamusida* opp. Tingit. בית עמוציד *domus populi venationis* i. e. venatorum.

Tamusiga opp. Tingit. בית עמוסיגת *domus populi cohortis* (cf. ad *Siga*).

Tamyras fl. Phoeniciae, vel a *palmis* dictus (תְּמוֹרָה, תָּמָר), vel fl. *absconditus* (טמור, טמור), cuius generis plura flumina habet Phoenice.

Tanaramusa locus Maur. Caes. בית מהר מוצא.

Taphrura, *Taparura* opp. Byzac. בית פַּרְוָר *domus suburbii*, Vav in vocalem soluto.

Tarsus Ciliciae, in numis תרז, p. 278, a

Digitized by Google

rad. ترز firmus, durus fuit, unde תִּרְזָה robur.

Tartessus Hispaniae, in V. T. תַּרְשִׁישׁ.

Taruda opp. Maurit. בית רוד *domus vagationis* s. erroris, cf. אַרְוָד.

Tasacora, *Tasaccora*, opp. Maurit. Caesar. בית אשכורה *domus ebrietatis* i. e. vino abundans.

Tasbalte opp. Byzacii (vix idem quod Tabalte), בית אשבלת *domus racemi.*

Tebeste, *Teveste* opp. Numid. בית יבשת *locus siccus.*

Tegea opp. Byzac. בית גיא *domus vallis.*

Tembros Cypri, תָּמָר *palma.*

Tenissa opp. Maur. Caes. et *Thinissa* aliud Zeugit. בֵּית נִצָּה *domus florum.*

Thabudis locus ad fontes Bagradae, בית עֲבֹדָה *domus servitutis.*

Thagulis opp. Syrt. בית עגל cf. Siagul.

Thala, opp. Byzac. תֵּל *collis*, vel תְּעָלָה *aquaeductus.* Ad posterius cf. Sallust. Iug. 941.

Thamarita opp. Maur. Caesar. תמרית *palmifera.*

Thapsus urbs Byzacii in isthmo sita, it. Siciliae urbs in peninsula sita (Boch. 539). Non dubito, quin scriptum fuerit תְּפְסָח pr. transitus (cf. תפסח Thapsacus ad Euphratem), dein *isthmus*, quo transitur ad peninsulam.

Thasarte opp. Syrt. בית השרת *domus principis.*

Theaenae, *Thenae*, urbs Byzac. maritima, תְּאֵנָה *ficus.*

Thenadassa opp. Syrt. טען הדסה *myrtifer*, cf. syr. ܛܥܢ tulit ager fructus frugesve. Ham. Vide etiam Idassa.

Theveste v. Tebeste.

Thibelis opp. Numid., unde aquae Tibilitanae August. Num תֵּבֵל *terra habitata* an potius בֵּית אָבֵל *domus gramineti*, cf. syr. ܐܒܠ = אָבֵל.

Thibinis opp. Maurit. Caes. בית אבן *domus lapidis.*

Thigiba locus Byzac. בית עגבה *locus amoris* fort. amoenitatis, vel בית עקבה *domus clivi.*

Thuburnica, col. Numid. טבור ניחה *clivus quietis* H., malim טבור יניקה *collis surculorum*, Ez. 17, 4.

Thubursicca, *Tubursica* opp. Numidiae, טבור שקה clivus irrigationis Ham., ego malim *clivus fori*, cf. §. 29, 2, l. Hanc explicationem tuetur simillimum nomen

Thubursicabure, *Thubursicubure* in Zeugitana August. c. Petil. 3, 40. Shaw Voyages 1, 220 ibique inscriptt. i. e. טבור שק עבור i. e. *collis fori frumentarii.*

Thubuscum opp. Maurit. Caes. Tac. Ann. 4, 24. Num Tubusuptus an טוב שקיו *bonus* (est) *potus eius!*

Thuelath opp. Libyae, תְּעָלַת *canalis, aquaeductus.*

Thunuba opp. Zeugit. תְּנוּבָה *proventus.*

Thunudromum s. oppidum Tynidrumense, Zeugit. תנו דרום *habitatio austri*, cf. תַּנּוֹת habitationes Mal. 1, 3 et arab. تنأ commoratus est, habitavit. §. 29, 2, k.

Thunusida, *Thunusda* opp. Numid. תנו צידה *habitaculum venatus* (Jagdhaus), cf. Tamusida, Tolocosida.

Thuzicath opp. Africae propriae בית עזיקת *domus effossionis*, novationis (Haus des Urbarmachens, cf. עִזֵּק Jes. 5, 2 et quae ibi notavimus).

Thysdrus, *Tysdrus*, *Tisdrus*, *Tisdra*, urbs Byzacii, בית עֵזֶר *domus auxilii.*

Tidida sed. episc. Numid. בית ידיד *domus amici.*

Tifilta sed. ep. Caes. תְּפִלָּה (בית) *domus precum*, fortasse a Christianis Punicis exstructa.

Tigava opp. Maur. Caes. pro Tigaval, unde Tigualensis (St. Paul. p. 115), et, quod eiusdem originis est, *Tigualta* sed. ep. Byz. fort. בית גי בעל.

Tigillava sed. episc. Numid. בית גל הבעל.

Tigisis opp. Numidiae (pag. 90) arab. تيجس v. Quatremère p. 82. בית עזיז.

Tillabari locus Syrt. תֵּל הַבָּר *collis frumenti.*

Timici opp. Maurit. בית עֵמֶק *domus vallis.*

Timida sed. episc. Maur. Caes. et Afr. proc. תְּמִידָא fort. a fluvio perenni, vel בית עמיד *domus columnae.*

Tingis, urbs Mauritaniae, arab. Tanga, hodie *Tanger*, fortasse תנית p. 309.

Tipasa opp. Maurit. prope Jol. Plin. Ptol. arab. تيفاش Quatremère p. 72. בית פז *domus auri.*

Tisurus, *Tysurus*, *Tusurus*, *Tuzarus* opp. Byzac. בית אוצר, magis enim probantur duae postremae formae.

Tocolosida opp. Tingit. תְּכֹל צידה *spes venationis*, ab aram. תְּכַל speravit.

Tramusdusim opp. Syrt., itin. 76. בית רם שֶׁדּוֹשִׁים *domus montis triturantium.*

Tubulbaca sed. episc. Byz. prob. טבור בקי *collis urbis*, *r* emollito.

Tubuna, *Tubunae* sed. episc. Numid. טוב

Digitized by Google

אוֹן s. טוֹב דּוֹן *bona opibus* i. e. opibus dives. Cf. טוֹב thes. no. 1, c.

Tuburbo, *Tuburbum*, duo oppida Afr. Proc. Ham. טוֹב רְבָא dives opibus cf. رَبٌّ copia bonorum et opum, malim טוֹב עֲרַבוּ *grata est dulcedo eius*, cf. Maturbum.

Tubusuptus opp. Maur. Caes. טוֹב שְׁבָחוּ *bona* (est) *habitatio eius* i. e. situs eius, wo gut zu wohnen ist.

Tucca, nomen complurium Africae urbium, in quibus celeberrima ea de qua supra dictum est p. 183, etiam *Thugga* dicta, hodie Dugga. Est תֻּקַּע *sedes*, *colonia*, a תָּקַע tentorium figere, ut תְּקוֹעַ in V. T. De *c* geminato vide §. 25, 2 et 26. Eiusdem originis est *Tucci* opp. Hisp.

Tuccabori, *Tucabor* opp. Zeugit. תקע בור i. e. Tucca frumenti, vel ת׳ בורי T. frumentaria. Solent enim urbes cognomines ita ab agnomine distingui.

Tuccubis opp. Zeug. תקע בית, cf. Rusubis.

Tumarra Ptol. 4, 2 תְּמוֹרָה *palma*.

Tunes (etis), *Τυνής*, *Τυνίς* hodiernum *Tunis*, prob. תנית pag. 309.

Turzo opp. Zeug. תְּרְצָה.

Tusiagath opp. Maurit. Caes. בית שיגעת *domus defatigationis*, vel בית שַׁעֲיַת *domus ruinae* s. collis.

Tyrus צוֹר.

Tysdrus v. Thysdrus.

Vabar opp. Maur. Caes. An وَبْر *gliris* murisve genus? cf. Bocharti Hieroz. I, 1005. Burckhardt Reisen ed. nostr. 865. 1076. Diversi generis muribus abundasse Africam testantur Herod. 2, 192. Plin. 30, 6. Shaw Voyages I, p. 322.

Vacca, *Vaga* (בקי urbs) p. 321.

Vagal sed. episc. Maur. i. q. Magal מעגל p. 392.

Vagarmel sed. episc. Numid., unde Vagarmelitanus, i. q. *Magarbal* מגר בעל villa Baalis. Idem significat *Vagrava* pro *Vagraval*.

Vala opp. Maurit. בַּעֲלָה *civitas*.

Valon fl. Tingit. בעלון *ad Baalem pertinens*.

Vasana, urbs Maur. Caes. i. q. בָּשָׁן *solum molle*.

Vardimissa sed. ep. Maur. Caes. ..... ברד *grando* ....

Vazagada Maur. Caes. בז הגד *praeda fortunata*.

Vazar, *Bazar* sed. episc. Numid. בָּצָר i. q. מִבְצָר *septum*.

Vazua mons Zeugit. בְּצוּעָה abscissa Ham. Malo pro *Mazua* מסעה *lapicidina*.

Ucibi opp. Numid. עֲקֵב *clivus*.

Vegesela, *Vegisela* locus Numid. it. Byz. בקי סלע *urbs petrae*, de nomine Vagae p. 321.

Vesceter opp. Maur. Caes. בַּז תָּאר *praeda diadematis*.

Ulizibirra locus Zeugit. עליז בר *laetus frumento*.

Una fl. Tingit. און *divitiae*, *opes*, cf. Tubuna.

Unuca, *Inuca* itin. 25. יְנִיקָה *surculus*, vel potius syr. ܝܢܘܩܐ.

Vol Ovώλ locus Byz. בעל, §. 22, 2.

Voncaria, *Boncaria* sed. episc. Maur. Caes. a Boncar i. q. Bomilcar §. 18 h. v.

Urbara opp. Maur. Caes., male Ham. אור ברא oppidum campi (nam אור hoc non significat), rectius עור ברא *palea frumenti*, v. עור chald.

Usilla proprie *Usula*, *Usala*, *Uzala* opp. Byz. עז בַּעַל *munimentum Baalis*, cf. §. 25, 1.

Ussara opp. Maur. Caes. עז שַׂר *munimentum principis*.

Uthina et *Utina* opp. Zeugit. עתין *locus ubi pecus procumbit*. Iob. 21, 24.

Utica Ἰτύκη. Num עתיקה *antiqua*, an *nobilis*, *generosa*, coll. عتيق. Boch. 473.

Uzagada Ptol. 4, 2 עז הגד *munimentum fortunae*.

Uzita opp. Byz. Hirt. 51, 53, et *Usceta* Hirt. 89, עז זַיִת *munimentum olivarum*.

Uzippara opp. Afr. pr. עז הַפָּר *munimentum iuvenci*.

Zalapa, opp. Byz. זַלְעָפָה *ventus calidus*.

Zama, complurium Africae urbium nomen, in quibus una, quae Numidarum altera regia erat bellisque Hannibalis et Iugurthae celebrata est. Credideris id צָמָא (sitis) scribendum esse, nisi fons ibi nobilis fuisset. Verum etymon prodit integra forma apud Ptolemaeum Ἄζάμα = עֲצָמָה *munita*.

Zaradu sed. ep. Numid. et *Zaradia*, *Zaratha* opp. Maurit. n. pr. a rad. צרד صرد frigidus fuit, cf. צִרְדָה.

Zelis, *Zilis*, *Zilla* opp. Maurit. Tingit. צֵל umbra, nisi potius erat בית אל, cf. Zella.

Zella oppidum Byzacii Strab. XVII p. 1188. Hamakerus (et iam ante eum Chiffletus) eandem putat atque *Usillam*, cui obstat, quod Zella etiam *Tzella* et *Tiella* scribitur (v. Holst. l. c. 89. 103), unde Tiellense, Thilense, Zellense concilium. Fortasse

Digitized by Google

igitur scriptum erat ביתי אל *betiel*, *besiel*, vide §. 29, 2, d.
Zeitha Zεῖθα prom. Syrt. זיתא *olea*.
Zucchara locus prope Carthaginem, unde aquae in urbem ductae sunt, inscr. apud Shaw I, p. 194. שוק קרת *forum urbis*. Ex eodem contractum videtur *Ζουγάρ* opp. Byz.
Zuchis opp. Syrt. שוק *forum*.
Zuchabari v. Succabari.
Zuma sed. episc. Numid. צומה *munita*.

CAPUT QUARTUM.

GRAMMATICA PHOENICIA ET PUNICA.

§. 21.

In medium iam prolatis et explicatis omnibus quotquot reperiri potuerunt, linguae scripturaeque Phoeniciae reliquiis, pro consilio nostro superest, ut totius disputationis tanquam summam grammaticas linguae leges, quoad eius fieri possit, brevi in conspectu componamus, et ex reliquarum linguarum Semiticarum, maxime linguae Hebraeae, rationibus illustremus. Qua quidem in descriptione, ne quis monumentorum scriptorumve locos desideret, quibus singulae formae reperiantur, semel monemus, ea exempla, quae litteris Hebraeis, sed sine vocalibus, scripsimus, ex monumentis Phoeniciis petita et in Lexidio §. 9 quaerenda, contra quae litteris Latinis Graecisque minusculis scripta sunt, ex indice Appellativorum §. 16, quae maiusculis, ex duplici Onomastico §. 18. 20 repetita esse, ita quidem, ut nomina urbium et locorum §. 20 quaerenda asterisco notata sint. Exemplis ex Plauto petitis actus quinti scenam versusque adscripsimus.

A. *DE LITTERARUM PRONUNCIATIONE ET PERMUTATIONE.*

§. 22. *De litteris* אהחע.

1. In *Aleph* et *He* litteris nil fere memoratu dignum est, quam Phoenices subinde more Syrorum א ponere, ubi Hebraei habent ה, velut in articulo א pro ה (§. 33, 1) et in nota feminini generis (§. 36). Aphaeresin *Aleph* litterae Schwa instructae habes in *nu* pro אנו *nos* Plaut. 2, 46 et *doni*, *donni* pro אדני 38. 41. Ibid. 1, 10 *ysl* scriptum est pro אשאל, ut arab. يسأل pro يسال. Contra Aleph prostheticum ante litteram Schwa habentem reperitur in *Ecnibal* pro קני בעל, *ἄλσουν* pro לְשׁוֹן. — *He* in vocabulis extremis omissi exempla vid. lib. I §. 40, 4. Adde עמ (עמ) pro עִמָּה Numid. 6, 5. 7, 2, et אש pro אִשָּׁה 7, 2.

2. *Ain*, ut apud Hebraeos, in pronunciando plerumque praetermissum raro *g* littera expressum esse docent haec exempla: *Abd.* עבד, *Astarte* עשתרת, *Atherbal*, *Asdrubal* (ubi minus bene Hasdrubal), *Auza**, *Ux*-ita* (עז), *Malethubalus* מעלת בעל, *bal* בעל, *jar* יער, *magalia* מעגל, et contra *Mago* מעון, *Pygmalion* פעם עליון, *Siga* סיעה. Adeo in *c* translisse videtur in *Micipsa* מעשי בעל, neque obstat, quod מעשי alibi *Masi* scribitur: simile enim exemplum exstat in חלפי, quod in N. T. et Ἀλφαῖος

et *Κλεωπᾶς* scribitur. — Magis memorandum est, ע sono ad O vocalem inclinante pronunciatum et propterea *o*, *ω* litteris expressum esse: unde intelligis quid caussae sit, quod Graeci Ain litteram Phoenicum pro *O* adhibuerint (p. 66). Non pauca eius rei exempla a Grammaticis neglecta iam in LXX exstant, v. c. מעכה *Μωχά*, *Μοχά* Gen. 22, 24. 1 Par. 2, 48, נעמה *Νοεμά* Gen. 4, 22, *Νωμάν* Jos. 15, 41, נעמן *Νοεμάν* Gen. 46, 21. Num. 26, 41, נערן *Νοαράν* 1 Par. 7, 28, sed plura in Phoeniciis v. c. *ἀχοι-οσίμ* אחי עזים, *γαθον-ολήμ* קטן עלים, *ὀθολαβάθ* עטלפת, *Βωλαθής* בעלתי, *Νωρά* * נערה, *Obba* * עבה, *Οὐώλ* * בעל, *Oea* * עיא, cf. *Nur-oli* *, *Masith-olus* *, *b* eiecto. Eodem modo legendum est מעקר *Mocar* et מעכת *mochût* regnum, de quibus vide §. 23, 1. In aliis exemplis ע etiam *U* littera expressum exstat, ut *Bulla* * בעלה, *Carepula* * קר בעלה, *Cast-ulo* * קשת עלון, *Sufe-tula* * שפט תעלה, *Thuelath* * תעלה, cf. *Ucibi* *, *Ulizibirra* *. Propter lenem eius pronunciationem passim abiicitur, ut hebr. בֵּל pro בְּעֵל, syr. ܒܠ pro ܒܥܠ cito. Ita ipsum בל in חכמבל, משיבעל pro מעשיבעל, בד pro עבד in בראשמן, בדעשתרת, *bod* pro עבד in *body* Pl. 1, 10, *Bodostor*, *Badezorus*. De traiectione eius vide pag. 209. — Ain pro Aleph positi exemplum est in עש pro אש (ignis) Numid. 6, 5, cf. 7, 2.

3. *Chet* litteram vel *ch* (*χ*) scribunt, vel *h*, ut *chylys* חלץ Pl. 1, 6, *chananim* חננים 2, 53, *minuchoth* מנוחות ibid., *Chanebo* חנבעל, *Chelbes* חֶלֶב; it. *Hamilcar*, *Hannibal*, *Hiarbas*, *Hiempsal*, *Himilco*, *Hizirgada* *, quae in melioribus libris *H* litteram habent. Rarius spiritus plane reticetur, ut in ἔλφος חֶלֶב, *atsir* חציר, *Amathus* * חֲמָת, Ἄγβαλος al. Raro etiam Chet palatina *g* exprimitur, ut in *Gisco* חזקון, *Gillicas*, *Tigillas:* nunquam *c* (*κ*) v. ad *Cabiri* vc. §. 16. — In monumentis pro *Chet* nonnunquam scriptum reperitur *Caph* (cf. hebr. חָבוּר et כְּבָר Chaboras, et alia exempla in Thes. I, 436), velut בעל כמן pro בעל חמן Numid. 2. 3. 4, אכת probab. pro אחת soror, בנאך pro בנאח (filius fratris).

§. 23. *De liquidis, praecipue l et r.*

1. Singularis linguae Phoeniciae, maxime Punicae, proprietas in eo cernitur, quod syllaba *al* et *ar* litterâ liquidâ in vocalem solutâ subinde mutatur in *ô*, ortum ex *au*, plane ut in gall. *cheval*, *chevaux*; *falsus*, *faux*; *a le*, *au*; germ. *alt*, belg. *oud* (aud); *halten* belg. *houden*; *Holz* belg. *hout*. In monumentis Punice scriptis *ô* vocalis vel ע littera exprimitur (§. 22, 2), vel plane omittitur (lib. I, §. 40, 2), velut מעקר i. q. מלקר, מקרת (in עבדמקרת): מעכת num. Iub. II litt. L et מכת (môchut) regnum i. q. מַלְכוּת pronunciationis autem certa testimonia habemus in nomm. propriis, velut *Mocar*, *Bocar*, *Bocchar* (p. 403), pro Malcar; *Mochus* (Bochus) pro *Malchus*; *Chanebo* pro *Chanebal*, *Iummo* pro *Iummal*, *Iumbal*; *Bo*milcar pro *Bar*milcar, *Himilco* pro *Himilcar*, *Sobal* (Subas) pro *Sar*bal, *liphocanet* Pl. 1, 3 pro לְפָרְקנת. Cave vero credas, hanc contractionem Phoenicibus propriam esse. Reperitur etiam in Veteris Testamenti Hebraismo, et nil dubito, quin בית מַעֲכָה LXX *Βὴθ Μωχά*, quod commodo etymo caret, dictum sit pro בֵּית מַלְכָּה *domus reginae*, ne alia exempla

Digitized by Google

memorem, in quibus ־ַר contractum est in וֹ, velut יְעֹעֲרוּ Jes. 15, 5 pro יְעַרְעֲרוּ, חֲצוֹצֵר tuba cecinit, pro חֲצַרְצֵר, prae ceteris דֹּדָנִים Gen. 10, 4, quod vix dubito quin pro דרדנים i. e. Dardanis s. Trojanis dictum sit. Similis est radd. הוּךְ, אוּץ, פּוּץ origo ex הלך, אלץ, פרץ, v. Thes. I, p. 393.

2. Alibi *l* et *r* vel sine ulla compensatione abiiciuntur, vel ita, ut ipsa vocalis antecedens producatur, ut in ܓܪܓܪܬܐ pro ܓܪܓܪܬܐ, עֲזָאזֵל pro עֲזַלְזֵל (v. Lex. h. v.) angl. *warm*, *dark*, *walk*, *talk*, quae efferuntur *wâm*, *dâk*, *wâk*, *tâk*, et vocali non producta *horse*. Ita *l* abiectum habes a) in mediis vocibus, *mac* pro *malc* (rex) in Lacu*mac*es; *Macar* i. q. Malcar, Melcar, *Ammicar* pro Ammilcar; b) in extremis vocibus, ut *churma* חרמל, maxime *ba*, *va* pro *bal*, *val* (בעל) p. 398. Cf. quae Bochartus (Canaan p. 603) de urbibus Hispanicis in *ba* exeuntibus verissime observavit. — *R* autem in media voce abiectum habetur in *Sasura* * pro *Sarsura* שרשרה, *Gigarta* * pro *Girgarta*, *Sanames* pro Sarnames; extrema voce in *si*, *sa* pro אֲשֶׁר (§. 33, 4); *atzi*, *zi*, *asi*, *si* pro *atzir*, *asir* חציר (v. *atzikurur*, *zimicum*, *Asisarath* *); *Malica* pro Malicar, *Gulalsa*, *Magdalsa* pro Gulalsar, Magdalsar. *R* litterae sequentis geminatione compensatum est in *Caccabe* * pro Carcabe, *Madassuma* * pro Madarsuma.

3. *R* in *L* emolliti exempla passim reperiuntur, ut *bythlym* Pl. 1, 5 pro בטרם, *Tubul* * pro *Tubur*.

4. *N* in extremis verbis, maxime peregrinis, decurtatum habes in בזנתי pro בזנתין Byzantium.

§. 24. *De sibilantibus.*

1. De monumentorum orthographia animadvertendum est, ס nonnunquam scriptum esse tum pro ז (v. ad Athen. 1, 1), ut סכר Athen. 1 pro זכר memoria, סך Tucc. 7 pro זך purus, חסק pro חזק num. inc. A, tum pro שׂ, ut in סר גד pro שר גד, סראסר pro שַׂרְאֹסֵר inscr. 58, עס pro עֹשֶׂ(ה) faciens Numid. 6, lin. 5. Numid. 7, 2. In nomine סטראצדת Numid. 6 ס adeo pro שׂ esse videtur, cf. שטראדם Tugg. 2.

2. In sibilantibus Graece et Latine scriptis non multum est, quod memoratu dignum sit. ס, שׂ et שׁ constanter scribuntur *s* (ut in LXX): ז modo ζ, *z*, ut in ζερα זרע, *Auz* *, *Uz* * עז, modo *s*, ut *Sardabal* * זרדבעל, modo *sd*, *zd* in *Asdrubal*, *Azdrubal:* צ modo *z* et *tz* in צרי ζουρι, *atzir* חציר, modo σ, *asir* חציר, modo *st* in ἀστήρ = חציר, *Mastanabal*. — Raro more Syrorum sibilans in dentalem transit, ut *atir* = חציר gramen, θὼρ = שׁור taurus, *thym* שם Plaut. 1, 9. — Ceterum his qui vocabula Phoenicia apud Graecos et Romanos obvia ad etymon recte revocare volent, non negligendum erit, vocibus in vocalem, maxime ־ִי, exeuntibus saepe *s* adiectum esse, v. *Adonis*, *Baaltis*, *Bolathes*, *Aris*, *Asasis*, fortasse *Maceris*.

§. 25. *Labiales, palatinae, dentales.*

1. E labialibus ב plerumque est ipsum *b*, et raro induratur in *p*, *ph*, ut in *Pataeci* (בטחים), ἔλφος חֵלֶב: saepius emollitur in *v*, v. c. *Vala* * בעלה, *Vaga* * בקי,

Digitized by Google

Vermina בר אמינה, adeoque in vocalem *u*, ut *ul* pro *bal* (p. 402 a. 411 a.). Non raro autem ב et מ, *b* et *m* inter se permutantur, etiam in monumentis, v. מעל = בעל in חנמעל, Maher*mal* = Mahar*bal*, *Vagarmel* * pro Magarbal, *Vagal* * pro Magal מַעְגָּל, *Bocchus* pro Mochus, *Bocchar*, *Bocar* i. q. Mocar (Hercules), *Bithyas* = בתויה.

2. De *palatinis* hoc maxime notandum est, Afros ק litteram modo geminando acuisse (cc), modo mitigasse in *g*, ut hodieque Mauri ق, ك et *x* antiquorum nominum *g* pronunciare solent, velut قال *gal* *), معلقة Malga p. 162; *Capsa* hodie Gafsa; *Cilma* nunc Gilma; *Curobis*, Gurba; *Teolaca* طولقة Tulga; Cap *Camarth* vulgo Gamarth al., cf. ex Hispaniae urbibus *Malaca*, hodie *Malaga*. Utraque scribendi et pronunciandi ratio reperitur in his: *Vacca* * בקי et *Vaga* * باجة; *Tucca* * et *Tugga* * תקע, hodie *Dugga*; *Succabar* * et *Sugabar* *; *Mediccara* * et *Medugara* *; *Gisco* et *Gisgo*; *Macares* * et *Bagrades* *; *Abutuca* * et *Aptunga* *; *Tacarata* * et *Tagarata* *; *Rusconia* * et *Rusgonia* *; sola geminata in Ἀκκαβικὸν τεῖχος; contra sola mollior illa in *Caraga* *, *gadon* קטן, *giggris* כנור, *rega* רקה Plaut. 2, 57. — Praeterea non indignum est memoratu, litteris palatinis in Africa nonnunquam adiunctum videri sonum vocalem obscuriorem, ut in aethiopico ጉ *gua*, ጕ *gui*. Ita *Iguilguil* * pro *Igilgil*; *Siguita* *, *Siguensis* (C. a St. Paulo p. 96), *Guira* et *Gira* * (ibid. p. 101).

3. Litterae ת et ט a diligentioribus eodem modo distinguuntur, atque in Versione Alexandrina, ut ת sit ϑ *th*, ט — τ, *t*, v. c. ϑιβών, ϑορπάϑ, *Thenae* * תאנה, ־ת not. fem. ubique *aϑ*, *ath*, et contra טוב *tub*: sed saepe etiam negligitur hoc discrimen, et multa nomina promiscue in libris mss. *t* et *th* litteris scripta reperiuntur. *Tau* autem in extremis vocibus etiam a) sono blaeso pronunciatum reperitur, ut ϑ, *th* Graecorum et Anglorum, v. c. בית in *Baes*-ippo *, *Bes*-ippo *, Bar-*bes*-ula *, אמת in *Amps*-igura, נערת in *Narz*-alus; b) passim abiicitur, ut מלקר pro מלקרת, עשתר pro עשתרת in Bod-*ostor* al., קר pro קרת urbs (§. 19, 2), קרת חדש(ת) (urbs nova) *Carthada* *.

§. 26. *De geminatione consonantium.*

In monumentis Punice scriptis geminatio non magis significatur, quam vocalium ratio. Qui vero Punica litteris Latinis Graecisve imitati sunt luculenter docent, easdem fere de litteris geminandis leges valuisse, quae apud Hebraeos valent, licet subinde neglectae sint.

1. Saepe enim geminatio prorsus *legitima* est, sive ex duarum litterarum compensatione orta est (Dagesch compensativum) sive ad naturam quarundam formarum pertinet (Dag. characteristicum). Prioris generis sunt: *syllohom* שֶׁלָּהֶם Pl. 1, 4, *ynnynnu* הִנֶּנּוּ 1, 10; *nissa*, *nesso* נִצָּה flos, *Gulussa* pro Gulalsa, *Hanno*, *Hannibal*, *Matten*, *Tigillas*, *Giddeneme*; Nar*aggara*, *Cenn*aba, *Caccabe*, *Gippa* *, *Idassa* *,

*) Dombay gramm. maur. §. 8. Omnibus Beduinis hanc pronunciationem tribuit Burckhardt, Reisen in Arabien p. 702.

Digitized by Google

Rusippisir *, *Rusibbicar* * al.; posterioris generis *muphonnium* Plaut. 2, 63, *addir* אַדִּיר in Rus*addir*, Ab*addir*. Adeo Dagesch euphonici memorabile exemplum exstat in *chi llu* Plaut. 1, 8 ubi vide.

2. Ac prius quidem geminationis genus prae ceteris necessarium perraro *negligitur*, v. c. *Ithobal* אִתּוֹ בַּעַל, *μάκα* (in Sisimaca) מַכָּה: saepe contra negligitur alterum, v. c. *hily* אֵלֶּה Pl. 1, 9, *jerasan* יְרַסַּן 2, 67, *κουσίμεζαρ* מְצַר קִשֵּׁא, *Carage* * כְּרַכָּא al. maxime in nominibus verbalibus formae קַטִּיל, קַטּוּל, קִטּוּל §. 37. Contra non raro *illegitima* quaedam geminatio reperitur, ut apud LXX interpretes *Ἀβεννήρ*, *Ἀβεσσαλώμ*, *Ῥωγελλίμ* רֹגְלִים, *Χεττούρα* קְטוּרָה. Ita maxime a) in ק littera, quae geminatione delectatur (§. 25, 2), b) post elisum ע, quod geminatione compensari videtur, ut *Massyli* מעשיאלים, *Massu*gada, *Massi*va, in quibus latet מעשה, *Bulla* * בעלה al. Alia exempla sunt: Me-*nephessa* * מֵי נֶפֶשׁ, *Messias* מָשִׁיחַ, *Hippo* יָפוֹ cf. Ioppe; *φυλλεσαδέ* פִּלְאֵי שָׂדֶה; *Iddibal* עֲדִי בַּעַל.

B. *DE VOCALIUM RATIONE.*

§. 27.

Scripturam Phoenicum vocalium signis prorsus caruisse, Phoenicesque litteras etiam י et ו rarissime vocalibus designandis adhibuisse, supra lib. I §. 39. 40 monstravimus. Nihilominus quae fuerit vocalium in lingua Phoenicia et Punica ratio, ex glossis et nomm. pp. apud veteres servatis non obscurum est, atque Phoenicum pronunciatio ab ea, quam Iudaei in punctis vocalibus codici sacro appictis expresserunt, haud multo magis discrepat ea, quam interpretatio Alexandrina et Josephus in nomm. pp. scribendis secuti sunt (v. hist. ling. hebr. §. 50). Imo vocalium ratio apud Phoenices ad hanc ipsam prope accedit: modo teneas, Poenos Africanos sonos obscuriores (*u*, *y*) in deliciis habuisse (§. 30. 31), eoque nomine etiam a Phoenicum pronunciatione discrepasse. Quae omnia non obstant, quominus vocalium ratio in formis grammaticis in universum eadem sit atque in Hebraismo: omnes certe earum mutationes intra tres vocalium classes sese continent. Quae forma apud Hebraeos *î* vel *é* litteram habet (אִישׁ, בֵּית, גָּדֵר, גָּדִיר), etiam apud Phoenices non alia vocali pronunciatur, quam *i*, *ai*, *ê*; quae in Hebraismo ו littera scribitur, non aliter atque *û*, *au*, *ô* efferri potest. In brevioribus tantum vocalibus, in semivocalibus sonisque obtusis exprimendis paullo maior est licentia, quanquam etiam haec certis quibusdam legibus coercita est (§. 31).

§. 28. *De A vocali.*

1. A longum s. Kamez Phoenices paene constanter *a* pronunciant, sive purum est (in קָטַל) sive impurum (in קַטָּל قَبَّال) v. c. *Δαγών* דָּגוֹן, *chanan* חַנָּן. Raro Kamez purum in syllaba extrema composita eaque accentu munita, more Syrorum et recentiorum Iudaeorum (v. Lehrgeb. p. 39), in *o* vocalem inclinasse videtur, v. c. *λαβόν* לָבָן in *ἀβιβλαβόν*, *ἀσουμέςλαβον*, *gozol* גּוֹזָל, *olom* (in Fid-oloma *) et *ulom* עוֹלָם, *chusor* קוֹשָׁר, et ita in duobus exemplis ־ָה finale pronunciatur *o* (§. 36, 2).

Digitized by Google

2. A brevius (Patach) non minus constanter servatur, quod exemplis firmare non attinet: raro *e* brevi exprimitur (ut Patach transit in Segol, יֶדֶכֶם pro יַדֶכֶם), ut *Atherbal* עֶתֶרְבַּעַל, *Acervas* pro *Sicharba*, *them* תֶם Pl. 1, 6, adeo in *i* breve transit (ut דִּמְכֶם pro דַּמְכֶם), *Gilgil* pro גַּלְגַּל. Prius illud in Vers. Alex. frequentatissimum est, velut *Μελχισεδέκ* מַלְכִּיצֶדֶק, *Νεφθαλείμ* נַפְתָּלִי, *Ἐλισαβέθ* אֱלִישֶׁבַע, et eodem modo Arabes efferunt Fatha in كَلْب *cälb*, *celb*. Raro etiam *a* longius (Kamez) hoc modo effertur, ut *nebel* נָבָל stultus Pl. 2, 68, Me-*neggere* * pro מִי נָגְרָה, cf. §. 36 extr.

§. 29. *I* (*et E*) *vocalis.*

1. *I* longum ◌ִי proprie *î*, graece etiam *ει* et (per Itacismum) *η* litteris exprimitur, ut *dobrim* דִּבְרִים Pl. 1, 6, *Abdalonim* עַבְדְּעַלְיוֹנִים, Cabirus כַּבִּיר, *addir* אַדִּיר, אלהים *ἐλοείμ*, איש *is* Pl. 2, 46. 56, *χουρζῆτα* חִרְצִיתָא, sed non raro etiam pro universa huius dialecti indole obtusiore sono, *y*, ut *chylys* חָלִיץ, *hy* היא, *chyr* כִּיר, *ely* אלי, *chym* כִּי אִם, *ys* איש, *bynni* בִּינִי (Pl. 1, 9), *Aserymus* אשרים, *Massyli*, *Masaesyli*, *Sydyk* al. *E* longum (◌ֵי, ortum ex ◌ֶי) vel *ai* efferunt in *Baἰτυλος* בית אל (ut LXX קֵינָן *Καινάν*), vel *e* (*η*, *ε*), *Βηταγών*, *Bethagbar* *, raro *y*, in *aly* עֲלֵי Pl. 1, 10, *Bytsaki* בֵּית שְׁקִי (Byzaci-um). Sed *Zere* purum plerumque est *î*, rarius *e*, *id* עֵד Pl. 1, 9, *sim* שֵׁם 1, 10, *Il* et *El* אֵל deus, *Gerastratos* גֵּר עַשְׁתָּרֵת.

2. Ubi Hebraei habent *Chirek parvum*, etiam Phoenices *i* pronunciare possunt, ut כִּתִּי *Κίττιον*, קִרְתָא *Cirta*, cf. *Migirpa*, *Missua*, sed magis delectantur suo *y* (ut שִׁמְעוֹן LXX *Συμεών*), ut *ynnynnu* הֵנֵּנוּ, *ym* אֵם, *bythlym* בְּתֻלִים, *Mygdon* מִגְדוֹן, *Myrcalus* מִלְקַר, *φυλλεσαδέ* פִּלֶאַי עָדָה al. Et iisdem vocalibus utuntur, ubi Hebraei habent *Segol*, sed longe frequentius *y*, cuius sonus obtusior Segol vocali Hebraeorum prorsus respondet. V. c. apud Plautum *yth* אֶת (n. acc.), *byn achi* בֶּן אָחִי, *syllohom* שֶׁלָּהֶם, *ysl* אֶשְׁאַל, *thlym* תֶּרֶם, *hily* אֵלָּה, *ynnynnu* חֵנֵּנוּ (cf. בֵּית שֶׁמֶשׁ LXX *Βαιθσαμίς* 1 Sam. 6): *i* pro *Segol* habes in *sibit* שֶׁבֶת Pl. 1, 9, *σιπέτ* זֶפֶת, *Sitifa* * שֶׁטֶף.

§. 30. *U* (*O*) *vocalis.*

U longum (וּ) Phoenices et Poeni constanter servant, velut גְּבוּל *gubûl*, בְּרוּךְ *burûch*, שְׁתוּל *Suthûl*. Sed וֹ (ortum illud ex ◌ֵו *au*) varie pronunciant: a) *au* (ut LXX אוֹנָן *Αὐνάν*), sed raro, v. c. *ἀχχαύ* אַקּוֹ (p. 386), *Madaurus* מָדוֹר, cf. *Augala* *, *Gazauphala* *; b) *ô*, apud ipsos Phoenices paene constanter, ut *Ἄδωνις* אֲדֹנִי, *Λαγών* דָּגוֹן, *Ζωφασημίν* צוֹפֵי שָׁמַיִן, *Sanchoniathon* al., raro apud Poenos, velut *macom* מָקוֹם Plaut. 1, 1, *Macom*ades; hi enim c) paene constanter pro singulari dialecti indole (v. Boch. 479) וֹ efferunt *û*, velut ap. Plaut. *alonuth*, *bynuthii*, *liful*, *lu* לוֹ, *mure* מוֹרָה, *rufen* רֹפְאִין, *gun* גָּאוֹן; *alsunalph* לְשׁוֹן אלף, *sufes* שׂוֹפֵם, *salus* שָׁלוֹשׁ tres, *ulom* עוֹלָם, *chusor* קוֹשֵׂר, *Asdrubal* עזרו בעל, *Musa* מוֹצָא, *Tubusuptus* טוב שָׁבְתוּ, cf. *Gunela* *, *Macuma* *, *Sullucum* *, *Sudava* *, *Ux*, *Us* עז in *Usilla* *, *Uxagada* *. Apud Phoenices ita raro, v. c. in *Ἐλιοῦν* עֶלְיוֹן, *Sanchuniathon*. Nonnunquam d) corripitur in *y*, ut alterum *y* in *tyfelyth* Pl. 1, 6, *κινύρα* כִּנּוֹר, *Tyrus* צוֹר, *Berythus* בְּאֵרוֹת: constanter autem haec vocalis usurpatur pro *Cholem* puro et mutabili

Hebraeorum (in קֹדֶשׁ, פֹּעַל), ut שֹׁרֶשׁ *συρίς*, פֹּעַם עליון *Pygmalion*, et pro *Kamezchatuph* (ŏ), ut *Byrsa* בָּצְרָה. — *O* hebraice א scriptum iisdem modis pronunciatur, ut ראשׁ *rûs* (§. 19, 2), it. *rys*, in *Ryssadium*, שְׂמֹאל *Sumul*-a, זאת *syth* Pl. 1, 1; tamen לוֹ *lu* (ei) distinguitur a לא *lo* (non) Pl. 2, 46.

De *y* littera, in cuius frequentiore usu Punicae pronunciationis ad obscuros sonos inclinantis indoles praecipue cernitur, cf. etiam §. 29, 2 et 31, 1.

§. 31. *Schwa mobile.*

1. Ubi Hebraei Schwa mobili sive simplici sive composito utuntur, Phoenices pariter atque Arabes Syrique (Lehrgeb. p. 72. 73) et LXX interpretes (hist. ling. hebr. p. 191. 192) vocalem brevem pronunciabant, quae plerumque ad sequentis vocalis, maxime longae, rationem se conformare solebat. Ita pronunciabant a) *a* sq. vocali *a*, מְנַשֶּׁה *Manasse*, מְלָכַת *Malâga*, מְדָר *Madar*, מְצָרָה *Mazara*, מְצָקָה *Mazaca*; b) *i*, in *Inibal* עֲנִיבַעַל, *Tigilla* תְּחִלָּה, *Gisira* * גְּזִירָה cf. *σιθίλ*, *Nisibis* *, *Hizirgada* *, *Tifilta* *, *Timida* *; c) *y* sq. *y* et *u*, *bynuthii* בְּנוֹתִי, *bynu* בְּנוֹ, *chylys* חליץ; d) *o* in *Cothon* קְטֹן, *Molochath* *, *Tocolosida* *, *Ammochostus* *, *Golossas*; e) persaepe *u* sequente *û*, ut מְתוּבַעַל *Muthumbal*, *gubulim* גְּבוּלִים, *Suthul* pro שְׁתוּל, cf. *gudubbal*, *muphursa* Pl., *Iugurtha*, *Gulussa*, *Buruch* *, *Dumur* *, *Mulucha* *, *Muzuca* *, *Subur* *, *Sumula* *, *Thunu*dromum *, *Thunu*sida * al. Sequebantur igitur eandem legem, quam non solum Rabbini in Schwa mobili pronunciando praeceperunt (Lehrgeb. p. 68) et LXX observarunt (cf. סְדֹם *Σοδόμ*); sed quae, utpote ipsi rei naturae convenientissima, in multis linguis valet, cf. sam. לוכון pro לכון *vobis* gr. et lat. *momordi*, *pupugi*, *homo* pro hemo (cf. nemo, semo), *socors* pro *secors*, *tuus* ex *τεός*, *novus* ex *νέος*, germ. vet. *pittara*, *pittiri*, *pitturu*, cf. quae ex Hungarica lingua comparavimus Lgb. p. 69. — Sed latius etiam patet haec lex. Namque non solum Schwa mobile sequenti vocali se accommodat, sed aa) etiam *vocales breves* ad sequentem longam se conformare solent, v. c. בֶּד אֵל *Bidîl* *, גַּרְגִּיר *Girgîris* *, כַּפְרוּת *Cufruta* *, שִׁלּוֹחַ *Sullûcum* *, שִׁבְתוֹ *Suptu* *, *lohom* pro לָהֶם لَهُمْ Pl. 1, 4, prae ceteris *Bodostor* בֶּד עַשְׁתֹּר, ubi duae priores syllabae ad *ô* in postrema se converterunt. Simile est arab. اِجْلِسْ et أُكْتُبْ. bb) Rarius etiam brevis aliqua vocalis ad praecedentem se conformavit, ut *Gulussa* pro Gulalsa, Gulassa; *Bocchor* pro Bocchar; *moncor* Pl. 1, 10 pro moncar, *Moxor* * pro Mocsar. Ita lat. *scopulus* ex *σκόπελος*. Cf. de forma articuli §. 32 extr.

2. Multo rarius Schwa mobile alia quadam vocali brevi exprimitur, quae ex sequentis auctoritate non pendeat, velut a) *ĕ* in *Methuastartus* מְתוּעשתרת, *Methymatnus*, *Delaeastartus*; b) *ĭ*, maxime sub praepositionibus praefixis, ut *birua* בְּרוּחַ Pl. 1, 4, *bimyssyrtohom* ibid. (al. bym), it. in *minuchot* 2, 53; c) *ŭ*, ut apud Arabes in מְקַטֵּל مُقَتِّل, v. c. *muphonnium* מְפַנֵּיהֶם Pl. 2, 63, *Sufe* i. q. שְׁפֵי collis in *Sufe*tula, *Sufibus*, *Suriga* שְׂרִיגָה. Vocalem, quae (ִי:) imitatur, habes in *ζουορι(ν)* צרי *succus*.

Digitized by Google

3. Pariter atque Hebraei, etiam Phoenices litterae vel geminatae vel certe tali, quae geminari debebat, vocalem brevem (Schwa mobile) adiunxerunt, ut geminatio magis perspicue audiretur (Lgb. p. 77). Ita *Giddeneme* pro *Giddneme* גַּד נְעֵמָה, *Ἀζέμιλκος* pro עז מלך, *Gillicas* pro חִלְּקָא. Atque in postremo hoc exemplo geminatio mere euphonica est, ut in *Ἐσβών* et *Ἐσσεβών* pro חֶשְׁבּוֹן, c. Dag. euphon. (Lgb. p. 86) חֶשְּׁבּוֹן.

4. Patach furtivum, ut in רוּחַ, habes in hoc ipso *rua* רוּחַ Pl. 1, 4, et in *choa* כּוֹחַ 1, 6.

C. *VOCABULORUM FORMAE ET DECLINATUS.*

§. 32. *Articulus.*

Articulus in monumentis triplici modo scribitur: a) semel plene אַל, ut apud Arabes, in אלמלך num. Cilic. F; b) eliso *l*, א (pag. 346 A); et c) ה, ut apud Hebraeos, ut הצדני Sidonius Athen. 1, הלבב cor Eryc. 5, מהשלג prae nive Eryc. 4, השפט iudex Carth. 5, הכבס fullo Carth. 9, הספר Carth. 3, הרב princeps Carth. 8, השר Tugg. 3, החרש Cit. 10, הזה haec Melit. 2, 2, בעל הלבי Hercules Libys Numid. 5, עם המחנת num. Panorm. הגדר num. Gad. — In nominibus Latine scriptis idem plerumque *a* littera exprimitur, ut *Bethagbar* * בית הגבר, *Gadamusa* * גד המוצא (fortuna fontis), *Sug-abar* * שוק הבר, et post *t* (ex *bet* orto §. 19, 2) in *T-abraca*, *T-abuca*. Sed post syllabam, in qua *û* est, ut *rûs*, ex lege cummaxime exposita (§. 30, 1, bb) articulus etiam in *ŭ* transit, ut *Rûs-uppisir* רֹאשׁ הַבֶּצֶר, *Rûs-ubbicar*, *Rûs-uccurum*. In *U* post *rûs* articulum latere, vel sequens littera geminata arguit.

§. 33. *Pronomina.*

1. *Pronominis personalis* eiusque *separati* hae formae reperiuntur: a) אנך *ego* Cit. 2, 1. 3, 1, quod *anech* pronunciatum esse videtur Plaut. 2, 35, cf. aegypt. ⲁⲛⲟⲕ. b) הא (pro הוּא) *is* Sard. 4, fem. *hy* (היא) *ea*, c) *nu* pro אֲנוּ nos Plaut. 2, 46.

2. *Suffixa nominum* (sing.) et *verborum* haec exstant: a) 1 sing. אבי pater meus Melit. 4, 5. 6. Cit. 3, 2. 23, 3. Tugg. 7, אמי mater mea Tugg. 6, מזרי sidus meum Cilic. G, נחתי Cit. 2, 2, *emanethi* Pl. 1, 8, *ischi* (חִשְׁקִי) 1, 2, *byn achi* 1, 3. Suffixum verbi habes in Byn-*ni* (בינני) Plaut. 1, 9. b) 2 sing. עבדך servus tuus Melit. 1, 2. Cit. 7, מזרך num. Cilic. A. B. c) 3 sing. masc. כבאה quum intraret Tugg. 5, בנה exstruxit illud ib. 7, n. pr. חכמתה Numid. 3. — ה illud apud Phoenices, ut apud Hebraeos (ה = וֹ) *ô* pronunciatum est, vide *Ithobal* אִתּוֹבעל, *Banobal* בָּנוֹ בַעַל, sed apud Poenos *û*, velut in *Lacu-mac* לְאָכֹה-מַךְ, *Massu-gada*, *Suptu* * שִׁבְתּוֹ, *Simittu* * al. Cum Nun epenthetico est *ynnynnu* ecce eum Plaut. 1, 10. d) 3 sing. fem. כלא Cit. 2, 2 pro כֻּלָּהּ omnis ea, plane ut Ez. 36, 5. Fortasse masculinum et femininum scribendo ita discernebant Phoenices, ut illud ה littera, hoc א designarent (cf. tamen לה = לָהּ Eryc. 4). e) 1 plur. אדנן dominus noster Melit. 1, 1, בעלן id. Carth. 2, 1. 3, 2. 5, 1. 2, מלכתן regnum nostrum Sard. 5. 6. num. Iub. maj. B., cum verbo ישמען audiat nos Cit. 1, 3. De pronunciatione constat ex *cuthnu* אחותנו

Digitized by Google

Pl. 1, 7. *U* igitur in scribendo quidem, sed non in pronunciando omissum est. f) 3 plur. masc. קלם vox eorum Melit. 1, 4, יברכם benedicat iis ibid. *mysyrthokom* Plaut. 1, 4, *muphonni-um* 2, 63.

Suffixa nominum pluralium haec pauca exstant: 1 sing. דברי (דְּבָרַי) verba mea Melit. 3, בחיי (בְּחַיַּי) in vita mea Cit. 2, 2, בחאיי Cit. 3, 1, *bynuthii* (בְּנוֹתַי, non בְּנוֹתָי) Plaut. 1, 3; 3 plur. קלתם voces eorum Tripol. 2, 2, *mytthibari-im* Pl. 1, 2, *sucora-im* 2, 63.

Suffixa particulis annexa haec sunt: a) 1 pers. *li* mihi Pl. 2, 51, *li velech* (ulech) mihi et tibi 1, 5. b) 2 pers. לך tibi gemm. no. 67, *lech* Pl. 1, 5. 2, 50. c) sing. *lu* (לוֹ) ei Pl. 1, 9. 10. d) 3 fem. לה ei Eryc. 4. בה in ea num. Cilic. G. e) 3 plur. *lohom* Pl. 1, 4 pro לָהֶם. הם pronunciatum est *hom* (arab. هُمْ), ut in mysyrtho*kom*, muphonni*um*, et huic syllabae se accommodavit vocalis praecedens. — Cum suffixo prim. pers. non confundendum י statui constructo annexum, ut משלי עת dominator populi Numid. 6, 4.

3. *Pronomen demonstrativum* fem. c. art. הזה (הַזֹּה) habetur Melit. 2, 2, vulgaris forma *syth* זאת Plaut. 1, 1. 8. Pluralis est *hily* (אֵלֶּה) Pl. 1, 8. *Relativum* nusquam plene scribitur אשר, sed ubique sola littera ש praefixa (p. 356 A). Pronunciatur autem a) *se*, *si*, *sy*, nonnunquam sq. littera geminata (שְׁ, שְׁ) v. c. *simacom syth* Pl. 1, 1, *syllohom* 1, 4, *si-si-maca* gramen veneris, *χονρμὰ σεμμαχθ*, *Tu-si-agath* *, *Masaesyli* *, *T-ramu-s-dusim*. Semel *esse*, in *nesso esse sade* pag. 394. b) *sa*, ut *sa-ely* Pl. 1, 8, *Sq-nchon-jado* (Sanchoniathon) שַׁנְיָתוֹן יָדוּ. De usu eius in genitivo designando v. §. 12. — Pronomen *interrogativum mi* (מי) quis? habetur Pl. 2, 42, *me* (מָה) quid? 2, 57, et indefinite positum in Cit. 2, 2 למ pro למי *ei quae*.

§. 34. *Verbum regulare.*

In variis verbi declinatibus lingua Phoenicia ab Hebraea nihil differt. Sed non multa verbi declinati exempla reperiuntur. Quae exstant, haec sunt.

Kal, 3 praet. נצב statuit Melit. 3, 1, סבל tulit Tugg. 5, מען confodit Num. 6, 1. 7, 1, *amar* אמר dixit Plaut. 2, 56.

Part. act. ubique defective scriptum: נדר vovens Melit. 1, 1 et saepius, שמע exaudiens Numid. 1, 1. 4, 3 et saepe, כנס coacervans Cit. 15, 4, מגע percutiens Numid. 5, 2, יצב num. Iub. maj. Pronunciatum esse *kutel*, apparet ex שמם *Sufet*. — *Participii passivi* exemplum videtur שכך *tectus* Eryc. 4 (pro שָׁכוּךְ). — *Inf.* c. praef. כשמע (כִּשְׁמַע) *ubi audiet* Melit. 1, 4. 3, 5, *liful* לפעל Pl. 1, 6: li-*phocanet* Pl. 1, 3 non infinitivus, sed nomen verbale est (פרקנת) more infinitivi constructum. — Fut. c. Suff. ישמען exaudiet nos Cit. 1, 3, *ysl* (אשאל) interrogabo Pl. 1, 10.

Niph. נגעל sepositus est Melit. 2, 1.

Pi. praet. *siccrathi* (fort. *siccarthi*) Pl. 1, 1. fut. יברכם Melit. 1, 4. *ierasan* (יְרַסֵּן) Pl. 2, 67. *Hithp.* מסתגר clausus Cit. 29, 2.

Hoph. part. משגח (מַשְׁגָּח) spectatus Numid 4, 1, *moncor* pro moncar (§. 31, 2 extr.) Pl. 1, 10.

Digitized by Google

§. 35. *Verbum anomalum.*

Huius, quae exstant, exempla vel in monumentis vel apud Plautum reperiuntur, sunt autem haec:

Verborum ע״ע: Praet. Kal: סלת (סַלְתָּ) a rad. סלל Trip. 2, 2, fut. יבר (יָבֹר) purus est Eryc. 4.

Verb. פ״י: Imp. *laech* (לְךְ) i, Plaut. 2, 51, *sibit* (שָׁבָת) habitare 1, 9.

Verb. ע״ו: Praet. קם (קָם) stat Tripol. 1, רח (רָח) respiravit Cit. 7, 2, נר (נָר) luxit Cit. 22, 2. שתי (שָׁתִי) posui Cit. 2, 3. Inf. כבאה (כְּבֹאה) quum intraret, Tugg. 5. Imp. עץ (עֹץ) ab עוץ = יעץ Trip. 2, 1. Fut. יבא veniat Sard. 5. ישת ponebat Num. 6, 3. Niph. נבש (נָבַשׁ) pudefactus est Eryc. 5.

Verb. ל״ה: Imp. *avo* (חָוֹ) salvete Pl. 2, 34, ubi vide. Pi. fut. *ianna* (יְעַנֶּה) ib. 2, 50. part. *muphonnium* (מְסַנֵּיהֶם) removens eos 2, 63, cf. de syllaba *mu* §. 31, 2, c., de suff. §. 33, 2: in altera syllaba *o* positum est pro *a*, ex lege §. 31, 1, bb. מרץ Gerb. 2 fort. pro מְרַצֶּה gratiam implorans, abiecto ה lib. I, §. 40, 4. ויהי (וַיְהִי) Tugg. 5.

§. 36. *De nomine. Nota feminini generis.*

Nominum multo plura, quam verborum, exempla reperiuntur, tum in monumentis, tum maxime apud veteres scriptores, qui (praeter Plautum) vix alia vocabula Punica, quam nomina sive appellativa sive propria servarunt. Antequam ad varias nominum formas recensendas accedimus, de *feminini generis nota* nobis dicendum est.

Atque haec, qua in re dialectus Phoenicia ab Hebraea paullulum differt, in monumentis (praeter unum exemplum מלכה pro מלכת num. Malac. D.) nusquam, quod sciam, littera ה (ה־) indicatur, sed 1) plerumque ת littera, velut עמת populus, שנת annus, רבת (רַבַּת) domina, מאת centum, עלת holocaustum, איית (אִיַּת) insula, כלת claustrum, קרת חדשת urbs nova, et in nomm. pp. אהבת, בעלת Belo, מלכת Malaca, מרת Marathus, סיגת Siga, Sigatha, בריאת Barathia, עבדרת Abdera, מחנת (מַחֲנַת castra) Panormus, סטראצדת (praefectus venationis), ne ea exemplа memorem, in quibus nomen in regimine est, ut בעלת civis Athen. 3, חיית (חַיַּת) vita Tripol. 2, 2, בילת מעקר civitas Herculis num. Vag., עמת צברתעל populus Sabrathae, אשת uxor τοῦ — Cit. 4, מצבת cippus τοῦ .. Athen. 1, 1 et saepe. De *pronunciatione* si quaeris, in nonnullis sane ת respondet terminationi ת־ Hebraeorum, ut קרת (קָרֶת), אשת (אֶשֶׁת) et ita זפת pix scribitur σιπίθ, שָׁבָת *sibit:* verum in plerisque ת pronunciatum est ת־ *ath*, atque respondet terminationi ת־ in Hebraismo rarae, v. c. קאת pelecanus Jes. 34, 11, בדקת Ez. 28, 13, sed frequentiori in nomm. pp. populorum vicinorum, ut Phoenicum (אַרְפַּת Sarepta 1 Reg. 17, 9. 10), Idumaeorum (אילת Aelana, גובבת 1 Reg. 11, 20, בשמת Gen. 26, 34. 36, 3), Philistaeorum (גלית, אחזת), etiam ipsorum Hebraeorum (מָחֲלַת uxor Rebabeami, חבדת n. pr. opp.). Id enim arguit sexcentorum nominum tum appellativorum tum propriorum pronunciatio, velut in plantarum nominibus: βουινεσάθ, βουρκουμάθ, δουβάδ, θορπάθ, ναράτ, λαβοθολαβάθ, in nomm. pp. oppidorum et locorum *Iagath*, *Acrath*, *Irath*, *Molochath*, *Chobath*,

Digitized by Google

Masatat, *Marath*-us, *Rubricat*-us, et multo plura apud Ptolemaeum 4, 1—3, ut *Θιαθ*, *Θουζιαθ*, *Γουαιαφαθ*, *Χυλημαθ*, *Νασαναθ* al. Plura, quae apud Ptolemaeum in *ath*, alibi in *a* exeunt, v. c. *Molochath* Plin. *Mulucha*, *Chobath* itin. *Choba*, *Νασαναθ* cod. Pal. *Νασανά*: sed in ipsa Poenorum pronunciatione ad *a* accessisse sonum dentalem, vel ex gentiliciis colligi potest. Solent enim a *Melza* (Melzath) formare *Melzitanus*, a *Maxula* (Maxulath) — Maxulitanus, quae res fraudi fuit geographis, velut Carolo a St. Paulo et Holstenio, qui — *ita* saepe ad urbis nomen referunt, idque *Melzita*, *Maxulita* fuisse statuunt. Similis ratio est Arabum, qui ـَـة feminini generis notam pro lubitu fere *a* et *ath*, *eth* pronunciant, perraro ـَـت scribunt, ut كَلِمَت pro كلِمَة Cor. 10, 20, غيابت Sur. 12, 11.

Nonnunquam *ath* terminationi additum est *a*, ut *Siga* et *Sigatha*, *Tagara* et *Tagaratha*, *Izatha*, *Ramatha*, quae forma eadem est atque in תִּמְנָתָה, אֶפְרָתָה, et in multis appellativis, ut יְשׁוּעָתָה, עֶזְרָתָה.

2. Multo rariora sunt feminina exeuntia in א (more Aramaeorum et recentiorum Hebraeorum), velut אִיָּא insula num. Syrac. E, מנחא (מְנַחָא) quies inscr. Gerb., תארא n. pr. Cit. 4, 1, חנא (חַנָּא) Anna Carth. 5, 1 et עברחנא Carth. 9, בענא num. Cilic. N, quibus accedunt nonnulla peregrina, ut לאדכא Laodicea, הרנא Irene. Apud veteres scriptores quidem plurima feminina in *a* cadere solent, velut *alma*, *alla*, *Ampsigura*, *Achulla*, *Capsa*, *Malaca*, *Mazara*, *Usula*, *Utica*. Sed etiam haec nomina, ubi scripta inveniuntur, ת habere solent (v. מלכת Malaca), unde apparet, ipsis Phoenicibus hanc formam magis fuisse familiarem.

Pauca, quae inveniuntur, exempla in *e* exeuntia, ut *Giddeneme*, *Barce*, et in *o*, ut *nesso* נְצָה flos, *xittw* קְדָה cassia, *Belo* בעלת Hisp. opp., et ipsa per א scripta cogitanda sunt. Illud simile est pronunciationi Arabum in خليفة *Chaliphé*, hoc Syrorum pronunciationi (cf. §. 28, 1).

3. Nonnulla nomina apud Phoenices formam femininam habent, ubi haec apud Hebraeos non usitata est, v. c. עמת (עַמַּת) et contr. עת (ex עמת) i. q. עם *populus*; אִיָּת, אִיָּא insula i. q. אִי, *Oea* עַיָּא ruina al. *Irath* עירת urbs, n. pr.

4. Cum feminini generis nota non confundendum est *a* (ـָה, ـָא) nonnunquam nominibus propriis virorum adiectum, quod proprie vim demonstrativam habens (ut in הַמָּה, לַחְלָה Ps. 124, 4, gr. hebr. §. 93, 1) apud Syros articuli vim nactum est. Ita in V. T. n. pr. עַבְדָּה est *ὁ δοῦλος* i. e. *δοῦλος τοῦ θεοῦ*, et apud Phoenices עבדה et עבדא (p. 354), quod idem valet atque אעבד (p. 347) cum articulo (in אעבדא Cit. 23 utraque ratio cumulata est), כבא (dolor), דמליחא, דרבשמא, *Barca*, *Gala*, *Gauda*, *Gillica*(s), *Massugada*, *Sabura*, *Sicharba*: sed in *Tigilla*(s) a est feminini nota.

§. 37. *Nominis formae.*

De nominum, quae vel a verbo regulari ducta sunt vel eius analogiam sequuntur, formis haec praecipue notanda sunt:

Digitized by Google

1. Nomina participialia simplicia (קָטֵל, קָטֵל, קָטוּל, קָטִיל) cum Hebraeis satis congruunt, si modo respicis quae supra de vocalium ratione dicta sunt (§. 28. 29. 30) v. c. *Dabar* דָּבָר, *nebel* נָבָל (§. 28, 2), *Gadir* * גָּדֵר, *rufe* רֹפֵא medicus, *Nagid* * נָגִיד princeps. In statu constructo et in feminino Schwa mobile sequitur legem §. 31 expositam, ut *Hizirgada* * חֲצִיר גַּד, *chylys* חֲלִיץ, *Cabarsus* * כְּבַר סוּס. Semel comparet prostheticum, ut *ἀλσουνάλφ* אֶלְשׁוּן אֶלָּף.

2. Nomina participialia intensiva et a Piel ducta, apud Hebraeos Dagesch munita, ut קַטָּל, קַטִּיל, קַטּוּל, קְטַלָּה (Lgb. §. 120, no. 6. 9. 18. 19), nonnunquam quidem geminata media scribuntur, ut *addir* אַדִּיר, *Abbarus* חַבָּר, *Hannon* חַנּוֹן, *Manasse* מְנַשֶּׁה, *Gummas* * גּוּמָּץ, *Achulla*, *Idassa*, *Fussala* al.: sed saepius neglecta geminatione (§. 26, 2), *chanan* חַנָּן Pl., *Sydyk* צַדִּיק, *Cabir* כַּבִּיר, *Sadid* שַׁדִּיד, *Amud*-arsa עַמּוּד, *dibur* דִּבּוּר, *Κιτρα* כִּתּוֹר, *Abora* *, *Ebora* * עִבּוּר, *Carage* * כִּרָּא.

3. Nomina formae קִטִּיל, קְטוּל, קִטּוּל cum femininis ex lege §. 31, 1 leguntur *kitîl*, *kotôl*, *kutûl*, ut *Gisira* *, *Cothon* קְטָן, *gubul* גְּבוּל: quum vero etiam formae segolatae *kitil*, *kotol*, *kutul* pronunciari possunt (v. no. 4), non nisi ex formarum Hebraearum comparatione intelligi potest, quae singularum ratio sit.

4. Ex formis Segolatis a) forma קָטָל, ut apud LXX, plerumque sonasse videtur *kátel* קָטָל, ut in nominibus litterarum אָלֶף, דָּלֶת, לָמֶד, סָמֶךְ, quarum formam Phoeniciam Hebraei servasse videntur, cf. *Sala* * (סָלַע), sed accedente alio incremento unâ syllabâ *katl*, ut *Malch*-us, *Abd*alonim, *Cast*ulo. Alia exempla sunt *sibit* שָׁבָת Pl., *ζέρα* זָרַע (plane hebr.), *Cerne* * קָרֶן. Plur. cstr. פְּלֵאֵי est *φυλλε*- cf. *φυλλεσαδέ*, c. suff. *suptu* pro שִׁבְתּוֹ ex lege §. 31, 1, aa. b) formae קָטָל sunt: nomen litterae *Gimel*, *ἐλφ*-*ος* et *Chelb*-es חֶלֶב. c) formae קָטָל, קָנָשׁ — *συρίς* שָׂרָשׁ, *Tucca* * תֻּקָּע. d) In forma נַעַר et fem. נַעֲרָה Ain vel est a longum vel ô (§. 22, 2).

5. In nominibus auctis formae מְקָטָל, maxime femininis, nonnunquam ea est vocalium ratio, quae in syriaco ܡܰܕܶܢܚܳܐ *madencho* linea *Mehagjono* indicatur, ut secunda et tertia (non prima et secunda) consonans syllabam efficiant. V. c. *muphursa* (מָפָרְשָׂה) Plaut. 2, 50, ubi hebraice scriberes מַפְרֶשָׂה; *mysyrtokom* ib. 1, 4, *Migirpa* *.

6. Frequentia sunt nomina in ות.. (ût), velut מלכת, מעכת, מכת *regnum*, *ochût* (אחות) fraternitas, *Cuphrut* כפרות (Ortschaft).

7. *Gentilicia* in י desinentia v. lib. I §. 40, p. 57. Femininum in —ִיָּה habes in *Carteja* * i. e. קַרְתִּיָּה.

Eandem analogiam sequuntur nomina a verbo anomalo ducta, quorum pauca appono exempla:

a. a verbis פ"נ et ע"ע, quorum geminatio plerumque servata est, non neglecta (§. 26, 2), ut *Missua* * מַסָּעָה a נסע, *aggara* אַגָּרָה (in Nar-aggara) a נגר, *Matten* מַתָּן a נָתַן; —*nissa* (in Ti-nissa) נְצָה flos, *Till*-abori *, *Tigillas*, *tummy* Plaut. 1, 2.

b. a verbis פ"י: *musa*, *muxa* מוֹצָא fons, *mure* מוֹרֶה doctor.

c. a verbis ע"ו: *id* עֵד testis, *el*, *il* אֵל deus; *tub* טוֹב bonus; *macom* et *macum* locus, fem. *Mazaca* *, *Muzuca* *, pl. *minuchot*.

Digitized by Google

d. a verbis לֹה: *Sufê* (שְׁפֵי) in *Sufe*-tula, *Sufi*-bus; *Ini*-bal עֲנִיבַעַל; *Thunu* = תְּנוּ; רו *rû* i. e. רוי pluvia (p. 147). — Audacem quandam contractionem habes in עת *populus* pro עֶמֶת (v. pag. 199).

De nominibus anomalis (Lehrgeb. §. 143) ad ea, quae §. 9 ex monumentis observata sunt, pauca addimus aliunde depromta:

אב *pater*, v. p. 346. In st. cstr. reperitur etiam אֲבוּ (more Aramaeorum) v. *Abutuca* * et per aphaeresin בו, ut in *Βουινεσάθ*.

אש (אִישׁ) *vir* p. 347. Scribitur *is*, *ys* Plaut. 1, 6. 2, 45. 55.

בית *domus*, in st. cstr. ubique בת p. 348 B. Pronunciatur *bet*, *bes*, *bis* et per aphaeresin *t* §. 19, 2.

בן filius, cstr. *byn* Plaut. 1, 3. c. suff. *binu* 1, 7. Pl. cstr. in *Bani-ubae* *, *Bani-uri* *. Fem. c. suff. *bynuthii* filiae meae Pl. 1, 3.

מים *aquae*. Huius reperitur singularis numerus *mô*, f. *môth* v. §. 19, 2.

§. 38. *Nomina composita.*

1. Nominum compositorum permagna vis reperitur in Phoeniciis, quum nomina propria, quorum tam multa supersunt, pleraque composita esse soleant. Ac geographica quidem nomina ex quibus elementis composita esse soleant, copiosius disputatum est §. 19, 2: personarum contra nomina pp. persaepe deorum, maxime Baalis, Milcarthi, Astartes, Esmuni, nomina secum adiuncta habent, variis modis contracta et decurtata, qua de re vide s. v. Baal p. 402. 419. Melicarthus p. 410. Quae quum satis trita sint, unum addimus, homines nonnunquam ipsorum quoque deorum nomina gerere, qua quidem in re est ellipsis nominis עבד, quemadmodum apud nos in ecclesia Romana vir, qui *Mariae* virginis nomen gerit, se servum eius profitetur (vide ad Cit. 5, p. 136).

2. Quod apud Hebraeos in duobus nominibus copulandis priori annecti solet *Jod compaginis*, velut in גבריאל (vir Dei), etiam apud Phoenices usitatum fuisse, arguit vel nobilissimum *Hannibalis* nomen, quanquam *î* vocalis in domestica scriptura omissa est: חנבעל, חנאל i. e. חַנִּיאֵל. Simile *Jod* compagini inserviens esse videtur in *Rus-i-bis* * ראש בית, *Mut-i-genna* * מות גנה aqua horti. Sed praeter hoc etiam *u* (ו) eidem rei inserviisse videtur, veluti *Maleth-u-bal* * מעלת בעל, *Adrumetum* *, *Rusubeser* *, *Tubusuptus* *, quanquam in iis, quorum prima syllaba habet *û*, dubitare possis, sitne *u* illud duobus nominibus interiectum potius pro articulo habendum, qui praecedente *û* eundem sonum sibi vindicat (§. 32 extr.).

3. Inserviebat vocalis illa inserta mitigandae duritiei, quae ex duarum consonarum collisione facile oritur. Sed eidem in aliis vocabulis unâ consonâ extrusâ consultum est, velut מלקרת pro מלך קרת (rex urbis), חמלקר pro חנמלקר, צברתעל pro צברתבעל, cf. §. 17 extr.

§. 39. *Pluralis numeri forma.*

1. Nominum masculinorum pluralis numerus plerumque, ut apud Hebraeos, exit in ־ִים, quod in monumentis sola ם littera scribitur, ut חים vita, צדנם Sidonii,

Digitized by Google

מעשילים Massyli, עבדסם (servus equorum), איבנם (insula filiorum), כברחים (longae vitae), graece et lat. scribitur *im*, *εμ*, *ημ* (îm), ut in *alonim* Plaut. 1, 1, *dobrim* 1, 6, *gubulim* 1, 9, *chananim* 2, 53; cf. *ἐλοειμ*, *γαθουολήμ*, *butzuzim* (§. 16) et in nomm. pp. *Abd-alonim*(us), *Abd-elim*(us), *Aserim*(us), *T-ramu-s-dusim* al.

Nonnisi raro reperitur terminatio יִן— Aramaeis familiaris, in monumentis solo ן designata, ut שרדן Sardi, Sard. 2. 3, כתן Citii, Cit. 1, 1, מעשלן Massyli Numid. 4, 2, dubium est צרנן Sidonii, num. Sid. N, graece et lat. *ην*, *en*, ut *βοιδήν* (bidin, rectius *biddin*) בִּדִּין; *rufen* medici Pl. 2, 46, *Baalsamen* בעל שמין dominus coeli, *ζωφασημιν* fort. *ζωφησαμιν* astrologi, quae Syriasmum redolent. Exemplum rarioris illius terminationis in יִ— *î*, esse videtur *Body* = עבדים Pl. 1, 10.

2. In statu constructo יִ— pro more (§. 40, 3, b) scribendo omittitur, ut שן בן pro שְׁנֵי בְּנֵי Melit. 1, 3, מבעל num. Gadit. pro מִבַּעֲלֵי, בעין pro בְּעֵינֵי Numid. 4, 1. Pronunciando efferebant *ê*, vide *φυλλεσάδε* פְּלֵאֵי עָשָׂה, nonnunquam *î*, *y*, ut in *Baniubae**, *Baniuri** בני אור, *aly* עֲלֵי Plaut. 1, 10.

3. Nomina feminina in plurali exeunt in ות, omisso ו scriptum ן, ut קלת voces, אבת patres Cit. 1, 3, אגדת turmae Num. 5, 2. Pronunciatur proprie *ût*, ut *alonuth* Plaut. 1, 1, *binuthit* 1, 3, at etiam *ŷth* in *thyfetyth* 1, 6, et *ôt*, *minuchot* 2, 53.

§. 40. *Particulae.*

1. De particularum praefixarum ב, ל, מן, ו usu in monumentis egimus in Lexidio §. 9, p. 347. 349 A. 351. Praefiguntur autem vel *ĭ* brevi (§. 31, 2), quod est pro Schwa mobili, vel cum a in *lasibit* לָשֶׁבֶת Plaut. 1, 9, *lachananim* 2, 53, prorsus ex lege Hebraeorum, quorum normam sequitur etiam *Vav* copulativum in *valonuth* ועליתות Plaut. 1, 1, *li velech* 1, 5, et contra in *u*binuthli 1, 3, et *u*bimysyrthohom 1, 4.

2. Aliae particulae, quae apud Plautum reperiuntur, sunt: *lo* לא non 2, 46, *ynn* חִנֵּה 1, 5, c. suff. *ynnynnu* חִנֵּנוּ 1, 10, *thym* תֵּם = שָׁם ibi 1, 10, *chi* כי 1, 9, *ym* אִם 1, 10, *chym* כי אם 1, 2, *aly* עֲלֵי 1, 10, *hinam* חִנָּם 2, 56. In inscriptionibus habes: על p. 354 B, אף etiam.

D. *OBSERVATIONES SYNTACTICAE.*

§. 41.

1. Articulum Phoenices in monumentis parcius ponunt, et nonnunquam omittunt, ubi apud Hebraeos vulgo ponitur, sed omitti tamen potest. Ita additur vel soli substantivo in אלמלך גדל rex magnus Cilic. G. vel soli adiectivo in בעל הלבי Baal Libys Numid. 5, et omittitur post nomen suffixo munitum, עבדך יגע servus tuus fessus Tripol. 2, 3 (cf. Gen. 43, 14. Iud. 16, 5. 6. 15. Ps. 18, 18). In Tuggensi bis est מך הרבשמא מך שלגי rex N. N., quum apud Hebraeos frequentetur דַּוִד הַמֶּלֶךְ, חַמֶּלֶךְ ש׳. Non negligendum tamen, hos viros esse in vulgus notos, illos regulos in hac sola inscriptione reperiri. — De caussa articuli in האב שרדן (*der* Vater der Sardinier) Sard 2. 3 dictum est p. 157.

Digitized by Google

2. Etiam nominibus propriis quibusdam articulus praefigitur: אגדר et הגדר Gades, et עם המחנת num. Panorm. G (vulgo עם מחנת), qua in re Phoenices eandem legem secuti esse videntur atque Hebraei (Lgb. §. 167). De elliptico quodam articuli usu, quo אעבד ὁ *δοῦλος* dicitur pro *δοῦλος θεῶν* vide quae observavimus ad Cit. 23. 24 p. 149. 150.

§. 42.

1. *Genitivum* Phoenices vel a) statu constructo indicant (de cuius forma contractiore vide §. 37, 1), vel b) ש littera i. e. pronomine relativo, ut Chaldaei et Syri Daleth praefixo (v. exempla p. 356), vel denique c) של (ut apud Rabbinos), quod ortum est ex אֲשֶׁר לְ. Num. 6, 1. 7, 1. Reperitur etiam די, signum genitivi apud Syros, in n. pr. Syriaco חכם-די-חילא Cit. 8, 2, sed inde effici non potest, hoc apud Phoenices usitatum fuisse. Quod vero dicunt ל מלך rex populi alic., in eo non genitivus est, sed dativus (v. ad Numid. 1 p. 199). — Genitivum nomini proprio additum (ut in *Σάρεπτα τοῦ Σιδῶνος*) habes in מ׳ שרם Panormus Romana, num. Panorm.

2. Accusativi signum est את (*yth*) Tripol. 2, 3, quod praemittitur substantivis suffixo definitis Plaut. 1, 2. 3. 7. 8, semel nomini articulo carenti, *yth alonim* Plaut. 1, 1, sed definito tamen, quum articulus ibi omissus sit, ut in אֱלֹהִים pro הָאֱלֹהִים.

§. 43.

1. Pro *pronomine personali* primae personae (*ego*) in titulis non raro ponitur עבדך *servus tuus* (v. Melit. 1 p. 98), ita quidem, ut deinceps in prima persona pergatur, ut Gen. 44, 32 et (quem locum nuper addidit Benaryus) 2 Sam. 19, 21. — Inscriptionum auctores nonnunquam etiam tertia persona de se loqui ordiuntur, sub finem tamen in primam personam deflectunt. Melit. 3: נצב מלכבעל .. לבעל אבן כשמע כל דברי *posuit Malchibaal — Baali lapidem, quum exaudivisset omnia verba mea.* Melit. 4: *Cippus Malchosiridis .... ex voto patris mei.* Tugg. lin. 7: *exstruxit filius patri meo.* Sed in Cit. 2 omnia sibi constant, et orditur auctor a prima persona.

2. Suffixum ante ipsum nomen *πλεονάζον* habes in *syllohom alonim* Plaut. 1, 3, ubi vide, et *muphonnium sucorahim* 2, 63. De alio quodam pleonasmo pronominis possessivi vide pag. 400 s. v. Adonis cf. 204.

3. Pronomen demonstrativum, ut apud Hebraeos, nomini postponitur, ut *macom syth* Plaut. 1, 1, בכלת הזה Melit. 2, 2; semel tamen praeponitur, in *hily gubulim* אלה גבולים Plaut. 1, 9, quod apud Hebraeos in recentiore sermone (v. Thes. s. v. זה no. 1, aa) et apud Syros usitatum est.

§. 44.

1. In *temporum* usu (v. exempla §. 34. 35) omnia legitima sunt, pauca notatu digna. Pro optativo modo tum futuro utuntur Melit. 1, 4. Plaut. 2, 67, tum imperativo, quem deinceps excipit praeteritum Tripol. 2, 1. 2. Praeteritum, quod asseverantis est, habes Tripol. 1. Futurum de praeterito imperfecto vel de re saepius repetita exstat Numid. 6, 3.

Digitized by Google

2. In *formae femininae* usu, maxime in praedicato et ubi verbum paullo remotius est a substantivo, parciores esse Phoenices, vidimus ad Cit. 23, 3. Tripol. 1.

APPENDIX PRIMA.

DE INSCRIPTIONIBUS NUMIDICIS SEXTA ET SEPTIMA

(ad pag. 213).

1. Duae hae inscriptiones ineditae, tum scripturae genere tum formulis sibi admodum similes, ex imperio Tunetano nuper admodum ab homine, ni fallor, Iudaeo, rerum antiquarum mercatore, in Italiam transportatae, et, postquam Hollandiae regi frustra venum oblatae erant, in Museum Borbonicum, quod Neapoli est, delatae sunt. Apographum earum ex Italia impetratum ex schedis Musei Lugdunensis mihi primus dedit Cl. *Leemans:* cui exemplo quum in nonnullis diffiderem, ectypa ipsarum gypsea obtinere studui tandemque ea impetrare contigit. Quum autem cista ad me missa in itinere diu retardaretur egoque commentarios meos ex solius apographi auctoritate pendere nollem, in appendicem eos reiicere oportuit. — Lapis, cui utrumque monumentum insculptum est, Travertinus est in illis regionibus satis frequens. Prius (no. 6) sedecim digitos mensurae Berolinensis altum, undecim latum est, posterius octodecim altum, duodecim latum est: utriusque crassities latitudini fere aequalis. Is, cui vacca insculpta, lapis in medio fractus est: at testificatus est, qui lapidem vendidit, haec unius monumenti fragmenta esse, neque est quod hoc in dubio ponamus. Unum dubitari posse videtur, an tertia quaedam eaque superior lapidis pars, humanam forte figuram continens, perierit, quam coniecturam suadere possint tum lapides nostri Numidici quartus et septimus, tum monumenta quaedam illius regionis illiterata (v. pag. 210). Genuina autem esse haec monumenta et ex ipsa Numidia allata, vix dubitabit, qui et scripturae indolem cognoverit, et horum lapidum imagines cum monumentis Lugdunensibus prope Vaccam Siccamve repertis comparaverit: cui accedit quod saxi genus (cuius parvum specimen ad me missum est) prorsus idem est atque in Lugdunensibus.

2. Litterae in universum, ut diximus, eaedem sunt, quae in reliquis monumentis Numidicis reperiuntur. Sed duae tamen in iis novae sunt et amplioris fere indaginis. Una ter obvia est VI, lin. 2 litt. 6. lin. 5 litt. 2. VII, lin. 2 litt. 5, manifesto distinguenda tum a *Schin* littera, quae propria sua figura octies comparet VI, lin. 1 litt. 8, lin. 3 litt. 2, lin. 4 litt. 6, lin. 5 litt. 4, VII, lin. 1 litt. 8. 20, lin. 2 litt. 7. 12, et paullo maiore VI, lin. 3 litt. 4. 13, tum a *Zade* IV, lin. 2, 10. Iam supra (p. 324. 326) observavimus, eam pariter atque simillimam quandam in numis Sigensibus *Samech* (idque subinde pro *Sin* positum lib. IV §. 24) esse, et facile apparet,

Digitized by Google

quomodo haec figura orta sit ex ea, quae habetur inscr. Tripol. 2, 2 et Athen. 1, 1. Altera eaque magis dubia est VI, lin. 1, 11. lin. 4, 8, cuius potestatem neque ex figura neque ex contextu certo definias. Ac figura quidem tum *Beth* (v. lib. I §. 14 no. 18) tum *Phe* litterae (ib. §. 28 no. 2) similis est: ab utraque tamen paullulum differt, cui accedit quod Beth praeterea ter vulgari sua figura capitata comparet. Contextus quoque quum in utroque loco obscurior sit, non definio, utrum *Beth* sit, an forte etiam *Vav*, quod utrobique non ineptum fuerit. — In reliquis elementis nihil fere memoratu dignum est. *Lamed* litterae tres figurae comparent; una notissima supra lineam eminens VI, lin. 1, 9. lin. 4, 1 (cf. pag. 18), VII, lin. 1. 9. 15; secunda VII, lin. 2, 3 (cf. Numid. 4, 1); tertia, cuius figura non differt a Nun, VI, 3, 9. 5, 6. VII, 2, 9; quae eaedem etiam in Numid. 1—4 reperiuntur.

3. Quibus ita praemunitis ad tituli *sexti* interpretationem accedamus, quam ita instituere placet, ut septimi lapidis formulas *παραλλήλους* simul tractemus.

Ac novem primae utriusque lapidis litterae eaedem sunt: טענאעבנשל, nisi quod in *septimo* quarta et quinta transpositae sunt, hunc in modum: טענעאבנשל, quae ita dispesco et interpretor: טען א׳ ע׳ בן שׁל *confossus est* (טָעַן), *o domine*, *servus tuus*, *filius τῆς* ....., vel: *confodit* (טָעַן) *servus tuus filium τῆς* .... in no. VII א׳ ע׳ *servus tuus*, *domine*, quod ab illo non differt. Quum vocabuli טען litterae certissimae sint, de sola potestate verbi quaerendum est, quae non alia esse potest quam *transfodiendi* (Jes. 14, 19: מְטֻעָנֵי חָרֶב LXX. *ἐκκεκεντημένοι μαχαίραις*) i. q. طعن confodit hasta: altera enim *onerandi* (Gen. 45, 17) ab hoc sermone prorsus aliena fuerit. Atqui transfodiendi verbum ad hominem referri potest vel in bello confossum vel diis, maxime Saturno, mactatum et sacrificatum, cuiusmodi sacrificia humana maxime ad averruncandas calamitates publicas instituta apud Poenos, adeo sub Romanorum imperio, ad Hadrianum usque perdurasse constat (v. Diod. 20, 14. Porphyr. de abstin. 2, 56. Clem. Alex. protrept. p. 27 Sylb. Euseb. de praep. evang. 4, 16. Lactant. instit. div. 1, 21. 5, 10 cf. Münter Rel. der Carthager p. 17 sqq.). Hoc posterius autem praefero et utrumque hunc lapidem in memoriam pueri nobilis a parentibus hostiae instar in publica calamitate oblati positum fuisse suspicor, de quo more Philo ap. Euseb. l. c. *ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς τῶν κινδύνων ἀντὶ τῆς πάντων φθορᾶς τὸ ἠγαπημένον τῶν τέκνων τοὺς κρατοῦντας ἢ πόλεως ἢ ἔθνους εἰς σφαγὴν ἐπιδιδόναι λύτρον τοῖς τιμωροῖς δαίμοσι. κατεσφάττοντο δὲ οἱ διδόμενοι μυστικῶς.* Id enim 1) arguere videtur formula in utroque titulo extremo comparens, in qua *holocausti* mentio est; 2) lapidi *septimo* insculpta est pueri imago, quae eadem etiam in aliis huius generis monumentis (v. Numid. 4 et pag. 210) reperitur, et fortasse adeo in superiore parte *sexti* reperta est; 3) quod in utroque monumento ipsius confossi nomen reticetur soliusque patris matrisve nomen commemoratur, id vix alio modo explices, quam „confossum“ puerum fuisse infantem vel certe impuberem, in cuius sanguine profuso parentum pietatem animumque generosum commemorare satius ducebat inscriptionis auctor, quam infantis nomen posteritati tradere. Solebant autem in huiusmodi sacrificiis pueri non solum cremari vivi (Diod. l. c.), sed etiam *mactari*.

Digitized by Google

Vide Philonem l. c. Clem. Alex. p. 27. A. B. D. Porphyr. ap. Euseb. l. c. de sacrificio humano apud Salaminios: *ὁ δὲ σφαγιαζόμενος ὑπὸ τῶν ἐφήβων ἀγόμενος τρὶς περιεθεῖ τὸν βωμόν· ἔπειτα ὁ ἱερεὺς αὐτὸν λογχῇ ἔπαιε κατὰ τοῦ στομάχου, καὶ οὕτως αὐτὸν ἐπὶ τὴν νηθεῖσαν πυρὰν ὡλοκαύτιζον.* — In א' ע' pro אדני עבדך et ע' א' pro עבדך אדני non multum est difficultatis (cf. lib. I §. 37), neque maior in של Genitivi nota, quam cum recentiore Hebraismo communem habent Phoenices: unum vero disputandum superest, verbum טען utrum active an passive cogitandum sit. Illud si sumeres, sententia esset: *immolatus est* hoc in loco, *o domine* (Saturnus s. *Ilus* אֵל intelligendus videtur) *servus tuus*, *filius* τῆς N. N., in quo tamen hoc displiceret, quod puer ne nomine quidem commemoratus *cultor dei* appellaretur, quam ipsam ob caussam admitti etiam nequit alia litterarum אע expositio: איש עבדך cf. Cit. 33, 3. Praestat igitur active reddere: *immolavit*, *domine*, *servus tuus filium* τῆς ..... i. e. *immolavi ego filium* τῆς, de qua sententia עבדך i. e. inscriptionis auctor non alius est quam pueri avus mox commemorandus, qui sacrificium numini offerri iusserat.

Quinque signa sequentia continent n. pr. *matris* pueri immolati. Matris dico, non patris, sequitur enim בת *filia*. Sed nonnisi duae postremae litterae עת (populus, v. p. 355) integrae sunt: trium priorum signorum initiale est *Nun*, secundum signum illud incertum, sive Phe, sive Beth, sive Vav; tertium, quoad ex infima parte iudicatur, aut *Nun* est aut *Thau:* possit etiam *Resch* fuisse. Oritur inde vel נורעת (lux populi) vel נֹבֶתעת (surculus populi), vel simile quid, quod relinquo opinaturis.

Sequitur interiecto בת (בַּת) et ע' = עבדך nomen patris, qui avus erat pueri immolati: סטראצדת, quod lego: שֹׁטֵר אַצֵּדַת *praefectus venationis*, ex סֹטֵר i. q. שֹׁטֵר arab. ساطر *praefectus*, א art. et צדת = צֵידָה, צַיִד (pun. *sida*, *zida*) *venatio*. De *Samech* littera supra dictum est, in reliquis nihil dubii inest.

Quae avi nomen excipiunt, ad dignitatem eius pertinent et ita legenda sunt: שישת עת על בן משלי עת *quem ponebat populus super filium dominatoris populi* cet. Litterarum potestas satis certa est: grammaticae autem interpretationi haec inserviant. Ac 1) עת (populus) contractum illud ex עמת hanc ipsam ob caussam femininum videri possit: quod nihilominus h. l. cum verbo masculino ישת (יָשִׁית) copulatur, non magis mirum est, quam quod apud Hebraeos quoque nomina אוֹת, דֶּלֶת, קֶשֶׁת, etsi proprie feminina, subinde cum masculino coniuncta reperiuntur, qua de re vide Lgb. p. 474. 2) Offendere aliquis possit in usu futuri ישת, quum de re praeterita agatur. Sed haud scio an consulto hoc tempus posuerit inscriptionis auctor, vel quia Sotrasidatho nunc cummaxime proregis munus demandatum erat, vel quia eodem iam saepius erat functus. 3) Jod in משלי statui constructo annexum est, ut in שֹׁכְנִי סְנֶה Deut. 33, 16, הֹפְכִי הַצּוּר Ps. 114, 8. — Erat igitur, si recte interpretati sumus, Sotrasidathus unus ex proceribus regi vel principi iuveni proregis instar adiunctus, cuiusmodi amici regii apud Orientales *patres regis* appellari solebant (v. Gen. 45, 8. Thes. ling. hebr. I p. 7).

Reliqua usque ad postremam formulam et manca et dubiae interpretationis sunt, in quibus supplendis et explicandis mihi non satisfacio. Perspicuae sunt litterae עשת:

Digitized by Google

has excipit littera illa incerta (vel Beth vel Vav), hanc *Resch*, *Mem* (vel *Tau*), *Resch* et spatium duarum litterarum, unius lin. 4 extr., alterius lin. 5 ineunte. Fortasse omnia olim ita lecta sunt: עשתורת רבת [עת] [*populus*] *Astartes Dominae*, quod certae cuiusdam civitatis Numidicae nomen fuisse potest, pariter atque Siga בילת מעקר *civitas Herculis*, et Vacca בקי מלקר *urbs Herculis* appellata est. Obstat quidem, quod ו in עשתורת incertae potestatis est et alibi omitti solet; sed in recentioris aetatis monumento hoc ferri possit: quanquam si quis meliora dabit, non repugnabo.

Septem postremae litterae עסעשעלת una littera mutata עסאשעלת reperiuntur etiam VII, lin. 2 litt. 4—10 et, pariter atque initium, eandem formulam continent, quae sententia non mutata et hoc et illo modo scribi poterat. Emendatior autem ea esse videtur, quae in *septimo* lapide est, quamque hoc modo dispono et explico: עס אש עלת i. e. si more Hebraeo scribas: עֶשֶׂה אִשָּׁה עֹלַת *offerens sacrificium holocausti*. Tum in עשה tum in אשה He abiectum est more apud Phoenices recepto (lib. I §. 40, 4): ס in עס scriptum est pro שׂ: in lapide *sexto* autem pro אש minus accurate habetur עש, ex litterarum permutatione satis vulgari. Nihil autem in sacrificio humano aptius quam *holocausti* mentio, quum omnia huius generis sacrificia tota cremari solerent. Vide praeter Porphyrii locum supra (p. 447) laudatum, Clementem Alex. ibid. *Φωκαεῖς δὲ .... Πυθοκλῆς .... τῇ Ταυροπόλῳ Ἀρτεμίδι ἄνθρωπον ὁλοκαυτεῖν ἱστορεῖ*, et Jos. Archaeol. 4, 7 §. 10, ubi de Jephtae filia: *θύσας τὴν παῖδα ὡλοκαύτωσεν*.

His ita disputatis inscriptionem *sextam* hunc in modum lego et interpretor:

טען א׳ע׳ בן של נו**ר
עת בת ע׳ סטראצד
ת שישת עת על בן מש
לי עת עשתו*רת ר(ב)
(ת) עס עש עלת

Immolavit, domine! servus tuus filium Nur-*
athae, filiae servi tui Soterasi-
dathi, quem ponebat populus super filium domina-
*toris populi Astartes * princi-*
pis, offerens sacrificium holocausti.

Quae incertae lectionis atque interpretationis et nonnisi coniecturalia erant, asterisco notavimus. Pertinent ea partim ad matrem pueri immolati, partim ad Numidiae tribum, cui proregis instar praeerat pueri immolati avus. Reliqua satis perspicua sunt, et nil dubito, quin in hoc lapide servata sit memoria pueri ab avo suo, Numidicae cuiusdam civitatis prorege, in publica quadam calamitate diis vel potius Saturno immolati. Qualis fuerit illa calamitas, ex ipso titulo effici non potest: sed nescio an haec significetur imagine, quae in eodem lapide comparet. Credibile enim est, bovem bene saginatum, qui mergitem depascitur, ad vota fertilitatis pertinere

Digitized by Google

in magna quadam siccitate et sterilitate oblata. Siccitatem autem in praecipuis sacrificiorum humanorum a Phoenicibus oblatorum caussis recenset etiam Porphyrius 2, 56: *Φοίνικες ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς ἢ πολέμων ἢ αὐχμῶν ἢ λοιμῶν ἐθύοντο τῶν φιλτάτων τινὰ ἐπιψηφίζοντες Κρόνῳ.*

4. Idem argumentum est *septimi* lapidis, quem praeter formulam finalem non haesitans ita legas:

טען ע׳ א׳ בן של מתנבעל בן יעשר
בעל עס אש עכת

Immolavit servus tuus, Domine! filium Mattambalis, filii Jaascherbalis, offerens sacrificium holocausti.

Nomina propria מתנבעל (donum Baalis) et יעשרבעל (quem Baal beatum facit) nihil difficultatis habent, nec dubium est, quin imago pueri in lapide comparens Mattambalis filium repraesentet vel sorte vel civium suffragiis (v. Porphyrii locum modo laudatum) electum, ut vitam pro bono publico profunderet. Unica difficultas posita est in formula finali, maxime ob duas litteras postremas in autographo male habitas. Priores litterae sunt: ..עשרמע, paenultima incerta, ultima *Schin* vel *Tau*. Iam tres priores pronunciari possint עֶשֶׂר *felicitas*, fortasse *in felicitatem*, *pro felicitate* huius illiusve loci: sed ex reliquis מע.ש nihil efficio, quod lectoribus suadere possim.

APPENDIX ALTERA.

QUATTUOR INSCRIPTIONES READIANAE EX AFRICA NUPERRIME ADVECTAE.

Quum universum opus nostrum praeter indices et praefationem iam typis exscriptum esset, *Frid. Rosen*, vir egregius, peropportune Londino nobis misit exempla quattuor inscriptionum Punicarum, quas Sir *Thomas Reade* partim in veteris Carthaginis parietinis partim in Numidia nuper admodum a se repertas Londinensi antiquitatis scrutatorum Societati miserat. Trium priorum Carthagine repertarum autographa penes Readium sunt proximo vere ab eo in Angliam advehenda: quarta rupi maiori inscripta in ipso loco remansisse videtur: omnes ab *Honeggero*, Germano, Readiani itineris (ut videtur) socio, delineatae sunt, ita quidem ut trium titulorum Carthaginensium exempla dimidiam verae magnitudinis partem referant. Has igitur tab. 47 lapidi inscriptas hoc loco paucis tractare visum est.

LXXXI. *CARTHAGINENSIS UNDECIMA.*

Lapis, cui hic titulus inscriptus, haud dubie sepulcralis est, ut Carth. 8. 9, et tres priores eius versus nomen sepulti cum patre et avo, tres posteriores laudationem

Digitized by Google

eius continent. Superne versus unus periisse videtur quattuor litteris constans, quarum vestigia etiamnunc supersunt. Quae qui diligenter consideravit, facile nobis concedet, ea ita ut fecimus supplenda esse: מצבת *cippus*.

Sequitur iam versu primo nomen ipsius sepulti, quod nil dubitans lego: עבדעשתרת *Abdastartus* (p. 399). Prima littera, utpote angulata, vel *Daleth* vel *Beth* litterae pars sinistra videri possit, sed neutrum h. l. feras et *Ain* litteram contextus ita flagitat, ut suspicer, eam in ipso lapide paullo rotundius pictam esse. *Daleth* h. l. et lin. 2 litt. 5. lin. 5 litt. 4 cauda prorsus fere caret, pariter atque Carth. XII lin. 1. 2 atque in Graecis, quae forma addenda est his quae dedimus §. 15. Quod sequitur, *Ain*, a dextra parte caudatum est, ut in num. Panorm. G et in scriptura Palmyrena, nisi forte haec cauda casu orta est et ad ipsam litterae figuram non pertinet. *Thau* extremi scapus fortasse infra ex parte periit. — Ceterum ante vocem עבדעשתרת, ubi lapidis superficies detrita est, unius litterae spatium superest, quam *Lamed* fuisse facile nobis credes coll. Athen. 1, 1: לעבדחמ ... מצבת. Cit. 8, 1: נצבי לאש י. 10, 1: נצב לאר. 20, 1: מצבת בחים לעבראשמן. 22, 1. 31, 1.

Versu secundo inter בן et בן lin. 3 litt. 2. 3 habetur nomen patris, in quo nihil admodum difficile est praeter signum sextum et septimum, quae ita picta sunt, ut duae litterae esse videantur, quarum altera *Resch* sit. At quovis pignore certo, prius illud signum paullo demissius positum et sequentis litterae partem esse, in qua *Koph* facile agnoscas. Quae hanc praecedit, *Lamed* est idque ita pictum, ut femur genu secet, cf. Nun in Carth. 12, 1 et p. 38 no. 16. 17. His observatis prodit nomen satis tritum עבדמלקרת (servus Melcarthi) cf. Carth. 5, 3. Athen. 2, 1.

In nomine avi nihil offensionis est praeter signum secundum, in quo, si omnia sana sunt, praeter *Phe* litteram habetur superior pars *Vav* litterae Phe sequenti quasi implicatae, ut legendum videatur: שופטבעל (iudex Baalis). Sed, ut verum fatear, eiusmodi Vav quiescens (nedum alia littera, quaecunque fuerit) ab orthographia Punica et ab hoc loco ita alienum videatur, ut additamentum illud potius casu ortum esse credam. Prodit igitur שפטבעל (iudex Baalis). Vocabulum שפט habes Carthag. 5, 4, cuius Tet eodem modo pictum est.

Sequuntur laudes defuncti, eaeque ad interpretandum paullo difficiliores, quanquam in his satis certa sunt: 1) lin. 4 litt. 3—8 רח מרפא i. e. רַח מַרְפֵּא *ingenium placidum*, quod in laudatione sepulti habetur etiam Melit. 2 (v. Append. III. p. 458); 2) lin. 5 litt. 3—8 אדנבעל i. e. אֲדֹן בַּעַל; et 3) lin. 6 litt. 2—6, quae litterae non aliae esse possunt quam עשתרת (Astarte). Namque litt. 4 possit quidem leviter consideranti *Aleph* videri: sed huic obstat partim scapi directio, quae in Aleph littera plane alia est (v. lin. 4 litt. 8. lin. 5 litt. 3), in hac figura autem eadem atque in *Tavim* (lin. 1. 4. 5), partim linea inter Schin et hanc litteram interiecta, quae otiosa esse vix potest. Hanc ubi iunxeris cum sequente figura, habebis ת. Iam iunge litteras עשת. ת, nec facile dubitabis, quin supplendae sint עשתרת, non עשתקת (quae vox nihili est). Pro ק igitur omisso dorso dextro legendum ר.

Digitized by Google

His praemissis legenda et explicanda supersunt: 1) lin. 4 litt. 1. 2, quarum prior *Beth* litterae simillima est, licet fortasse etiam *Resch* excusari possit (v. lin. 4 litt. 3): posterior manifestum *Jod* est (v. pag. 30. 31 no. 8. 14. 15), ut legi possit בי, quod maxime et fortasse solum legitimum est, et (quod quidem minus probabile) רי. Ac בי, quod in V. T. salutandi formula est, quomodocunque eam explicabis (thes. I p. 222), h. l. respondere videtur voci *ave*, *have* in titulis sepulcralibus frequentatissimae, cui passim addunt vel *vale* vel adeo *salve* (v. indd. ad Grut. et Reinesium), cf. שלם in titulo Carpentoractensi (p. 231). Alterum illud רי fortasse idem esse possit atque רֵאֵה coll. chald. אֲרֵי, דָּרֵי: sed illud et palaeographiae et linguae rationibus accommodatius est, ut in eo subsistendum videatur, nisi forte duas illas litteras integrarum vocum compendia esse existimas, quod quidem vero dissimilius est. — 2) Duae voces deorum nominibus (אדן בעל, עשתרת) praemissae, quarum una (lin. 4 litt. extr. et lin. 5 litt. 1. 2) est משת, altera (lin. 5, 9. 10. lin. 6, 1) מגן. Lectio, in apographis certe mihi traditis, quum satis certa sit, de sola interpretatione ambigi potest. Ut a posteriore ordiamur, מגן et מָגֵן (clypeus) efferri potest et מָגַן (protectus): quod quidem posterius quum contextui multo accommodatius sit (מָגַן עַשְׁתָּרֵת Schützling der Astarte), etiam משת eodem modo pronunciaverim מָשַׁת (part. Hoph. a שִׁית cf. Ex. 21, 30) i. e. *statutus*, *constitutus* (si forte magistratus erat) vel *fulcitus*, *stabilitus a Baale Domino*, coll. מָשְׁתוֹת columnae, et nomm. pr. יְהוֹיָכִין, יְכָנְיָה *quem Jehova constituit*. Possit quidem aliquis suspicari, משת scriptum esse pro מַשְׂאַת *donum*, eiecto Aleph; sed *donum Baalis* aptius esset pueri recens nati attributum, quam viri, ne dicam, illi explicationi parallelismum (מָגַן, מָשַׁת; q. d. Schützling, Stützling) eximie favere.

Quibus ita disputatis integrum titulum ita partim suppleo partim lego et interpreter:

מצבת	*Cippus*
לעבדעשתרת	*Abdastarto*
בן עבדמלקר	*filio Abd-Melcar-*
ת בן שפטבעל	*thi, filii Sufetbalis.*
בי רח מרפא מ	*Have, anima placida, quam*
שת אדן בעל מג	*fulcivit Dominus Baal, protexit*
ן עשתרת	*Astarte.*

In litterarum figura observandum est *Aleph* istud scapo praelongo et inflexo, quod etiam in Carthaginensi *octava*, *nona* et *duodecima* habetur.

LXXXII. *CARTHAGINENSIS DUODECIMA*

duas posteriores tituli lineas continet, quae sine negotio ita leguntur:

ן לאדן לבל חמן	*nostro, Domino Baali Solari*
אש נדר אעלשת	*vir vovens A-alsath.*

Digitized by Google

Erat igitur titulus votivus Baali Solari et haud scio an etiam Tanaïti consecratus, in modum lapidum Carthaginensium 1 — 5, cuius versus eodem modo dispositi erant atque in *secundo* (p. 174): quo duce versus primus supplendus fuerit:

לרבת לתנת ולבעל

ן

In sequentibus nihil difficultatis est, praeterquam in nomine proprio אעלשת, de cuius etymo dubites, quanquam vix aliter legi potest quam אַעַלְשַׂת vel אַעֲלִשַׂת *exsultatio, laetitia* (cf. עֲלִיצוּת Hab. 3, 14) a rad. עָלַשׂ i. q. עלס, עלץ, unde etiam n. pr. *Elissa* עלזה. א articulum designat, et ἡ ἀγαλλίασις idem valet quod ἀγαλλίασις ἐν θεῷ vel ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, cf. גִּיל בַּיהוָה laetari Jehovae Jes. 29, 19. 41, 16, ut אעבד, אעבדא ὁ δοῦλος pro δοῦλος τῶν θεῶν Cit. 23, 2. — בל pro בעל eiecto Ain scriptum habes etiam in שעתבל Numid. 4, 1.

LXXXIII. *CARTHAGINENSIS TERTIA DECIMA*

et ipsa titulum votivum continet, ut colligi potest ex litteris versus tertii: אשנד. i. e. אש נדר *vir vovens;* sed pessime habitus esse videtur lapis, pariter atque Carth. 1. 2. 4, ita ut ex his, quae nobis traditae sunt, figuris nihil certi efficias. Suspicor quidem, quattuor primas litteras ita supplendas esse, ut prodeat לרבת (dominae) et in sequentibus fortasse latere לתנת ולמעך *Tanaïti et regi*, sed neque huic coniecturae quicquam tribuo, et ex sequentibus: מסמנשממ nihil prorsus efficio. Praestabit igitur interpretationem differre, donec lapis ipse denuo et diligentius examinatus fuerit.

LXXXIV. *NUMIDICA OCTAVA.*

Haec inscriptio, duodecim fere digitos lata, novem digitos alta, in pago Challik reperta est, qui alteram partem pagi Maghrawa, in quo Numidica nostra prima a Templio inventa est (p. 197), efficit. Exstat ea in facie magni lapidis, qui in monumenti ex lapidibus rudioribus accumulatis exstructi fastigio est et qualicunque ornamento prorsus caret.

Litterarum figura in universum eadem est atque in reliquis Numidicis, et pleraeque certae sunt potestatis. Ut alphabeti ordinem sequamur: *Aleph* vulgari sua figura exstat bis lin. 1 extr. lin. 4 extr. et distinguitur tum a *Mem*, quod cruciforme est lin. 4, 2. 3. 9, lin. 5, 4, tum a *Tau* lin. 1, 4 a fine, lin. 2 extr. lin. 3, 11. 13, lin. 4, 3. *Beth* plenum et capitatum est lin. 1, 2 et 2 a fine, lin. 3, 5, et ubique caudam habet inflexam, nam lin. 2 litt. 1 lineola infra litteram posita Beth litterae caudam efficit sinistrorsum flexam. *He* legitimum est lin. 3, 1. *Chet* a dextra paullulum mancum exstat lin. 2, 10, cf. Numid. 4 lin. 1 (in משגח) et lin. 2 in חכמתעל. Alia eius figura est lin. 2, 4, eaque magis legitima, quam vulgo in Numidicis. — *Tet* expressum semel exstat lin. 2, 5, et praeterea eadem littera restituenda videtur ex duobus signis lin. 1, 4, v. infra. — *Jod* idque tertia linea sursum ascendente carens (ꓘ) est lin. 2, 3, aliud plenum sed rotundius pictum

Digitized by Google

ibid. litt. 9. — *Caph* figura sua propria exstat lin. 3, 12 et probabiliter etiam 14, cf. Caph in Numid. 2, lin. 2. — *Lamed*, ut vulgo in Numidicis, plures habet figuras. Una est trita illa lin. 2, 13. 3, 4. 7 et quae ei similis est lin. 1, 5 a fine, a Tau vix discernenda cf. Tripol. 2, 2 (in קלת). Huic accedit minor illa figura, *L* Latinorum similis (Numid. 3, 3, 8. 4, 1, 3. 9 et lin. 2, 11), quam habes lin. 2, 11, et rotunda magis quam angulata lin. 1, 3 a fine, 3, 10. Diligenter autem Lamed distinguitur a *Nun*, quod ubique sola linea recta efficitur lin. 1, 3. 6. lin. 2, 2. lin. 4, 1. *Ain* plerumque vulgare est, sed eiusdem potestatis esse videtur figura illa infra manca lin. 2, 12, cf. Numid. 4, 2 litt. 10. 18, 3 litt. 16. *Phe* habes lin. 2, 6. *Koph* esse videtur lin. 2, 7. *Resch* prorsus legitimum est, sinistrorsum inclinatum lin. 2, 8. lin. 3, 8. *Schin* non adest, de *Tau* iam una cum Aleph dictum est.

His praemunitis verba ita dispescenda et legenda videntur:

ע' בן טען לתלבא
בן יחטפק ז ריח לעלת
המם לבעל רם לתכחך
נעתמא

quae ita explicamus:

Servus tuus filium immolavit Thelubae,
filii J.ch.t.ph.k. Odor holocausti,
instigans Baalem excelsum ad pluviam demittendam,
combustus est.

Quum tria priora signa certa sint, a quinque sequentibus vindicandis ordiamur. Ea primo obtutu aliquis legat et ipse legeram לבעלת (cf. Lamed no. 17. 18. 19 p. 35): sed mox intellexi, neque litterarum figuras, neque sententiam hoc ferre. Namque primum *Lamed* litterae duae tresve aliae figurae in hac inscriptione reperiuntur, neque credibile est, etiam figuram illam rectam, quae alibi in hoc titulo constanter *Nun* est, pro Lamed haberi posse. Quarta autem versus figura nimis sinistrorsum flexa est, quam ut *l* videri possit. Dein quis ferat talem sententiam: *servus tuus* (est) *filius uxoris Th. b. ae*, quum constet, ע' i. e. עבדך ubique eum significare, qui monumentum posuerit. Veram lectionem suadet titulorum Numidicorum sexti et septimi collatio. Hae enim ordiuntur a formula: טען ע' א' בן של vel טען א' ע' בן של *immolavit servus tuus, domine!* (domine! servus tuus) *filium* τοῦ ..., cui simillima oritur in nostro lapide, si modo quartum et quintum signum unius litterae (*Tet*) fragmenta esse intellexeris, ita restituendae, ut nos punctis significavimus. Nostrum enim: ע' בן טען ל ab illa formula nonnisi verborum collocatione et eo differt, quod א (אדני) idque satis superfluum, omissum est. Quod obiectum בן h. l. verbo praemissum est, nemo mirabitur, qui reputet, in hoc obiecto praecipuam sententiae vim inesse, et eam ipsam collocationem (subj. obj. verbum) adeo sine tali caussa reperiri, ut Jes. 13, 18: קַשָּׁתוֹת נְעָרִים תְּרַמַּשְׁנָה, Prov. 1, 5: יִמְנָה תַּחְבֻּלוֹת נָבוֹן. Neque magis aliquis in eo haereat, quod בן a Genitivo

Digitized by Google

לתלבא separatum est, quum hoc in Genitivo לְ particula indicato saepius fiat, ut 1 Sam. 22, 30: בֵּן אֶחָד לַאֲחִימֶלֶךְ cf. tritum illud לְדָוִד מִזְמֹר. Quod vero et in hoc titulo et in duobus huic similibus (Numid. 6. 7) Genitivus ex בן pendens ל et שֶׁל particulis expressus est, id congruit cum lege Arabum, apud quos صديق له indefinite est: *ein Freund von ihm*, صديقه *sein Freund* (Ewaldi gr. hebr p. 583), ex qua etiam 1 Sam. 16, 18 dicitur: בֵּן לְיִשַׁי, ubi sententia poscit: *ein Sohn des Isai*. Itaque h. l. reddendum est: *Dein Knecht hat einen Sohn geopfert des* .... (unum ex filiis τοῦ ....), non: *den Sohn des* .... (filium τοῦ) et sic Numid. 6: *Geopfert hat, o Herr! dein Knecht einen Sohn der Nuratha*, non: *den Sohn der N.*, et Numid. 7: *einen Sohn des Mettambal*. — Ceterum in Numidica septima atque in nostra quaeri potest, utrum iste *Baalis servus*, qui puerum immolaverit immolandumve tradiderit atque titulum erigi curaverit, ipse pueri pater sit, cuius nomen postea compareat, an forte Baalis sacerdos, cui hoc sacrificium publicum demandatum fuerit. Utrumque ferri possit: quum vero in Numid. sexta ex ע׳ (עבדך) illo ante nomen avi repetito appareat, eum qui puerum immolandum dederit et סטראצדת eundem hominem esse, idem etiam in his duobus lapidibus probabile est, maxime quum formulae in his titulis eodem modo decurrant, et, si עבדך (ego) sacerdos esset, eius nomen plane desideraretur. Sententia igitur eadem est ac si diceretur: *Ego immolavi unum ex filiis meis*, *T. l. bae* inquam cet.

לתלבא) Nomen תלבא ipsum varie efferri potest, velut תְּלַבָּא, aut תְּלַבָּא pro תַּלְאֻבָה *sitis*, quod quidem posterius supra exempli caussa posui. — בן יחטפק) nomen patris vix aliter legi posse, facile concedent, qui singularum litterarum figuram potestatemque ponderare volent. Sed etymon tamen obscurum est, nisi forte placet his vocalibus uti: יַחֲטִיפֵק, ex יַחֲטִיא et אֲפֵק urbs munita, inde *qui aberrat a castello*.

ריח לעלת) De singularum litterarum potestate iam supra diximus. Quod Numid. 6 et 7 appellabatur אש עלת i. e. אִשֵּׁה עֹלַת, h. l. est רֵיח לְעֹלַת *odor holocausti*. Utraque vox etiam in V. T. in holocausti mentione solemnis est, v. c. רֵיחַ נִיחֹחַ אִשֶּׁה לַיהוָֹה Exod. 29, 18. Lev. 3, 16. Num. 28, 13, אִשֶּׁה לַיהוָֹה רֵיחַ נִיחֹחַ Lev. 23, 13, אִשֵּׁה רֵיחַ נִיחֹחַ לַיהוָֹה Lev. 1, 9. 13. 17 et saepe, עֹלָה לַיהוָֹה לְרֵיחַ נִיחֹחַ Num. 28, 9, לְעֹלָה לְרֵיחַ נִיחֹחַ 15, 24.

המם לבעל רם לתכתך) Nil certius in his, quam formula לבעל רם, ex qua simul intelligimus, hoc sacrificium humanum non Saturno (אל, מֹלֶךְ), sed Baali oblatum esse. Quod praecedit vocabulum, idque certissimae lectionis, non aliter pronunciari potest quam חֹמֵם *instigans*, *incitans*, *impellens* coll. Jes. 28, 28: הָמַם גִּלְגַּל עֶגְלָתוֹ *impellit rotas currus sui* coll. arab. هَمَّ et حَمَّ instigavit iumentum. Quod vero h. l. verbum ponitur sq. ל (ap. Jes. sq. acc.), id a nativa eius significatione repetendum est, quae est *turbare*, *turbas facere alicui* (jemandem Unruhe machen), h. l. quasi precibus et sacrificiis fatigare. — Paullo difficilius est id, ad quod Baal excelsus hoc holocausto impellendus est. Hoc enim manifeste continetur quinque litteris,

Digitized by Google

quas לתכתך (non לתכתץ) legendas esse supra observavimus. Quid igitur תכתך? Ipsa haec forma in Hebraismo non reperitur, apud Arabes تكتك est i. q. تكّ fregit, conculcavit, quod ab h. l. alienissimum est. Duci autem possit vel a תכך, quod apud Chaldaeos *mulctae* notionem habet, vel ab hebraeo נתך *effudit se pluvia* Exod. 9, 33, unde תכתך (pluvia effusa, imber), ut הַבְהָבִים Hos. 8, 23 a יָהַב, et fortasse תִּתֵּן 1 Reg. 17, 14 pro תנתן a נתן (Ewaldi gramm. pag. 508), quod et formae (nam solent in linguis Semiticis et multis aliis verba celeres repetitosque motus, *qualis est guttarum destillatio* *), significantia formis ita duplicatis indicari, cf. סְחַרְחַר celeriter circuivit, palpitavit cor Ps. 38, 11, עִפְעֵף volitavit, flattern, unde עַפְעַפַּיִם palpebrae, nostr. *Wirrwarr*, *Ticktack*, *Klingklang* al. v. gramm. hebr. §. 54. Hupfeld exercitt. aethiop. pag. 28) et sententiae maxime accommodatum est. Nam ut pluviae defectus terraeque ariditas in praecipuis illius regionis calamitatibus est, ita eadem apud Porphyrium in potissimis sacrificiorum humanorum apud Poenos oblatorum caussis enumeratur (p. 449).

Superest נעתמא verbum, quod pendet ex רֵיחַ לְעֹלַת. Quum litterae certae sint, primum de grammatica forma, dein de significatione videndum est. Atque illa non potest non 3 praet. Niph. fem. gen. esse, א extremo scripto pro ה (cf. pag. 440), quae forma genere convenit cum עֹלַת, non cum רֵיחַ, perquam accommodate ad sententiam, quoniam holocaustum crematur, non odor (cf. gramm. hebr. §. 145, 1). Quod nihilominus participium הֹמֵם genere masculino positum est, huius rei caussa in eo ipso quaerenda est, quod המם participium s. nomen verbale est, cuius generis formae a motione subinde abstinent, ut Gen. 4, 7: לַפֶּתַח חַטָּאת רֹבֵץ *ad portam peccatum insidiator est* cf. מֵת de cadavere Sarae Gen. 23, 4. 6, אָמוֹן artifex, de Sapientia divina Prov. 8, 30. Significatio autem verbi עתם non alia esse potest quam quae in Hebraismo est, ubi ipsum nostrum Niphal exstat apud Jesaiam 9, 18: נֶעְתַּם אֶרֶץ, quod LXX reddunt: *συγκέκαυται ἡ γῆ*, Ms. Alex. *συγκαυθήσεται*. Chald. חֲרוֹכַת *concremata est*, coll. arab. غتم, quod de aestu vehementissimo dicitur (Firuzab. p. 1667). Imo antiquissima illa loci Jesaiani interpretatio usu verbi in V. T. *ἅπαξ λεγομένου* in titulo nostro egregie confirmatur.

Continet igitur hic titulus Numidicus pariter atque duo praecedentes (Numid. 6. 7) memoriam pueri propter calamitatem publicam immolati, ita quidem, ut in hoc etiam numinis nomen (בעל רם) et sacrificii caussa (pluviae defectus) memorata sit.

---

*) Ita plura huius significationis verba formam habent duplicatam, ut قَطْقَطَ tenuissima pluvia pluit (coelum), ጠልጠለ: destillavit cf. طلّ humectavit, ፈፍፈፈ: roravit, ጸፍጸፈ: et ጠብጠበ: destillavit, a ፈጸፈ: et ፈጠበ:, atque haec duo prorsus ut in exemplo nostro תכתך a נתך.

APPENDIX TERTIA.

IN INSCRIPTIONEM TUGGENSEM BILINGUEM CURAE POSTERIORES

(ad pag. 183 sqq).

Monumentum, cui haec inscriptio insculpta est, nuper admodum denuo descripsit ***Pücklerus*** princeps (Semilasso in Africa V, p. 177—179): inscriptionem is memoravit quidem, sed non delineavit. Eo maiore cura nuper admodum id negotii perfecit ***Honeggerus*** (p. 449), qui una cum Thoma Readio illam regionem adiit, cuiusque apographum in bibliotheca Antiquitatis studiosorum Londinensium repositum nobis una cum reliquis inscriptionibus recens inventis (app. 2) misit amicissimus ***Rosen***. Hoc enim Honeggeri exemplum reliquis omnibus, etiam Templiano, reliquorum accuratissimo, ita praestat et tandem aliquando plerisque in locis certum interpretationis fundamentum praebet, ut officio nostro defuturi essemus, nisi hoc quoque lectoribus nostris exhiberemus. Id igitur fecimus tab. 48, et nunc quidem novum exemplum singulatim persequi et examinare placet, ut intelligant lectores, quibus in locis curae nostrae supra in hoc titulo tum refingendo tum interpretando positae vel (quod plus semel factum esse gaudemus) confirmentur vel refellantur novosque labores requirant.

Ut ordiamur a Punica inscriptionis parte, nomen sepulti in novo exemplo plene scribitur מאעלם, quod ipsum nos receperamus ex Borgiano. In Templiano enim omissum erat Mem. — In nomine patris יפשעת h. l. et lin. 3 primum observandum est, litteras יפ non, ut in Templiano exemplo, ligatas esse, dein pro ש utroque huius exempli loco haberi מ: quod quidem posterius falsum esse, vel Libyca inscriptio arguit. — Quod extremo versu primo legendum conieceram מך (***môch***, מלך), id in novo exemplo magis etiam perspicuum est: et prorsus certae, quae ineunte secundo versu sequuntur, litterae hoc modo punctis divisae; סבארם . מאבנש . הבנש, ita ut coniecturis nostris neque opus neque locus esse videatur. Apparet enim duas voces, quae n. pr. סבארם praecedunt, non avi regis nomen proprium continere, sed hoc ipsum esse סבארם, illas autem voces eius regnum regiamque sedem significare, et verba ita copulanda esse: מך הבנש מאבנש סבארם (מֶךְ הַבְּנַשׁ מֵאַבְנַשׁ סְבָאְרָם) i. e. (filius) ***regis Banasae ex Banasa, Tob-Arami***. Quaerentibus autem nobis, quid sit illud בנש, c. art. אבנש et הבנש, opportune occurrit *Βάνασσα* Ptolemaei (4, 2 p. 93), Mauritaniae Tingitanae urbs, ad Subur fluvium sita, ***Banasa*** itinerarii (p. 7) et Plinii (5, 1), qui eam ***Valentiam coloniam*** cognominatam esse tradit: vix saltem in vetere Africae geographia reperias nomen, quod illi similius sit. Huius autem rex סבארם legendus est non שטראם, ut supra posueramus, interpunctionem ex coniectura mutantes. — Quae sequuntur: בן עבדמקרת השר novo exemplo prorsus confirmantur, et eodem modo, quae a versu tertio medio usque ad finem stemmatis habentur: בן יפשעת בן מך שלני בן כרסכל (*), maxime illud ipsum כרסכל, quod equidem ex coniectura ita suppleveram. At quod his interiectum est nomen, quod equidem ex Borgiano iudicans אעם legeram, ex novi exempli auctoritate emendandum est, licet de vera lectione etiamnum dubitari possit. Nam in Templii et Honeggeri exemplis satis perspicue quidem legitur אעבן,

Digitized by Google

sed neque facile dicas, unde ortum sit quidque significet tale nomen, neque huic lectioni congruunt quattuor Libycae inscriptionis litterae, quarum inferior pars Honeggeri exemplum servavit. Suspicor igitur, ut priori certe dubitationi satisfaciam, extremae litterae capite clauso legendum esse אעבד ὁ *δοῦλος* i. e. *δοῦλος τῶν θεῶν* cf. ad Cit. 23, 2.

Lin. 5 ineunte ea, quae ex Templii figuris quamvis male pictis iam supra exsculpseramus: כבאה בת מלא (בָּבְאָה בֵּית מָלֵא) **), apud Honeggerum perspicue leguntur: nec non in altera lineae parte lectio nostra novo exemplo confirmatur, quanquam in his Templianum praestat, in quo ante כרסכל linea (*Zain*) est pro puncto, et duae litterae *Resch* et *Caph* accuratius pictae sunt. Sed medio versu inter מלא et וידי novum exemplum integrae vocis vestigia exhibet, quam quidem suppleat qui velit, licet suspicer, eam nomen continuisse ex adiectivo מלא pendens. — Versu *sexto* ineunte pro גבר (vir), quod in Templiano exemplo satis perspicuum erat, apud Honeggerum non aliter legi potest quam הרב (הָרַב) *princeps* (si modo statuis in altera littera sinistrum scapum de nihilo esse): quod ad sententiam non minus accommodatum est. In sequentibus perspicua sunt, quae iam pridem legimus, משמיר, שסבל (Beth enim litterae collum ex parte evanuisse videtur), et extremo versu כאלמן אמי, quanquam his ל interiectum fuisse videtur, cuius pars adhuc superest. Tertia a fine vox in hoc etiam exemplo, ut in Templiano, litteram habet inter מ et ס interiectam, eamque ut videtur Beth (non Daleth): legendum igitur מבסן i. e. מְבַסִּין conculcationes.

Hucusque novi exempli auctoritas pristinam nostram lectionem et interpretationem confirmavit magis, quam eius retractandae locum fecit, nedum necessitatem imposuit. Extremo autem versu, in quo refingendo supra (p. 191) aliquid audendum ratus eram, novum exemplum partim Templii scripturam maxime in punctis voces dirimentibus confirmat, partim litteras continet ita perspicuas, quas insuper Libyci tituli auctoritas tuetur, ut ab hac lectione discedere religio nobis sit. Novam igitur et lectionem et interpretationem instituturi ordiamur ab altera versus parte, in qua, quippe quae nomina propria contineat, Phoeniciae litterae cum Libycis prorsus congruunt. Atque illae quidem legendae sunt:

ממע. בן. בלל. כספי. בן. בבי

quam lectionem antequam interpretamur, cum Libycis litteris eam comparare placet. Ac postrema quidem vox, si ex sola Phoenicii tituli auctoritate penderemus, et בבי et רבי suppleri possit; sed Libyca inscriptio, quae in omnibus exemplis duo ⊙ habet,

*) In exemplis Templiano et Honeggeriano pro בן *hoc loco* est בר: quod idem significaret, si modo credibile esset, auctorem in eodem stemmate sexies vulgari forma, semel rariore et Aramaea usum esse. Quid vero si statuamus, describentium oculos ita aberrasse, ut in אעבן בר duas litteras extremas inter se confunderent? His repositis haberemus אעבד בן, quod ipsum non possumus non h. l. exspectare.

**) Ad interpretationem adde Ps. 49, 20, ubi de eo qui orcum intrat dicitur: תָּבוֹא עַד דּוֹר אֲבוֹתָיו, cf. Gen. 15, 15. — Ad בַּעַשׁ significatione *luctus* propter mortuum cf. prae ceteris Eccl. 7, 3

Digitized by Google

luculenter docet, primam vocis litteram etiam in Phoeniciis eandem esse atque secundam. Unde consequitur *primum*, in Phoeniciis legendum esse בבי; *dein*, in Libycis signum ⊙ *Beth* esse, non, ut supra conieceram, *Tet*. Atque haec eius potestas apparet etiam ex voce בלל, in quo idem illud signum pro *Beth* ponitur. Distinguuntur igitur in litteratura Libyca *Beth* et *Resch* litterae, quae in plerisque alphabetis sibi similes esse solent, solo puncto illo diacritico, ut apud Graecos passim *O* et *Θ*. Filius τοῦ בבי, qui in Phoeniciis appellatur בלל כפסי, in Libycis paullo brevius, pro singulari illius sermonis indole (p. 196), scribitur בלל . פסי. In בלל, de cuius Beth iam vidimus, duo *Lamed* binis lineis expressa sunt, quum alibi haec littera una tantum linea exprimatur (v. lin. 4 שלגי, כרסכל, lin. 5 כרסכל). Voci מפע in Libycis eaedem litterae respondent. — Ad interpretationem ut progrediamur, ex iis quae infra dicentur apparebit, מ in מפע esse praefixum מן ex verbo passivo pendens: ipsum igitur nomen duabus litteris פע continetur. Quas ubi legeris פַּעַ, erit forma masculina, unde fem. פּוּעָה nomen obstetricis Exod. 1, 15, quae orta esse videtur a וְפַעַ, וְפָעָה splendor. Nomen בלל quomodocunque explices, non refert, sed gentilicium כפסי non dubitans duco ab urbe *Κίπιπα Cipipa* (כִּפִּיפָה), quam Ptolemaeus (4, 3 pag. 99) in urbibus inter Bagradam fluvium et Tabracam interiectis recenset: בבי denique legi potest בֻּבִּי (*pupilla mea*) a בֻּב i. q. בָּבָה pupilla oculi. Integrum igitur nomen proprium eum haud dubie designans, qui monumentum posuit, hoc fere modo legendum est: פע בן בָּלָל כִּפְסִי בן בֻּבִּי *Phua* f. *Balalis Cipipensis* f. *Babi*. — Sed his lectu et explicatu difficiliores sunt tres voces, ab initio versus positae, eaeque haud dubie appellativae, quod vel ex eo colligitur, quod in his litterae Libycae a Phoeniciis discrepant. Ac in Phoeniciis quidem legendis nuper puncta verbis apud Templium interiecta prorsus neglexeram: quod nunc accedente nova auctoritate mihi amplius licere non arbitror: praeterea litt. 1 aperte est *He* (non Gimel) et inter מפע et מבר duae habentur litterae, non una. Quid autem illud מברהל . הנסוש? Sic enim vel, si cum Templio post מבר interpungitur, הל . מבר . הנסוש figurae apud Honeggerum exstantes legendae sunt. Sine coniecturae auxilio ea nemo facile explicet. En igitur nostra! Quum vox, qualis est סוש, a linguarum Semiticarum indole plane aliena sit, ex ש littera media eius linea producta efficio מ, et lego: הן סום i. e. הֵן שׂוּם *ecce positum est* (de ס pro שׂ posito v. pag. 432, §. 24, 1). Dein sequens vocabulum מבר — קבר (sepulcrum) legendum arbitror, primam litteram ita scriptam fuisse suspicatus. Denique in duabus figuris, quae יהל esse videntur apud Honeggerum, sed multo aliter pinguntur in apographo illo Beverlandiano (no. LV), in Templiano uno signo continentur, plane omittuntur apud Borgiam, latere suspicor הזה, quomodocunque hoc pictum fuerit, fortasse ita ut pro posteriore signo esset . Poterat fortasse pro הזה etiam abiecto ה (pag. 58) scribi הז, sed partim figura quae ה litteram excipit maior est quam ut Zain videri possit, partim הזה plene scriptum exstat Melit. 2, 2. Ne quis haereat in הקבר הזה pro קבר הזה, conferre iubeo בעל חלבי *Baal Libys* Numid. 5, 1. 2.

Digitized by Google

Quibus ita disputatis integra inscriptio ex novi exempli auctoritate hunc in modum legenda est:

(מצ)בת מאעלם בן יפשעת בן מך
הבנש מאבנש מבארם בן עבדמקרת
השר בן אעבד בן יפשעת בן מך
שלני בן כרזכל
כבאה בת מלא ... וידי כעש לזכר סכל
הרב משמיר שסבל כל מבסן כאלמן לאמי ;
הן סום קבר הזה מפע בן בלל כפפי בן בבי

Cippus Maolami, filii Jophisch'at, filii regis Banasae ex Banasa Tobarami, filii Abd-Mocarthi principis, filii A-ebed, filii Jophisch'at, filii regis Schalgi, filii Carsachal,
quum intrasset in domum plenam .... et esset luctus ob memoriam sapientis principis adamante fortioris, qui tulit omnis generis conculcationes ut viduus matris meae.
Ecce positum est hoc sepulcrum a Phoa, filio Balali Cipipitae, filii Babi.

In argumento autem haec fere mutanda sunt. Ac *primum* in stemmate non octo, sed nonnisi septem Maolami maiores recensentur. *Deïn* nomen proprium eius, qui hoc mausoleum erexit titulumque posuit, prolixius exstat in titulo extremo. Ex quo ipso ut sequitur, eum minime Maolami filium fuisse, ita ex lin. 6 extr., qua sepultum matris suae viduum appellat, recte colligitur, eum 3) privignum illius fuisse, Maolamum igitur Phoae matrem uxorem habuisse ante maritum vita functam.

Ut ad Libycam tituli partem transeamus, de cuius lin. 7 iam supra dictum est, unum praemonendum est, etiam in hac, ut in Punica, singulas voces punctis discretas esse, ita tamen, ut pro more Poenorum vocabula arctius inter se iuncta v. c. בן ימשעת puncto dirimente carerent et in unam vocem coalescerent (p. 128). Quod si probe tenemus, illud nobis retractandum videtur, quod supra (p. 193) de potestate signorum = - (i. e. *filius*) diximus. Horum enim signorum prius ubique punctum esse videtur, quod vocem praecedentem claudat: solum = (i. e. Caph) *filium* designare et compendium vocis cuiusdam Libycae esse credo, quae *filium* significet. Ut ad singula iam accedamus, quae in novo exemplo vel plenius vel aliter depicta sunt, lin. 1 vocabulum ימשעת, quod supra partim ex coniectura restitueram, paene integrum exstat, eique adeo praecedit signum *filium* significans praevio puncto dirimente. Linea extrema est =, quod ipsum ego ex coniectura posueram. — Etiam lin. 2 novo exemplo coniectura nostra firmata est. Duae extremae enim litterae verbi מבארם ita leguntur, ut ○ i. e. *Resch* sine puncto scriptum sit. — Quod lin. 3 extr. pro

Digitized by Google

Punico מך (rex) legitur in Libycis apud Templium et Honeggerum, סלך legendum est, quum duas lineas rectas *Lamed* esse supra viderimus. מלך autem apud Liby-Phoenices pro מלך dictum esse, satis credibile est, cf. *Bochus* i. q. *Mochus*, *Malchus*. Praeterea hoc versu consideranda sunt vestigia quattuor litterarum Libycarum, quae respondeant nomini Punico אעבר vel, ut apud Templium et Honeggerum est, אעבן. De harum autem integritate subdubito, nisi forte in hoc nomine proprio idem accidit, quod in עבד מקרת lin. 2, ut Libyca Punicis non ad litteram respondeant, sed nomen aliquod Libycum Punico synonymum exhibeant. Ad litteram certe ista sibi non respondent: nam littera Libyca quarta est *Beth*; tertia, quae Beth esse debebat, huic litterae plane dissimilis est; secunda *Ain* esse non potest, nisi forte reponas ⵟ; de prima iudicare non possumus, quum Aleph litterae figura Libyca adhuc ignota sit. — In lin. 4 legenda novo hoc apographo nihil mutatur, neque multum in lin. 5, quanquam in hac postrema vox כרזכל est, praevio puncto dirimente, non זכרסכל. — Lin. 6, quae nihil nisi appellativa continet, plures voces legi quidem possunt, (velut ultima כלכמי pro Punico כאלמן לאמי), neque obscurum est quid significent: nihilominus ad plenam explicationem in tanta Libycae linguae obscuritate multa desunt: idemque dicendum est de Vers. 7 initio. De altera eius parte iam supra dictum est.

Ut semel in conspectu ponamus, quid lucri ex novo hoc exemplo ad melius intelligendam hanc inscriptionem redundaverit, eam (post tab. 19) denuo transscribere et, quoad fieri potest, interpretatione interlineari illustrare placet. Litteras ignotas punctis significavimus: puncta, quibus voces dirimuntur, prorsus omisimus:

ך	ישעת	ך	—	—	—	—	
fil.	Jophisch'at	fil.					
רם	ך	כ.מקר	—	—	—	—	
Abdmocar	fil.	ram	—	—	—	—	
ך	. . . ב	ך	ישעת	ך	סלך		
fil.	. . . .	fil.	Jophisch'at	fil.	regis		
שלגי	ך	כרסכל					
Schalgi.	fil.	Carsachal					
כס..ף	דהדי	עשל	כ ר ס כ ל				
quum moreretur	erat	moeror	memoriae	sapientis			
לבבל	למ.ר.	שמ.ל	כל	ספל	כ ל כ מ י		
principis	prae adamante	qui portavit	omnes	conculcationes	meae	matris	ut viduus
בבי	סטי	ך	בלל	ך	מפע	—	— — —
Babi	fil.	Cipipensis	Balal	fil.	a Phoa	(hoc sepulcrum positum est).	

Ad alphabetum nostrum Libycum (tab. 19) duae litterae addendae sunt: ⊙ *Beth*, et ‖ i. q. | *Lamed*.

Ceterum Honeggerus eodem loco, quo inscriptionem Numidicam octavam invenit, i. e. in pago Challik (p. 452) secundam quandam inscriptionem Libycam reperit litteris

Digitized by Google

permagnis in rupe insculptam, quam tabulae nostrae 48 (no. LXXXV) adieci, ne novo hoc rarissimae scripturae specimine carerent lectores, quanquam de eo explicando adhuc despero.

APPENDIX QUARTA.

VARII GENERIS ADDENDA CONTINENS.

Ad pag. 7 addendus liber anonymus, cuius titulum nuper in Ephemerid. litt. reperi, quanquam ipsum videre non contigit: *Lettura e spiegazione degli iscrizioni Punici superstiti.* Genova, 1835. 8.

Pag. 12 adde post §. 6, 5: Ex *Sardinia* unica inscriptio superest (lib. 2 no. 41): ex *Hispania* contra quinque urbium Phoeniciarum numi Punice inscripti exstant (lib. 3 no. 15—19), etsi neque admodum veteres neque elegantes, in quibus nonnulli bilingues Augusti et Tiberii nomina prae se ferunt. Ceterum vide pag. 340.

Pag. 23. ad *Daleth* litterae figuras adde antiquissimam illam, quae cauda prorsus caret in Carthag. XI, 1. 2. XII, 1, v. append. 2.

Pag. 25 §. 16, post fig. 5 addenda est figura He litterae in inscr. 67 (in אהבת), illustranda illa ex ea figura, quae in moneta Hebraea comparet.

Pag. 28 §. 19. *Chet* litterae figuris addendae sunt 1) quae est in gemma no. 67 lin. 2, et 2) in no. 67 ter (in חכם), quanquam haec prope accedit ad fig. 11.

Pag. 31 no. 30 pro figura male picta pone . De litterae *Jod* figuris no. 16. 17, quas et ipsas Hamakerus *Nun* esse existimavit, vide pag. 380.

Pag. 39 §. 26. Addenda nova figura *Samech* litterae in numis Sigensibus (v. pag. 324) et in Numid. 6 et 7 (pag. 445).

Pag. 40. *Ain* caudatum, ut no. 9, habes Carth. XI, 1 in עבדעשתרת, ut infra apertum in Numid. VIII, lin. 2. Vide append. 2.

Pag. 48 §. 33 ad *Tau* litteram adde figuras in num. Bel. A. D.

Pag. 49 §. 34, 4. In titulis Carthaginensi secundo et tertio litterae finales a reliquis nonnunquam ita differunt, ut multo maioris moduli sint, sicuti nos quoque extremis vocum et sententiarum litteris liberiorem ductum addere solemus. Vide maxime ת in עשתרת Carthag. 3, 4.

Pag. 54. Scribendi compendiis, quae §. 37 recensita sunt, adde haec: א pro אדני Numid. 6, 1. 7, 1 (pag. 447). — ח, חת in num. Panormitanis, ubi in aliis exemplis מחנת (p. 292), חר pro חדשת (ibid.). — מ et מא pro מאת *centum* p. 87 inf. p. 270 lin. 20. — מ א pro מבעל אגדר in num. Gadit. p. 306. Praeterea huc referendae sunt litterae solitariae in multis numorum generibus exstantes, ut in Siculis pag. 292, Marathensibus p. 273, iis qui Arado vulgo tribuuntur p. 275 al.

Pag. 56 §. 39. Lineolam *Makkeph* in inscr. Tugg. reperisse sibi videbatur Hamak. diatr. 41, quam *Jod* esse vidimus p. 188.

Digitized by Google

Pag. 57 §. 40, 2, b, dele quae de exemplo מתובעל dicta sunt. Nam in ipsa inscriptione Numid. 7, 1 legitur מתנבעל, ut postea vidi. Regulae ibi propositae nulla igitur exceptio est.

Pag. 74 sqq. Quum ea, quae de inscriptione Semitica in latere Babylonico una cum litteris cuneatis exstante disputavimus, iam typis exscripta essent, insigni ill. Rochettii benevolentia ad nos pervenit huius ipsius inscriptionis, quae iam in Museo Parisiensi est, ectypum gypseum, ex quo intellexi, neque Hugii, neque Ker Porteri exemplum (tab. 31 no. 77, a, aa) satis accuratum esse. Figura enim, quae apud illos tertia est et *Chet* esse putabatur, manifesto duas litteras, *Tau* et *Aleph*, continet. Praeterea littera secunda et nona haud dubie est *Jod*, minime *Vav*, ut vulgo putatum est. Tertium igitur exemplum dedi (ibid. 77, aaa), ex quo apparebit, hanc caussam paullo aliter iudicandam esse, atque supra (p. 74 et 247) feci quippe ex exemplis pendens minus accuratis. Novem enim litterae illae vere Phoeniciae sunt, licet ad Aramaismum paullulum inclinantes (cf. Lamed et Nun in monum. Carpent.; neque non informem litterarum speciem) et sine negotio leguntur:

ביתאלדלני, vel ביתאלרלני

quod quidem posterius propter ר et ל incompatibiles, quas vocant Grammatici, minus probabile est. Sed non eadem est interpretationis facilitas, imo mihi tam obscurae sunt istae litterae, ut certam de iis sententiam dicere non ausim. Si Phoenicia fuerit dialectus, verba vix aliter dispesci et explicari possint, quam בַּיִת אַל דְּלֵנִי *domus, ne haurias me:* sed hoc nemini facile placebit, neque Phoeniciae dialecti usum in Babylonia exspectaveris. Praestabit igitur, quod suadet etiam litterarum figura, ad linguae Aramaeae leges has litteras revocare et ita dispescere: ביתא לדלני *domus τοῦ Dalni*, qua sententia admissa hae litterae cogitari possint singulis lateribus, quibus Dalnii domus constabat, impressae fuisse. Sed quum huius formae nomen proprium ex lingua Aramaea certe explicari non possit, etiam huic interpretationi non multum tribuo, certamque sententiam vix dixeris, nisi plura huius generis monumenta in illis regionibus reperta fuerint.

Pag. 81 §. 53. Adde Eichhornii: Marmora Palmyrena explicata in Comment. Societ. Gotting. rec. Vol. VI. cl. hist. et philol. p. 80 sqq.

Pag. 89 §. 59. De alia quadam coniectura, eaque fortasse probabiliore, numerorum notae ex parte certe a littera initiali repetitae sunt, ut apud Latinos M a *mille*. Ita ○ *viginti* (p. 87. 270) esse potest ab עשרים, cuius dimidium est ∩ (unde vulgo —) = *decem:* signum autem *centenarium* numerum significans, in cuius variis formis (§. 57, 4) *quarta* nativa esse videtur, a phoenicio מ = מאת repetita esse possit.

Pag. 105. In explicatione Melitensis *secundae* l. c. proposita duo mihi ipsi semper displicuerunt: *unum*, quod nimis multae et nimis breves sententiae in tam brevi monumento minus inter se cohaerentes statuerentur, *alterum*, quod duae admitterentur sententiae sepulcrales, in quibus maxime altera (רח מרף אם בשת) molesta erat, quippe

Digitized by Google

quae inter laudes viri et nomen eius interiecta esset. Quae dum reputo, non possum non aliam suadere illorum verborum explicationem:

רֻחַ מַרְפֵּא מִבֹּשֶׁת
spiritus mansuetus sine dedecore,

de qua haec verba pariter atque praecedens נקה ad laudes viri sepulti pertinent, cuius nomen ipsum protinus sequitur. רֻחַ מַרְפֵּא *spiritus mansuetudinis* idem fere est quod לֵב מַרְפֵּא Prov. 14, 30 cf. 15, 4. Eccl. 10, 4, quod vero h. l. ipse vir *ingenio mansueto praeditus* appellatur *spiritus mansuetus* s. *ingenium mansuetum* (ein sanfter Geist) non magis mirum videbitur quam sexcenta eius generis exempla, velut Prov. 10, 31: לְשׁוֹן תַּהְפֻּכוֹת תִּכָּרֵת *lingua perversa perit* i. e. vir tali praeditus, נֶפֶשׁ בְּרָכָה *anima benefica* 11, 25 pro eo qui tali praeditus est, ipsumque נֶפֶשׁ anima pro animanti, in quo anima inest. מִן in מִבֹּשֶׁת est *sine* (pr. immunis *ab*), ut מִמּוּם *sine labe* Iob. 11, 15, מִפַּחַד 21, 9. Optime autem inter se cohaerent: *Depositus est pius in hoc claustro, ingenium placidum sine dedecore, Hannibal, filius Barmelechi.* [Eandem formulam רח מרפא in laudibus sepulti habes etiam in Carth. XI, lin. 4, v. append. 2].

Pag. 131. De cruce interpretum ימנאת novam addere placet conjecturam, quae rationibus rite subductis reliquis verisimilior videtur. Quid enim si obscurum illud verbum ימן non aliud esse putemus quam יָשַׁן *dormivit*, ש littera more Aramaeorum in dentalem conversa? Statim occurrat aliquis, id facile quidem ferendum esse, quum in ipsa lingua hebraea saepe utraque forma appareat (חָרַשׁ et חָרַת, בְּרוֹשׁ et בְּרוֹת), sed ת, non ט, expectandum esse. Cui respondemus, etiam illam permutationem satis certam esse, ut monstrant exempla קָשַׁר aram. קְטַר ܩܛܪ ligavit, קִשּׁוּא ܩܛܘܬܐ cucumis: quod nemo miretur, qui reputet etiam ש et צ interdum permutari, v. c. ركش רֶכֶשׁ, equus nobilis, חֹמֶשׁ rabbin. חוּמְצָא inguen. Amasse autem Poenos quoque illam sibilantium pronunciationem, apparet ex Plautino *thym* pro שם (1, 9), *thera* pro שַׂעַר (חרע) 1, 10, ut mirum videri non possit, eam h. l. etiam scribendo expressam esse. Quod ad grammaticam rationem attinet, ימנאת pro ימנא את scriptum est, ut apud Arabes saepe in libris scriptis يابو pro يا ابو, يابها pro يا ابها. Ceterum hac ratione probata unicum fere radicis Phoeniciae, quae in solo Arabismo usitata sit, exemplum (p. 336) perit.

Pag. 148. In Cit. 23, lin. 2 figura quinta, quae in utroque exemplo, Porteriano et Pocockiano, eadem est, si modo recte descripta est, vix aliter explicari potest, quam ut composita sit ex ˥ i. e. *Phe* et ⤙ i. e. *Jod*. Legendum igitur יעיף = יָעִיף i. e. יָעֵף *fessus*, aetate gravis.

Pag. 151. Cit. 29, lin. 4, fig. 1 *Aleph* potius quam *Tau* esse videtur, eius quidem formae, quae est Cit. 20, 1. 33, 1. 3. Legendum igitur: צנאנת (*scutum Neithae*) ex צן, א art. et נת, cf. *Νιθάδων* p. 412. — Ibid. Cit. 30, lin. 2 pro במץ, quod probo etymo caret, lege רם n. pr. (altus). Ultimum signum merum ornamentum est, ut saepe in Citiensibus, vide maxime no. 12 extr.

Digitized by Google

Pag. 154. Inscriptionis *Sardicae* ab Arrio editae aliam explicationem dedit *Ferd. Benaryus* in Annal. crit. Berol. 1836 mense Iul. no. 8. 9.

Pag. 161. Inscriptionis Marsalensis novum apographum, quod cum Castelliano satis bene convenit, nuper ex Sicilia attulit mihique misit Cramerus D. Reperitur ea non Mazarae, ut Lindbergium (p. 39) secutus scripsi p. 161, sed Marsalae in palatio publico (palazzo publico) in lapide rudius caeso, duos pedes cum tribus digitis alto, quindecim fere digitos lato, qui muro infixus erat. Etiam litterae parum diligenter incisae, nunc colore nigro inductae sunt.

Pag. 162. Quum typis iam exscripta essent, quae de lapidibus Carthaginensibus atque Numidicis lib. II cap. 5. 6 disputavimus, cel. *Leemans*, Musei Lugdunensis custos primarius, qua est humanitate et erga me benevolentia, monumentorum Punicorum litteratorum, quae Lugduni exstant, omnium (Carthag. 1—4. 6. 8. Numid. 3. 4) ectypa gypsea mihi misit. Haec igitur, adhibitis exemplis Lugduni a me delineatis, in editione mea secutus sum: eademque iterum iterumque intentis oculis collustravi, si quid forte a me neglectum esset. Sed nihil inveni praeter haec tria. Ac *primum* quidem in Carthag. 3 subinde puncta reperiuntur, quae non casu orta, sed consulto facta videntur, ut in Tripol. 2, licet inscriptionis auctor in punctis ponendis alias leges, quam quae vulgo receptae sunt, sequi videatur. Puncta enim cernere mihi videor his locis posita: לרבת לחנת.ול.בעל.ן לאדן בעל. חמן: אש נדר גדעשתרת. הספר. בן עבדמלקר — quae, utut a vulgari consuetudine aliena sunt, tamen probabili explicatione non carent, ut paucis monstrare placet. 1) in puncto post חנת lin. 1 nemo haerebit, eo magis 2) in eo quod lin. 1 extr. est post ל et repetitur lin. 2 ineunte ante ב. Quum vero novum punctum sequatur post בעל (ad secundam enim lineam pertinere videtur illud quod infra caudam ב litterae est in רבת), idque suffixo antepositum, auctor id egisse videtur, ut nomen בעל, utpote numinis, cui titulus inscriptus erat, punctis includeret (cf. inscr. Sard.). Eodem modo 3) lin. 3 inclusum est nomen חמן, ad cuius finem vero tria puncta animadvertere mihi videor, unum superne, secundum a sinistro Nun litterae in media linea, tertium infra lineam. In hoc enim vocabulum exit prima pars inscriptionis. In reliquis nihil inest difficultatis. — *Dein* in lapide *primo* (v. p. 175) lin. 3 litt. 4 non *Jod* esse videtur, ut supra posui, sed ש, ut n. pr. legendum sit חמשת (quinque). Quomodocunque hoc explicabis, unum observo, etiam apud Hebraeos vocabula numeros significantia in nomm. propria abiisse, ut שֶׁבַע 1 Sam. 20, 1. 1 Par. 5, 13. — *Denique* in lapide *tertio* lin. 5 in voce עבדמלקר *Daleth* (quod Hamakerus Ain esse putaverat) manifesto habet caudam collumve quod a dextra capitis dependere debebat, a sinistra parte dependens: id quod a statuario consulto ita factum esse persuasum est iccirco quod a dextra parte spatium deerat et metuendum erat, ne collum istud cum Beth litterae capite collideret.

Pag. 172. Ad חַמָּנִים Veteris Testamenti illustranda, quae monumenta vel conica vel obelisci speciem imitantia fuisse videntur (v. Thes. I, 490), quibus litterae

Digitized by Google

inscriptae erant, cf. *ἀπόκρυφα Ἀμμωνέων γράμματα* ap. Phil. Bybl. p. 7 Orell. Hamak. Miscell. 53 sqq.

Pag. 180. *Principis* (רב) nomine, quo *Beri* in Carth. 8 insignitur, intelligendus videtur unus e *seniorum principibus* apud Carthaginenses, de quibus vide Liv. 30, 16. Iustin. 31, 2. Cf. Hendreich de rep. Carth. p. 319.

Pag. 182. Sero animadverti, etiam Punicam huius apographi partem nihil aliud continere quam inscriptionis Tuggensis quaedam fragmenta pessime descripta. Extrema certe linea manifesto extremum tituli Tuggensis versum continet et etiam in reliquis figuras huic titulo proprias, velut Ain, facile agnoscis. Omnino falsa igitur illa libri Beverlandiani de hac inscriptione in „*theatro Carthaginensi*“ reperta notitia, poenitetque nos loci ei in opere nostro assignati. Ceterum memoratu dignum fuerit, in descriptione Africae saepius laudata a Quatremerio gallice translata mentionem iniici (p. 65) „inscriptionis *Himjariticae*“ in theatro Carthaginensi repertae. Nonne haec potius Punica erat? Saltem scriptura Punica cum Himjaritica ab illitteratis hominibus facile confundi poterat: Himjariticamque scripturam in theatri Carthaginensis ruderibus nemo facile exspectet.

Pag. 196 ad not. [a]). Alia quaedam Libyca a veteribus tradita sunt: *Βέττος* rex Herod. 4, 155, *ζεγέρις* colles et murium genus ib. 4, 192 (*cf.* pag. 389), *Ἄθιχος* Venus Hesych.

Pag. 200. lin. 25. Ne necesse quidem est, pro ⟩ reponere ✕, quum prius signum etiam in numo Panormitano apud Bayerum pro *Mem* reperiatur, vide p. 289.

Pag. 205. In Numid. 3 lin. 3 n. pr. alterius voventis vix aliter legi poterit quam חרמרל, quomodocunque hoc explicabis.

Pag. 208. In inscr. *Numidica quarta* lin. 1 litt. 4 ectypo denuo inspecto non *Lamed*, sed *Jod*, esse videtur, ut legendum sit משלי שעתבעל pro משל לשעתבעל, sententia non mutata, quum י statui constructo adiectum videatur, ut Numid. 6, 5: משלי עת *dominator populi.*

In difficillimis eiusdem tituli partibus mihi semper fuerunt versus primi litterae 11—14, quas supra ex delineatione, quam Lugduni feceram, iudicans legi הכשר *probus.* Verum accepto ectypo gypseo intellexi, duas litteras postremas paullo aliter et ita delineandas esse, ut in tabula nostra factum est, atque iccirco non שר legi posse, sed probabiliter תי esse. Inde prodit הכתי *Citiensis*, quod ferri potest, etiamsi pater *Scheôtbalis* de explicatione versus secundi a nobis proposita rex Massylorum fuerit. Ceterum ingenue fateor, inscriptionis Numidicae sextae et septimae interpretationem novum mihi scrupulum de versu secundo iniecisse. Quinque enim postrema vers. 2 signa admodum similia sunt his, quae Numid. 7, 2 (coll. 6, 5) legimus אש עלת *sacrificium holocausti.* Quum etiam, quae praecedant, admodum obscura sint, a veri specie non alienum fuerit, etiam hunc lapidem ad sacrificium aliquod humanum pertinere. Sed certam huius versus interpretationem a futuro tempore exspectare malo, quam novas cumulare coniecturas.

Digitized by Google

Pag. 213. Inscriptionis *Tripolitanae primae* exemplum iam anno 1806, quum lapis adhuc in Africa esset, a se delineatum edidit etiam *J. D. Delaporte* in *Journal Asiatique*, IIIe Série T. I. p. 315 (Avril 1836), idque satis accuratum ac plerisque reliquis praestantius, maxime in prima littera ab aliis male picta: in eo tamen falsum, quod SVFF scribitur pro SVFE, ut et in ipso lapide est et recte dederunt Stirumius et Reuvensius. Vidisse se lapidem refert humi iacentem in colle, unde prospectus patuerit in planitiem, in qua *Lebda* (Leptis) sita est, quae Delaportii narratio cum his, quae supra ex Ali Beji commentariis retulimus, ita concilianda esse videtur, ut sumamus, eruditum Hispanum hunc lapidem vidisse, quum adhuc in nativo suo loco i. e. in arcu triumphali esset, Delaportum, quum arcu iam destructo humi iaceret. Quum autographum bis, in duobus lateribus arcus, exstitisse narret Ali-Bejus, cogitari etiam possit, unum hoc, alterum aliud vidisse: sed ex fracturae ratione colligo, Portianum exemplum idem esse quod equidem in Anglia vidi et delineavi.

In eodem autem Diario Asiatico T. II. p. 142 sqq. cel. *Arrius* Turinensis novam de hoc monumento legendo coniecturam in medium protulit, quam h. l. cum lectoribus communicare et paullo accuratius examinare meum esse putavi: non desperans fore ut ipse vir doctissimus perpensis argumentis nostris sententiam suam abiiciat.

Ac primum Arrius inscriptionem latinam AVG. SVFF (imo SVFE) supplendam censet: *Augurale* (vel Augustale) *) *Suffetis* i. e. praetorium ducis, et propterea non dubitat quin haec inscriptio portam praetoriam castri cuiusdam Romani apud Leptitanos ornaverit, quam coniecturam Punica etiam inscriptione firmari existimat. Quasi vero locus sit coniecturis in rebus, quae in veritate et facto positae sunt. Legerat iam Arrius in exercitatt. meis palaeographicis p. 72, hunc titulum olim arcui triumphali Romano infixum fuisse, sed mihi credere non videtur, quasi vero talia ex ingenio comminisci potuissem. Credat igitur Ali-Bejo (v. supra p. 213), quem si inspexisset, ab illa coniectura haud dubie se abstinuisset, quum arcui triumphali apte inscribere possis: *Augusto Sufetes*, nullo modo *Augurale Suffetis*.

Dein Arrius Punicam inscriptionem ita legit et interpretatur:

בן לאלסן ראמא עלא

locus ducis Romae excelsae,

quae cum verbis Latinis optime congruere existimat. Verum ut litterae Latinae sic, ut A. fecit, propter monumenti rationes suppleri non poterant, ita obstante Palaeographia multo etiam minus Punicas litteras hoc modo legere licet. Qua de re ne dubium supersit, singula auctoris argumenta diligenter examinare placet, quo facto intelligant lectores, ex octo litteris, quae in hac inscriptione reperiuntur (ת, ש, ר, ק, ע, מ, ל, כ) virum doctum nonnisi tres (ל, ע, ר) recte agnovisse.

*) *Augurale*, pr. locus ubi imperator auguria capere solebat (Tac. Ann. 2, 13. 15, 30), de *tabernaculo ducis* dicitur Quinctil. 8, 2 §. 8; *Augustale* vero hoc significatu nusquam reperitur et iam a Burmanno ex Quinctiliani loco expulsum est.

Digitized by Google

Atque 1) vir eruditus se intelligere negat, cur litterae 2. 7 ת habitae sint, et „quum etiam aliae huius tituli litterae scripturae chaldaicae similes sint (!!)“ eas *Nun* (igitur Nun finalia) esse coniicit. Caussa vero, quam vir doctus desiderat, satis idonea in multis aliis huius litterae in scriptura Numidica, adeoque in altera inscriptione Tripolitana, exemplis posita est, vide quae laudavimus p. 48 ad fig. 18. 19. 21, et satis mirari non possumus, eum bonae observationis p. 151 factae ita immemorem fuisse, ut in inscriptione Tripolitana legenda scripturam chaldaeam quum Phoeniciae in universum tum maxime Numidicae longe dissimillimam in subsidium vocaret. 2) Idem non dubitat, quin litt. 6 sit ס, provocatque ad inscr. Sard. lin. 5 litt. 2, quam idem *Phe* esse statuerat. Sed inspiciant velim lectores hanc figuram, et in oculos incurret, nil similitudinis esse inter duas has litteras, quarum illam *Jod* esse supra (p. 156) vidimus, quum haec nostra *Caph* sit, ut in altera Tripolitana, nostrae gemina, ubi eadem ter reperitur, lin. 3 in כלכל, et lin. 4 in לכת. 3) Litteram quater obviam (4. 9. 11. 14) non *Mem*, sed *Aleph* esse existimat auctor, quod et ipsum sibi licere credit. Sed litterarum ת, א, ש, מ non tanta profecto est confusio, qualem auctor statuere videtur, et haec ipsa forma, quam lapis noster quater exhibet ⅄ (altera crucis trabe curva), nunquam est *Aleph:* contra nihil aliud esse potest quam *Mem*, ut recte vidit Lindbergius. Orta enim est ex ⅄ dextro scapo neglecto. In Aleph Numidico nunquam deest uncus in summo dextrae trabis, vide pag. 20 fig. 22. 23. 24 et de *Mem* littera p. 36 fig. 18. 20. 4) Litteram *primam* Arrius *Caph* esse existimat: sed huius litterae nonnisi sinistra pars superest, quam nobis suppleat aliquis ita, ut legitimum Caph oriatur. Arrius certe non fecit. Denique 5) litt. 10 vir doctissimus dubiam esse pronunciat, et propterea ex contextu explicandam: quod non scripsisset, si legere et perpendere voluisset, quae in exercitt. palaeogr. p. 82 de huius signi potestate observavimus. Hoc enim *Koph* esse, nemo negabit, qui voc. קלח Numid. 1, 2. 2, 2. 4, 3 hoc signo scriptum comparaverit cum Numid. 3, 2, ubi in eodem vocabulo vulgaris eius litterae forma apparet. His ita disputatis non est quod observemus, etiam talem orationis formam, qualem auctor effinxit, in huius regionis inscriptione ferri non posse, quum omnia monumenta Numidica purum Hebraismum sequantur, nihil chaldaici coloris habeant. Iis enim, quae de litterarum potestate definienda diximus, omnis res conficitur. Ceterum quod etiam in hoc titulo explicando a viri celeberrimi sententia mihi discedendum fuit, quanto ego hoc gravius tuli, tanto eum quippe solius veritatis studiosum id spero facilius laturum.

Pag. 232. Nomen proprium שמיתי in no. 70 quid significet, aliquanto post demum invenisse mihi videor. Dictum enim videtur pro שם אתי (שֵׁם אִתִּי) *nomen (Dei) mecum*, ut n. pr. urbis Numidicae *Simittu* (p. 426) pro שֵׁם אִתּוֹ, cf. *Ithobal* אִתּוֹבַעַל et *Salithu* (p. 413) fortasse pro שֵׁל אִתָּהּ *quies cum ea*. שֵׁם, דְּשֵׁם ellipt. de nomine Dei habes Lev. 24, 11. 16. Deut. 28, 58, pro אִתִּי autem h. l. scriptum est יתי, more Aramaeorum, qui א (maxime i vocali munitum) in mediis vocibus saepe emolliunt in י (thes. p. 3, A) ipsumque אֵת, ubi nota accusativi est, ית scribunt.

Digitized by Google

Si Iudaei nomen fuerit ex Beerii de his monumentis sententia (p. 231), שם de ipso summo Deo intelligi possit.

Pag. 247. De monumento *Phoenicio-Babylonico* v. supra pag. 462.

Pag. 275. De numo (Arad. Carne D), quem cum Bayero *Carnae* tribui, nuper nonnulla observavit *Ferd. Benarys* (Annal. crit. Berol. l. c.), de quibus referre quaeque paucis examinare nostrum est, praesertim quum supra in hoc numo tractando iusto breviores fuerimus. Is enim Lindbergium fere secutus (p. 34) epigraphen legit: קרן צ׳ |||| — *HNN* שת ער *cornu* (copiae) *Tyri*, *Aradus*, *anno* 74, numumque Arado, non Carnae, vindicare vult: de qua interpretatione mihi ita iudicandum videtur. Ante omnia 1) cum Bayeri exemplo comparandum erat Parisiense apud Mionnetum T. V. p. 470 no. 899 (tab. 25, no. 88), quod eandem epigraphen habet eamque magis integram, et uno tantum anno post illud cusum est, ut monstrat anni notatio |||| — *NNN* שת i. e. *anno* 75: ex qua praeterea colligo (cf. p. 87), etiam apud Bayerum pro *H* legendum esse *N*, fortasse scriptum, ut saepe *Nῦ* apud Graecos. Atqui 2) in hoc Parisiensi superior illa epigraphe plenius legitur קרן צר (ad צר ita ligatum cf. num. Tyr. E), qua collata vix dubitari potest, quin apud Bayerum quarti signi sinistra pars perierit. Sed 3) litterae ער ad sinistram numi partem conversae aeque (cum Lindbergio) *Aradus* (אַרְוָד) explicari possunt neque cum superiore illa epigraphe copulari (nunquam enim epigraphae, quae diversas numismatis partes occupant, deinceps leguntur unamque sententiam efficiunt); contra, ut in Marathensibus (p. 273), Cilicis (A. B), Cossurensibus (E. F. G) tertiam quandam epigraphen constituunt, quae in variis exemplis varia esse solet et fortasse per compendium urbis magistratus indicat. Itaque קרן צר omnino (quod vel locus his verbis assignatus suadet) ipsum urbis nomen indicare videtur i. e. (ut vix dubito) *Carnes*, ad cuius nomen pro more satis recepto *cornu copiae* imagine alluditur. Si nihil nisi Aradi attributum ornans esset קרן צר (eorum copiae Tyri), Aradiusque esset numus, haud dubio *Aradi* nomen idque sine compendio scriptum illi attributo praemissum et in monetae cacumine positum esset, non in eius latere quasi delitesceret. Ceterum cum his numis comparandi erunt ei admodum vicini apud Mionnetum l. c. no. 900. 901 tab. 25, no. 89. 90.

Pag. 292. Numum Panormitanum *bilinguem* permagni faciendum describit *Mionnetus* Suppl. I p. 421 no. 433, cf. tab. 8, 10:

Figura virilis nuda bovi insidens facie humana praedita, *ad d.* cum epigraphe: *ΠΑΝΟΡΜΟC.*)(. *Neptunus rupi insidens manu dextra tridentem tenens* ad d. in area *piscis*. Epigraphe Phoenicia haec: (מחם?) de qua nihil definio, donec litterae denuo examinatae fuerint.

Pag. 312. In numis Malacae malim מלכא (מָלָכָא) legere quam מְלָכַת: quum ea figura, quam quarta littera in omnibus exemplis (praeter E, in quo ה est) habet, vulgare sit Aleph scripturae Hispano-Numidicae (v. pag. 20, no. 22—24, adde exempla in inscr. Numid. 8), contra raro pro Tau ponatur (v. pag. 47), quod ipsum in numis Hispanicis, quorum auctoritas hac in re plurimum valet, constanter alia figura pingitur, cf. ת in בעלת et עברת in numis Gaditanis, Abderitanis et Belensibus.

Digitized by Google

Pag. 321. 417. Si quis in peregrina nominis בקי *Bucca*, *Buca*, *Baca*, *Vacca*, *Vaga* origine statuenda offenderit, is utrique formae Phoeniciam originem vindicare possit, si sumat, *Vacca* et *Vaga* esse בקעה *vallis*, et בקי pro בקיע, بَقِيعٌ i. q. בִּקְעָה, بُقْعَةٌ melit. *bokky'a* vallis, regio, campus. Neque a Plauti verbis 2, 42 hoc alienum est, ubi *bocca* esse possit *regio*.

Pag. 323. Quod ex Mannerti auctoritate *Sabratham* eandem urbem esse putavi, quae dein *Tripolis* appellata est, id mihi retractandum est, quum صبرة Arabum a Tripoli طرابلس diversa sit, v. Quatremère description de l'Afrique p. 27 cf. 17.

Pag. 346. Lexidio nostro ex monumentis contexto addenda sunt vocabula ex tribus inscriptionibus Readianis (append. 2) et ex Tuggensis tituli novo exemplo (append. 3) petenda, quae quidem singula recensere non opus est. In eodem nonnulla delenda sunt, quae ex Tuggensis tituli locis male lectis hausta erant, veluti הרבשמא, שטראדם ex lin. 2, et plurima ex pristina versus septimi lectione petita.

Pag. 378. Omnia sana et legitima essent, si litteris pro *Hanno Muthumballe* legeretur: *Hanno le Muthumbal* חַנּוֹן לִמְתוּבַעַל, quod suppleri possit: חַנּוֹן (בן) לִמְתוּבַעַל, cf. 2 Sam. 3, 2: אַמְנוֹן לַאֲחִינֹעַם *Amnon Achinoamae* fil., V. 3: כִּלְאָב לַאֲבִיגַיִל. V. 5: יִתְרְעָם לְעֶגְלָה, quanquam in his exemplis praecessit: וַיִּוָּלְדוּ בָנִים.

Pag. 396. Quattuor inscriptionibus latinis nomina propria Punica continentibus addenda est *quinta* apud Reinesium, syntagmate inscr. antiqu. p. 477: M. Crasso Frugi L. Pisone Coss. (i. e. anno urbis 780) senatus populusque Timiligensis hospitium fecerunt cum C. Silio C. F. Fab. Aviola . . . . . Egerunt legati Azdrubal Suffes Annobalis f. Agdibil Boncarin Iddibalis f. Risuil . . . uno Azdrubalis f. Xucel(a)azo . . . . . Amilcaris f. Agdibil Balitonis f. Sirni, in qua haec sunt nomina propria Onomastico nostro pag. 399 sqq. addenda: *Agdibil* (אגדיבל foedus Baalis): *Annobal* (חַנּוֹבַעַל quem Baal donavit): *Balito* (בעליתו dominium eius?): *Risuil* (רְצוּאֵל beneplacitum Ili i. e. Saturni). „Xucelazo" admodum suspectae lectionis est.

Pag. 403. v. *Bocchus* addendum: Genuinam huius nominis formam esse *Boch*, luculenter arguit etiam planta in memoriam eius regis dicta, de qua Hesych. *Βώχ*, *βοτάνης εἶδος*, et Virg. Cul. 404: et Bocchus Libyae regis memor.

Pag. 414 v. *Sophonisba*. Forma *Sophonisba* apud Livium esse videtur צְפֹנִי שֶׁבָּהּ *thesaurus meus*, *qui in ea* (est). Ad formam cf. אָהֳלִי בָהּ Ezech. 23, 4 sqq. — Eidem Onomastico haec fere nomina propria addenda sunt: *Axid* et *Fasir*, principes Circumcellionum Aug. c. Petil. II, §. 146, prius fortasse אָח זֵד *frater ferox*, posterius פציר i. q. פָּרִיץ *ferox*, *tyrannus*, ambo attributa magis quam nomina propria. — *Tabion*, unde *Θαβίωνος παῖς* scriptor et theologus Phoenicius, Philo Bybl. 38 Orell. (טביון cervinus). — *Thuro Θουρά* ibid. p. 44 (תורה lex) cf. Ham. p. 171. — *Usous Οὔσωος* ibid. p. 18 (עֵשָׂו?).

Digitized by Google

INDEX I

vocabulorum Phoeniciorum tum appellativorum tum nominum propriorum, quae in monumentis et apud veteres scriptores reperiuntur. Etiam compendia vocum in monumentis obvia suis locis inserta sunt.

---

ge. nomen geographicum, *pl.* plantae nomen, *cp.* compendium scribendi significat.

א articulus 346 a.
א cp. pro אבן 53, pro אדני 450.
אב pater 346.
אב אדיר (abaddir) 384 a.
אב תקע ge. Aptunga 420 a.
אַבָּא 384 a.
אבו אנישת pl. 388 a.
אבו רקומת pl. 388 a.
אבי תאמה ge. 419 a.
אביב לבן pl. 385 a.
אביונות pl. 389 b.
אבל 385 a.
אבן 346 a. cf. בית אבן.
אבע 53. 346.
אבעלינים 385 a.
אברתי 384 b.
אַגָּדָה 346 a.
אַגַּרָה catarracta, in nomm. geogr. 418. 419 b.
אדיר v. אב אדיר, et Eucaddir 389 b. ראש אדיר 426 a.
אדם sanguis 389 a.
אַדָמָה ge. 419 a.
אדמת קֹדֶשׁ ge. 422 b.
אדן (אָדוֹן) dominus 346. — אדני Plaut. 2, 38. 41.
אדני Adonis 400 a.
אהבת 346 b.
אהל ארי בעל ge. 417. 424 a.
אהל חנות ge. ibid.
אהל טבה ge. 417. 419 b.
אהל טבור ge. ibid.
אהל עם בעשה ge. 417. 424 a.
אהל עם צבוע ge. ib.
אהל עמי גזה ge. ibid.
אהל עמיד ge. ibid.
און ge. 429 b.
אוצר v. בית אוצר.
אח frater Plaut. 1, 3. 346 b. gemitus ibid.
אחו דוד pl. 395 b. אחו עלים ibid. אחו פיד ge. 419.
אחות Pl. 1, 5.
אחי עזים pl. 386 b. אחי pl. 387 a.
אחר 346 b.
אטר pl. 386 b.
אי ארצת ge. 423 b.
אי בנם 347 a.
אי גלגל 423 b.
אַיָּא 346 b.
אירן pl. 385 a.
אילה 385 b.
איש vir, v. אִשׁ.
אֲכַלָּה ge. 419 a.
אכת (soror) 347 a.
אל art. 347 a.
אל (deus, Saturnus) 406 b. c. suff. אלי Pl. 1, 8. cf. בת אל, עבד אלים, עניאל, גאון אל, בחואל, חנאל, מעשי אלים, זרדאל.
אֵלֶּה (hi) Pl. 1, 9.
אלהים 389 a.
אלמן 347 a.
אלף 385 b. cf. לשון אלף.
אם mater 347 a. אם Plaut. 1, 10, cf. כי אם.
אם המסורה ge. 419 b.
אם נחשת ge. 420 a.
אם פסגה ge. 420 a.
אמן 347 a.
אֲמָנָה Plaut. 1, 8.
אמר (dixit) Pl. 2, 56.
אמת (serva), inde אמת יגרה 400 b. אמת עשתרת 347 a.
אֲנוּ (nos) Plaut. 2, 46.
אנוש 400 b.
אנך (ego) 347 a. Plaut. 2, 35.
אנן ge. (Gaulos) 347 a.
אסקרא 385 a.
אסר (Osiris), unde טראסר, אסרשמר et מלכאסר 347 a.
אעבדא, אעבר 347 a.
אעי cp. 53.
אף 347 a.
ארי 401 a. cf. אהל ארי בעל. ארי עשתרת ibid.
ארכתא 347 a.
ארמן ibid.
ארק מלך ibid.
אש (vir) ib. et Pl. 1, 6. 2, 44. 56.
אש (sacrificium) 347 a.
אשמן Aesculapius, אשמניתן al. 347 b.
אשרים 401 b.
אשרמלכתך 347 b.
אשפלה 423 b.
אשפר 401 b.
אשש 347 b.
אשת (mulier) 347 b.
את nota acc. 347 b. et 444. cum 347 b. i. q. אות ibid. אתבעל 347 b. 408 b.
את (אֵת) signum, v. באר את.
ב praep. 347. 443.
ב cp. 54.
באר את (Arethusa) 347 b.
בארות (Berytus) 403 a. 420 b.
בבי p. 457. 458.
בד i. q. עבד Pl. 1, 10.
בדאל ge. 420 b.
בדאשמן 347 b.
בד חנון 402 b.

Digitized by Google

בדין 387 b.
בדלעשתרת 402 b.
בד מלקרת 347 b.
בד עשתרת ibid.
בהו 387 a.
בוא 347 b.
בוך Bocchus 403 b.
בולה i. q. בעלה ge. 421 a.
בוש 348 a.
בז כתר 429 b.
בזנחי 348 a.
בטחים Pataeci 412 b.
בטם cp. 54.
בי p. 451.
בילת i. q. בעלה 348 a.
בין — בינני Pl. 1, 9.
בית (domus) scribitur בת (q. v.). Praeponitur permultis nominibus locorum (p. 417), ut ב׳ אבעלת 428 a. ב׳ אבן 427 b. ב׳ אברכת ibid. ב׳ אגזת ib. ב׳ אגורה 427 b. ב׳ אוצר 426 b. ב׳ אזרה 428 b. ב׳אקטופה 427 b. ב׳אקרת ib. ב׳אשבלת 428 b. ב׳ בקי ib. ב׳ אשכורה 427 b. ב׳ גיא 428 a. ב׳ גי בעל ib. ב׳ גל בעל 428 b. ב׳ גר בעל 427 b. ב׳ הגבר 420 b. ב׳ יבשת ib. ב׳ ירח 428 a. ב׳ יפו 420 b. ב׳ כרם 426 b. ב׳ לאובת 427 b. ב׳מדר מוצא ib. ב׳נצה ib. ב׳ עגבה ib. ב׳ עבדה ib. ב׳עגל 426 b. ib. ב׳עזין 428 b. ב׳עזיקת ib. ב׳עזר ib. ב׳עמוגד ib. ב׳ עמו ib. ב׳ עמוציד 427 b. ב׳ עקב 428 b. ב׳עמק ib. סיפת 427 b. ב׳ פרור 428 b. ב׳ פז 427 b. ב׳ בית רוד 428 a. ב׳ שיגעת 428 b. רם שדושים 429 a. ב׳ שקי 421 a. ב׳ תפלה 428 b. Praeterea v. בית אל Baetylus 387 a. b.
בכות 387 b.
בל חמן p. 451. 452.
בלל ibid.
בן 348 a. Plaut. 1, 3. 7.
בנאך 348 a.
בנובעל 403 a.
בנחדש 348 a.
בני אור 420 b.
בני יובל ibid.
בנרש 348 a.
בנש (Banasa) p. 459.
בעגא ge. ib.
בַּעַל (dominus, Baal) 348 a. 387 a. 402 a. ge. 429 b. (Vol). — בעל שמים 387 b.
בעל אור 413 a.
בעלון 429 a.
בעליתן 348 b.
בעלת 348 b. 420 b. 421 a. 429 a.
בעלתי (Baaltis, Bolathes) 402 a. 404 a.
בעקר i. q. מעקר 420 b. 421 a.
בצלת 402 b.
בצר 429 a. it. בָּצָר v. ראש הבצר.
בצרה (Byrsa) 421 b.
בקי urbs (an vallis? p. 468) 417, dein ge. 348 b. 420 b. 421 a. 429 a. בקי סלע 429 b.
בר (filius) Pl. 2, 42; (purus) 348 b.
בר אמין 415 b.
בר בית בעל ge. 420 b.
ברבעל 412 b.
ברגוד 404 a.
ברמלך 348 b.
ברמלקר 404 a.
ברמעקר 402 a.
ברד 429 a.
ברוך ge. 421 a.
ברי 348 b.
בריאה 420 b. בריאת 348 b.
ברך (benedixit) 348 b. cf. בית אברכת
ברקא (Barcas) 402 a.
ברר 348 b.
בשת ibid.
בת (filia) ib. pl. בנות Plaut. 1, 3.
בת (pro בית) domus 348 b.
בתבעל 349 a.
בתואל 403 a.
בתויה ibid.
בתנעם 349 a.
ג pro גדל 54.
גאבעל 406 b.
גאון Plaut. 2, 67. גאון אל ge. 423 b. גאון ענק ge. 423 a. גאנת עז 407 b.
גאל בעל שר 407 b.
גאלא 406 b.
גבולם Pl. 1, 9.
גב שרה ge. 423 a.
גד (coriandrum) 388 b. *fortuna*, unde גד נעמה 407, 4. גד המוצא 422 b. cf. בית עמו גד.
גדוד בעל pl. 389 a.
גדוד עלים pl. 383 a.
גדל 349 a.
גד עשתרת ibid.
גדר ibid. 388 a.
גודא 407 a. cf. בר גוד.
גוזה ge. 424 a.
גור ge. 423 a.
גז עבל ge. 423 a.
גזירה ge. ibid.
גזל v. חציר.
גיגרתא ge. 423 a.
גירא ge. ibid.
גית בעל ge. 422 b.
גלבע ge. 423 a.
גלדא ge. ibid.
גלדון 407 a.
גלפה 422 b.
גמלי 407 a.
גמץ ge. 423 a.
גמת 349 a.
גן 388 b.
גנן Ho. מָגֵן p. 451.
געל 349 a.
גפא ge. 423 a.
גרב ge. 422 b. 423 a.
גרגיר ge. 423 a.
גרזא ge. ibid.
גרעשתרת 407 a.
גרפא ge. 423 a.
גת 349 a. 423 b.
דבר (verbum) 349 a. n. pr. 406 a.
דברים Pl. 1, 6. דְּבוּר 1, 7.
דגן 389 a. cf. בית דגון 387 b.
דהבה pl. 389 a.
דוש v. בית רם שדושים.
דידו 406 a.
דיחי ibid.
דיור ge. 422 b.
דליעשתרת 406 a.
דם אריון ibid.
דמורא ge. 422 b.
דמליחא 349 a.
דקדקא ge. 422 b.
דרת ge. ibid.
ה art. 437.
הוא (pro הוא) 349 a.
הדד 385 a. 400 a.
הדסה ge. 423 b. cf. טען הדסה.
היא Pl. 1, 8.
היה (fuit) 349 a.

Digitized by Google

הלך ivit, imp. לך Pl. 2, 53.
המם p. 454.
הן ecce p. 459.
הנה ecce, Pl. 1, 7. 10.
הר (mons), הר בעלתי ge. 420 a.
הרין ge. 423 b.
הר שסיעת ge. 420 a. הרין ge. 423 b.
הרנא 340 a.
ו copul. 349 a. et 443.
ובר ge. 429 a.
זאת haec Pl. 1, 1. 8.
זד Pl. 1, 6.
זה haec 349 a.
זהר v. עבדזהר 354 a.
זיתא ge. 430 a.
זך 349 a.
זכר ibid. זכרתי Pl. 1, 1.
זלעפה ge. 429 b.
זפת (pix) v. צרי זפת, חצור זפת.
זרב ge. 426 b.
זרד אל ge. ibid.
זרד הבעל ge. ibid.
זרמובל 415 a.
זרע פשתה pl. 389 b.
ח, חד, חת compendia p. 292.
חבר 399 a.
חברות לבש 395 a.
חג 349 b.
חג בעל 400 a. ge. 419 b.
חדידני 394 a.
חדר 349 b.
חדש v. קרת חדשת, מקום חדש.
חָוו Pl. 2, 34. 38.
חזור 386 a.
חזקון 407 a.
חיה, חים vita 349 b.
חיק 349 b.
חירבעל 408 a.
חירם 408 b.
חכם, unde חכמבעל, חכמבל, חכמתעל, חכמשבעל, חכבעל v. 349 a. 408 a.
חלב 389 a. 405 b.
חליץ Pl. 1, 6.
חלך 349 b.
חלקא 407 a.
חמים 390 b.
חמלכת 349 b.
חמלקר Hamilcar 401 a. 407 b.
חמלקו 408 a. b.
חמן 349 b. 170—172.
חמר ge. 423 b.
חמש 350 a.
חמת moenia 350 a. חֲמָת ge. 419 b.
חַנָּא 350 a. 400 b.
חנאל ibid.
חנאלף 422 a.
חנאאשמן 350 a.
חנבעל (Hannibal) Melit. 2, 3. 4. (hoc enim vc. omissum est in ind. p. 350 a) cf. 400 b. 405 b. 407 b.
חנון (Hanno) 407 b.
חִנָּם Pl. 2, 56.
חנמעל 350 a.
חננים Pl. 2, 54.
חנעברת 400 b.
חנעזו 405 b.
חסד 350 a.
חסק ibid.
חץ 350 a.
חציר 1) gramen, herba, unde multa nomina herbarum, ut חציר אשמני 386 b. ח׳ גוזל 385 b. ח׳ זפת 386 b. ח׳ חם 394 b. ח׳ ירק 386 a. ח׳ מקום 390 a. ח׳ ערקין 386 a. ח׳ קרור ib. ח׳ רישי 385 b. ח׳ רקק 386 a. ח׳ שמכה 394 b. ח׳ תפוח 386 a. 2) i. q. חָצֵר atrium, villa, inde ח׳ צדה ge. 423 b. ח׳ שׂרה ge. 420 a.
חר 350 a.
חרב ibid. חרבא 401 b.
חרדן pl. 395 b.
חריץ 385 b.
חרמל pl. 395 b.
חרציתא pl. ibid.
חרש 350 a. חרש אור 405 b.
חשב 350 a.
חֶשֶׁק Pl. 1, 2. חשק אקו pl. 385 b.
חתי 350 a.
טבור umbilicus, collis 418; in nomm. geogr. טבור בקי 428 b. טבור יניקה 428 a. טבור שקה ibid. טבור שק בורה 428 b. cf. אהלטבור.
טבארם p. 459.
טוב bonus, in טוב און ge. 428 a. טוב ערבו 429 a.
טוב שבתו 429 a.
טען (confodit) 350 a.
טען הדסה ge. 428 a.
טרם Plaut. 1, 5.
יאובעל (Iuba) 350 a. 408 b. 409 a. ge. (Iol) 423 b.
יבל (gramen) 390 b.
יבנה ge. 423 b.
יבשת v. בית יבשת.
יגע 350 a. יגעת ge. 423 b.
יגרת בעל (Iugurtha) 409 a.
ידיד Pl. 1, 3 cf. בית ידיד.
ידע scivit, unde דעתם Pl. 2, 57.
ידעקם 406 a.
יהוה 408 b.
יחוד 391 a.
יטן = ישן dormivit Cit. 2, 2, v. pag. 463.
יכון 408 b.
ימלחי 350 a.
ינק 391 a. יניקה ge. 428 b.
יסד 350 b.
יעזר 408 b.
יעיף 350 b.
יעץ ibid.
יער 390 a.
יעשר בעל 350 b.
יפו ge. 423 b. cf. בית יפו.
יפמו 350 b.
יפשעת ibid.
יצב ibid.
יצר ibid.
ירבעל 408 a.
יֵשׁ (est) Pl. 1, 17.
ישב, unde שבת habitare Pl. 1, 9, cf. שבתו, טוב שבתו.
כ praef. 350 b. comp. pro כהן 54, pro מלך ib. cf. 53.
כֵּבָא 350 b.
כבול 395 a.
כביר Cabirus 404 b.
כבס 350 b.
כבר (כביר) 350 b. כבר חים ib.
כהן 391 a.
כח vis Pl. 1, 6.
כי part. Pl. 1, 9. כי אם 1, 2.
כיר Pl. 1, 8.
ככב 350 b.
כל ibid.
כלו מקום 421 b.
כלת 350 b.
כנור 388 b. 405 b.
כנס 350 b.
כנעה 388 b.
כנען 350 b. כנעני 340 not. 405 a. b.
כעש 350 b.
כפפי p. 458.

Digitized by Google

כפר (vicus) p. 417. 422 b. כפר סוטים 421 a.
כפרות 422 b.
כרך 351 a. כרכא ge. 421 b. כרכין ge. 422 a.
כרכם 421 b.
בית כרם v. כרם.
כרסכל 351 a.
כרסס ge. 421 b.
כתי 351 a.
ל praef. 351 a. b. gramm. p. 443.
לא (non) Plaut. 2, 47.
לאדכא ge. 351 b.
לאכומך 409 a.
לב, לבב cor 351 b.
לבי Libys ibid. 424 a.
לבן (albus) v. אביב לבן.
לבנתא ge. 423 a.
לבשה 351 b.
לכת 351 b.
לענה 391 b.
לפמי 351 b.
לקח Pl. 1, 2.
לשון אלף pl. 385 b.
מ praef. 351 b. comp. pro מצבת 54; pro מאה p. 460.
מא pro מאת (centum) num. Acc.
מאמעל 352 a.
מאפלם ibid.
מאת (centum) ib.
מבצר ge. 424 b.
מברשה ge. 425 a.
מגד בעל שר 409 a. b.
מגדון 412 a.
מגורה 424 b.
מגר? 392 b. מגר בעל 429 a.
מגרפה 425 a.
מדור 424 b.
מדר עצמה ibid.
מה (quid) Pl. 2, 57.
מהלם 352 a.
מהרבעל 409 b. 411 a.
מו (aqua), unde מו שקר ge. 418 425 b. cf. מות.
מופת ge. 421 a.
מוצא (fons), unde מוצא לבים ge. 425 b. cf. בית נדד מוצא, גד המוצא.
מות I. mors. Plaut. 1, 5. II. fem. a מו aqua 418, unde מותבעל, מותי גמד, מותי עשתרת 425 b.
מזר 352 a.
מח comp. pro מחנת 54.
מחנת (Panormus) ibid.
מחר 352 a.
מטוא Motye ibid.
מי (quis?) Pl. 2, 42.
מים aqua, cstr. מי, unde מי־כמש 352 a. et nomm. propr. מי נגרה, מי נפש, מי נקש 425 a.
מך (môch) rex 352 a. n. pr. 411 b.
מכס מעל 425 a.
מכת (mocût) regnum ibid.
מלא 352 a.
מלוא ge. 424 b. 425 a. b.
מלוך ge. 425 b.
מלחת ge. ibid.
מליטה Melite 92.
מלי קבצה ge. 425 a.
מלך rex 352 a. n. pr. 409 b, unde מלכבעל, מלכאסר מלכיתן 352 b.
מלאא (מַלָאָא) Malaca 352 a.
מלכת (מַלְכַּת) regnum 352 a. b.
מלקר 352 b.
מלקרת (Melcarthus, Hercules), de variis eius formis 352 b. 409 a. b. 410 b. 411 a. b. Inde מלקרתעיר 352 b.
ממון mammon 393 a.
ממרא 425 a.
ממרום 411 a.
מנחא quies 352 b. pl. Pl. 2, 53.
מנן 352 b.
מנשה (Manasse) 409 b.
מנת 352 b.
מסועה ge. 425 b. 429 b. cf. אם המסועה.
מסלח 352 b,
מע cp. pro מלך עלם 54. 318.
מעגל (magale) 392. 429 a.
מעוז (munitio) 417. 425 b. מעוז בעל ibid.
מעון 409 b.
מעכת (regnum) 352 b. 431.
מעל i. q. בעל 353 a. 433 lin. 3. cf. מאמעל.
מעלת בעל ge. 424 b.
מעקר i. q. מלקר 353 a. 403. 431. מעקרה ge. 424 a.
מעשה־שאלי (Masaesyl - us) 424 b.
מעשוגר 410 a.
מעשו עקב ge. 425 a.
מעשיבעל 353 a. 410 a. b. 411 a.
מעשיחרבא 414 a.
מעשילים Massyli 353 a.
מעשימך 415 a.
מעשנתן 353 a.
מפתר 411 a. ge. 424 b. 425 a.
מצבת 353 a.
מציתבעל ibid. 411 a.
מצנת בעל 410 a. 414 b.
מַצָּקָה ge. 425 a. מְצָקָה ge. 425 b.
מצר 353 a.
מצרה Mazara 425 a.
מקם (מָקוֹם) locus 353 a. ge. 424 b. מקם חדש 424 b.
מקצר ge. 425 b.
מראשנה ge. 424 b.
מרפא (מַרְפֵּא) mansuetudo inscr. Melit. 2, 3 cf. append. p. 450. 461.
מרקל i. q. מלקר 412 a.
מרת ge. 353 a. 424 b.
משאת ge. 424 b.
משאת בעל ge. 425 a.
משגחבעל 409 b.
משיבעל 353 a.
משית 393 b.
משכב 353 a.
משל imago it. princeps (משל) ibid.
מתגן 410 a. b. 411 b.
מתו בעל 411 b. 412 a. Plaut. 2, 35. 37.
מתומתן 411 a.
מתועשתרת 399 b.
מתן 410 b. 411. b.
מתנבעל 449.
מתת ערב ge. 425 a.
נ cp. pro נציב 54.
נב עבור ge. 425 b.
נבל (stultus) Plaut. 2, 67.
נגד 353 a. 425 b.
נַגָּרָה catarracta v. מי־נגרה.
נדר (vovit, votum) 353 a. b.
נדר אגרה 425 b.
נהרת קטן ibid. נהרה ge. ibid.
נור בעל 353 b. נור ge. 425 b.
נחם Nahumus 353 b. 412 a.
נחשת (aes) v. אם נחשת.

Digitized by Google

נחת 353 b.
ניב ge. 425 b.
נכר, unde Hoph. מנכר Pl. 1, 10.
נעם בעל ge. 425 b.
נעם פעמו 412 a.
נער בעל 412 a.
נערת 425 b.
נפש v. מֵי נֶפֶשׁ.
נערת בעל 412 a.
נץ cp. pro נציב 54.
נצאינת 353 a.
נצב statuit; it. statua, cippus (pro נציב) 353 b. 394 a. נצבאשמן 353 b.
נצח (flos) 394 a. cf. בית נצח.
נקח 353 b.
נָרֶת pl. 394 a.
נתאדן 412 b.
סבל 353 a.
סגר ibid.
סוד חבעל ge. 427 a.
סוס equus, unde סוסי קצי ge. 427 b. cf. כמר סוסים, עבד סוסים.
סטראצדת 353 a.
סיעת ibid. cf. חר שסיעת, it. בית עמו סיעת.
סכל ibid. cf. כרסכל.
סכר ibid.
סלל ibid.
סלע 418. 426 a. b. 427 a.
סמוך 427 a.
ספר 353 a.
סראסר 224.
סרגד 354 a.
ע comp. pro עבדך 54, pro עלם ibid.
עבא ge. 419 a.
עבד (servus) 354 a, unde multa nomina pp. ut עבד אסר, עבד אשמן al. quae vide 354 a. b. adde עבר בעל 412 a. עבד אלים 399 b. עבד עליונים ibid. עבד אמון ibid. עבדעשתרת ibid.
עבדא et עבדת 354 a. 408 b.
עבדי 399 a.
עבדרת Abdera 354 a.
עבור (frumentum) 419 a. ge. 422 b.
עבעל 354 b.
עגבת v. בית עגבה.
עגלה 420 a.
עד (עֵד) Plaut. 1, 9.
עדי vel עדין 409 b.
עדיבעל 408 a.
עדרחן 354 b.
עור בראי 429 a.
עז (עז munitio), inde עז בעל, עז שר, עז זית, עז חגר שר 429 b.
עז (capra) v. אחי עזים.
עזזי 401 b.
עזיקת v. בית עזיקת.
עזמלך 401 a. 412 a.
עזרובעל Asdrubal 401 b.
עַזָּתָה ge. 424 b.
עטין 429 b.
עטם 354 b.
עטלפת 391 b.
עי 354 b.
עֵיא Oea 425 b.
עיבעל 354 b.
עין (oculus) 354 b.
עיר בעל ibid.
עירת ge. 424 a.
עך Acco 354 b.
עכבר ibid.
עלי על (super) ib. Pl. 1, 10.
עלון vel עליון (supremus) Pl. 1, 1. 4. 406 b.
עלין בר 429 b.
עליזת 406 b.
עלם (עוֹלָם) 354 b. 394 a. cf. שיד עלם, מאעלם.
עלמה 385 b.
עם (populus) 354 b, unde עם מדרא 419 b. עם עשתרת, cf. בית עמו גד, בית עמו ציד.
עמוד ארץ 420 a.
עמר קריה 425 a.
עמחר 354 b.
עמק קריה ge. 419 b.
עמרה ibid.
עמת (populus) 354 b. 355 a.
ענת (respondit) Plaut. 2, 50.
עניאל 406 b.
עניבעל 408 b.
עע comp. scribendi 54.
עפר 420 a.
עצומת 430 b.
עצמבעל 355 a.
עצמת 429 b.
עקב 419 a. 429 b.
עֲקָלָה? 419 a.
עקרת 419 a.
ערבון 400 b.
עשת (fecit) 355 a.
עשתרת Astarte ib. 401 a.
עשתרתן 414 b.
עת (populus) 355 a.
עתיקת (Utica) 429 b.
עתרבעל 400 a.
עתם combussit p. 455.
פגע 355 a.
פטר ibid.
פיד עולם ge. 422 b. cf. אחו פיד.
פֶּלֶא (miraculum) n. pr. 413 a. פלאי שדת pl. 395 a.
פלאבעל ge. 422 b.
פלאן 413 a.
פלוא Plaut. 2, 57.
פלך ge. 422 b.
פמת 413 a.
פנת (vertit), unde part. Pi. מפנידם Plaut. 2, 63.
פסלא 422 b.
פע p. 459.
פעל (fecit), לפעל Plaut. 1, 6.
פעם עליין 413 a.
פעמי ibid.
פרדא 422 b. 425 b.
פרור (suburbium) v. בית פרור.
פרעש 394 a.
פרקנת Plaut. 1, 3.
פשתת v. זרע פשתת.
פתות ge. 425 b.
צברתעל 355 a.
צדיק 413 b.
צדן, צדני 355 a.
צידת, ציד (venatus) v. תכל בית עמו, תנו צידת, צידת צידת.
צכץ ibid.
צל ge. 429 b.
צלד 426 a.
צמרת 427 a.
צפו 413 b.
צפון 414 a.
צפני שנח (Sophonisba) 414 b. cf. pag. 469.
צפי שמים 390 a.
צר (Tyrus) 355 a. b. 415 b.
צרדה 429 b.
צרי זפת pl. 390 a.
קבצת v. מלי קבצת.
קבר 355 b.
קדח 391 a.
קדם 405 a.
קום 355 b.

Digitized by Google

קטן 388 a. 422 a.
קיר 355 b.
קל (קֹל vox) ibid. קל סי יח 391 a?
קן הבעל 422 a.
קנזי ge. 406 a.
קניבעל 406 b.
קנת 355 b.
קסמיאל 405 a.
קסוזה ib.
קפצה ge. 421 a.
קצובי (Cutzupita) 406 a.
קר (i. q. קרת urbs 417), unde קר בעל 422 b. קר בית 421 b (bis). קר סה ibid.
קרא בעל 422 a.
קרבן 391 a.
קרור v. חציר קרור.
קרן 422 a.
קרקף 421 a. b.
קרת (urbs) it. ge. 422 a. unde קרת אל 422 a. קרת חדשה (Carthago) 355 b. 421 b. קרת עלון 405 a. b.
קרתים 422 a. קרתין 412 b.
קרתא de Carthagine Pl. 2, 35.
קרתית pro מלקרתיה 421 b.
קשר 395 b. קשרת ge. 405 b.
קשת עלון 405 a. b.
ראש v. רש.
רב (princeps) 355 b.
רב (רַב) Plaut. 1, 4.
רבוחי 425 b. 426 a.
רבת (domina) 355 b.
רו (pluvia) 355 b. רו בריכת 426 a.
רוח (respiravit) 355 b.
רח (spiritus) ib. Pl. 1, 4.
ריח odor 454.
רם (altus; regia) 355 b. 356 a. 394 a. (Roma) 356 a.
רמי ibid.
רמתא 426 a.
רסן Pl. 2, 67.
רסאין Pl. 2, 46.
רצה 356 b.
רקמא ge. 426 a. cf. אבו רקומה.
רש i. q. ראש caput, promontorium 356 a. 418, unde undecim nomina promontoriorum et urbium maritimarum in Africa, ut ראש אדיר, ראש בצר, ראש יקדה al. 426 a.
רשת (ראשית) 356 a.
ש praef. 356 a. 438.
שאל Plaut. 1, 2. 10.
שבור 413 b. 427 a.
שבלת v. בית אשבלת.
שבתו 427 a.
שגח 356 a.
שדה (ager) 394 b. adde ראש שדה 426 a.
שדיד 413 b.
שום p. 458. 459.
שועל 427 a.
שוק (forum), inde in nominibus locorum 418. 426 b. 430 b. שוק בר 427 a. שוק קרת 430 a.
שושן pl. 394 b.
שטף ge. 427 a.
שית (ponere) ibid. Ho. part. משת p. 451.
שלג (nix) 356 a. שלגי ibid.
שלוח ge. 427 b. שלח 356 a.
שליסה 413 a.
שלם 356 b.
שלש (tres) 394 b.
שלשל 356 b.
שם (nomen) 356 b. Plaut. 1, 10.
שמאלה ge. 427 a.
שמאתו ge. ibid. cf. שמיתי inscr. 72.
שמים v. בעל שמים.
שמע 356 b.
שמש (sol) ibid. השמש pl. 306 a. שמש אור 413 b.
שנים (duo) 356 b.
שנכון ידו (Sanchuniathon) 413 b. 415 a.
שנער ge. 427 a.
שנת 356 b.
שעתבעל ibid.
שפט ib. 394 b.
שפטבעל p. 450.
שפי (collis), unde in geogr. שפי בעל, שפי השר, שפי חעלה 427 a.
שקר Pl. 2, 63.
שר (princeps) 356 b. שר בעל 414 b. שר נעם 413 b.
שרדן (Sardi) 356 b.
שריגה ge. 427 a.
שרש 394 b.
שרשרה ge. 426 b.
ת comp. pro שנת 34.
שחל 356 b. 427 b.
שחיליה 394 b.
תאם, תאום 356 b.
תאנה 428 a. cf. אבי תאנה.
תארא 356 b.
תבה 390 a.
תבור ge. 420 a.
תבל ge. 428 a.
תגבץ 356 b.
תור 390 b.
תחתה 415 b.
תכל צירה ge 428 b.
תכן מג? 356 b.
תל בור ge. 427 b. 428 b.
תם (תֹם) Pl. 1, 6. 2, 44. (תֹם) Pl. 1, 2. = שם ibi Pl. 1, 9.
תמורה ge. 427 b. 429 b.
תמכה pl. 390 a.
תמר 428 a. תמרית 428 a.
תנובה 428 b.
תנו (habitatio) p. 417, unde תנו צירה, תנו דרום 428 b.
תנת (Tanaïtis) 357 a. n. pr. 415 a. ge. 429 a.
תעלת (canalis) 428 a. b. cf. שפי תעלה 427 a.
תפסח 418. 428 a.
תציר תפוח v. תפוח.
תפלה (תְּפִלָּה) v. בית תפלה.
תפלות Pl. 1, 6.
תקע (תֹּקַע sedes, colonia p. 418), inde in geogr. 429 a. תקע בית, תקע בר ibid. cf. אב תקע.
תרז 357 a.
תרע (porta) Pl. 1, 10.
תרפת (tuber) pl. 309 a. תרפת שדה ibid.
תרצה 429 a.

Digitized by Google

INDEX II

nominum et rerum memorabilium.

Quaecunque in tribus Lexidiis lib. IV cap. 3 explanata sunt vocabula Punica, in hoc indice omissa et in illis quaerenda sunt.

Abdera Hispaniae, eius numi 310. 311.
Acco s. Ptolemais, eius numi 269, de annorum in iis computatione 270.
Achulla, Africae urbs, eius numi bilingues 318. 319.
Io. Chr. Adelungii de lingua Punica 333. 337, de Plauti loco Punico iudicium 367.
Adrichen, regulus Numidiae in inscriptione memoratus 211.
Aegyptus, de monumentis Semiticis ibi repertis 13. 224. 225. 226 sqq., an a Iudaeis profecta sint 232. 234. 238.
Aegyptiacae voces in linguam Phoeniciam receptae 136. 336.
Aetas titulorum raro certa ratione definiri potest 101.
Africa, coloniae Phoeniciae in eam deductae 12, duae linguae ibi usitatae, Phoenicia et Libyca 12.
Agius de Soldanis, eius opinio de lingua Melitensi 252, curae in Plautum 361.
Ain littera, eius figurae 39—41, num passim auritae sint vel caudatae 40, error in numis Marathensibus 273. 274, subinde pronunciata est *O* 430. 431, iccirco apud Graecos ex Ain Phoenicio ortum est Omicron 66.
Io. Dav. Åkerblad 5, 80, eius curae in inscriptiones 113. 117. 118. 129. 332.
Bern. Aldrete 1. 330.
Aleph littera, eius figurae 19—21, plures eius a Lindbergio male pro Koph habitae 20. 303, ubi quiescit saepe omittitur 57, extremis vocibus apud Phoenices usitatior est quam apud Hebraeos 430. 440.
Alexandri Magni numi Phoeniciis litteris inscripti 269.
Ali Bey 213.
Alphabeta Phoenicia examinantur 15. 16. 17.
Anaïtis v. Tanaïtis.
Rud. Anger 120.
Anna, soror Didonis, divinis honoribus culta 182.
Antonini itinerarium, nomina pp. Punica in eo explicantur 416. 419 sqq.
Appositio 135.
Appuleji liber de virtutibus herbarum, a quonam et quando scriptus sit 383, plantarum nomina ex eo explicata 385 sqq.
Aradus, numi eius etsi incerti 274. 275.
Arce Caesarea, quo iure numi Phoenicie inscripti ei tributi sint 285.
Ἀρχηγέτης quid sit 101.
Thom. d' Arcos, Gallus eruditus in imperio Tunetano degens 103.
Arethusae fontis nomen Phoenicium 295.
Arnobius laudatus 340 et explicatus 403.
Io. Ant. Arri, eius curae in inscriptionibus edendis et explicandis positae 154. 466. 67.
Arrianus 402 a.
Articulus, eius formae apud Phoenices 437, parcius ponitur 443, nominibus propriis praepositus 444.
Athenaeus explicatur 388. 391. 395.
Atlantis, mythus Platonicus de hac insula 255 sqq.
Atlas, etymon eius ex lingua Melitensi, si Dis placet, petendum 257.
Augustinus, eius iudicia de lingua Punica 331. 340, Punica apud eum obvia explicantur 384 a. b. 387 a. 389 a. b. 393. 400. 405. 412. 416. 421.
Augustus, Octaviani Augusti nomen in numis bilinguibus Phoeniciis 312. 319. Tiberii nomen in numis 310. 320. 324. Augustus de Septimio Severo in inscr. Tripol. 214. 301, Augustus Germanicus de Caligula 301, Augusti insula de Cossura 301.
Auriculae litterarum invitis statuariis ortae 40.
Baal Hamman vel *Hammon*, numen Phoenicum et Poenorum 170, num idem sit quod Ammon Aegyptiorum 172.

Digitized by Google

Badia, Pseudo-Ali Bey 213.
Baleares insulae, numi Phoenicii quo iure iis nuper tributae sint 298. 300.
Bar-Hanes, vir Aegyptius in fragmm. Blacassianis 242.
Io. Iac. Barthelemy, eximia eius merita in re palaeographica 3, alphabetum eius Phoenicium 15, scriptura aramaea aegyptiaca ab eo indagata 60, scriptura Palmyrena ab eodem extricata 81, error eius palaeographicus 26 lin. 3, eius animadversiones in inscriptt. diiudicantur 95. 103. 128. 134. 226 sqq. in numos 269. 271. 273. 288. 293. 294. 299.
Fr. Perez Bayer, eius scripta et merita palaeographica 4, alphabetum Phoenicium 15, curae in numos Iudaicos 79, in inscriptt. Phoen. 95, in numos 299. 306. 310. 320.
Ed. Frid. Ferd. Beer, eius curae in monumenta Aramaea Aegyptiaca 60. 88. 226. 233. 245.
Bedscha باجة, Vacca veterum 321. 322.
Belo s. *Belus*, Hispaniae urbs, numi ei vindicati 311. 312.
Io. Ioach. Bellermann, scripta de rebus Punicis 5, eius observationes in numos 268. 272. 281. 294. 296. 299. 306. 323. 324. 327. 328, in Plauti Punica 360. 370 sqq. 375.
Ed. Bernardus 2.
Berytus, numi eius 275.
Beth littera, eius figurae 21. 22, quid differat a Daleth et Resch 21, pronunciatio et vicissitudines 432. 433.
Sam. Bochartus, glossarum Phoeniciarum collector et interpres 331, loci Plautini interpres laudabilis 358. 359.
Aug. Boeckh 63. 102.
Camillus Borgia comes 8. 184.
Cabiri, vocis etymon 404 b, Cabirorum nomina 397, Cabiri imago in numis 303. 313.
Caelestis dea Carthagine culta 161.
Calligraphiae studium quam vim habuerit 18.
Caph littera, eius figurae 32. 33.
Capita litterarum in Aramaeis scripturae generibus supra sunt aperta, dein evanescunt 61.
Carne, Phoeniciae promontorium, eius numi 275.
Carthaginis numi Punice inscripti non exstant 313, sed latine inscripti ibid.
Castellus de Torremuzza, monumentorum Phoeniciorum editor 5. 7. 93. 102. 160. 161. 299.
Celtibericae litterae 73. 192.
Rich. Chandler 80. 126.
Chet littera, quid significet nomen eius 28, eius figurae 28 sqq. 143. 148. 449, pronunciatio 430.
Ciliciae numi Phoenicii omnium antiquissimi ad Persarum aetatem pertinentes 10. 11. 274 sqq.
Cissa, Africae oppidum, num nomen eius in numis reperiatur 324.
Cippi Punici illiterati Lugduni asservati 210.
Cittium, eius historia 120. 122, de etymo coniectura 152. 153.
E. D. Clarke 153.
Io. Clericus 359.
Cnidus, pugna ad Cnidum significatur in numo 283.
Cossura insula, eius numi 298, nomen Phoenicium 299, novum nomen latinum 301.
Curtius emendatur 399 a.
Cypri monumenta 11.
Cyrenaica, in ea Phoenicia lingua usi non sunt 13, inscriptiones bilingues Cyrenaicae falsae 247 sqq.
Daleth littera, quid significet nomen 23, eius figurae 23. 24.
Damascius laudatur et explicatur 387. 394. 395. 404.
Defectiva scribendi ratio apud Phoenices 56—59.
I. D. Delaporte 454.
Demidoffii gemma 222.
Deorum nomina hominibus indita 136. 442, urbibus locisque tributa 117.
Diana Persica s. Tanaïtis 115 sqq.
Dioscorides, plantarum nomina Punica illustrata 383 sqq.
Distinctio verborum, varia eius genera 54. 55.
Domus aeterna, pro sepulcro 105, domus perpetua (fort. capitis) imperii, de regia 316. 318.
Will. Drummond (Sir) 96. 102. 104.
Dureau de la Malle 161.
Lud. Dutens 4, eius alphabetum Phoenicium 16, observationes in numos 302. 320. 323.
E Graecorum ortum ex ה 66, a Phoenicibus eadem littera expressum 120, *E* pro *ει* 121.
Ios. Eckhel de litteris Phoeniciis iudicia praef. 5. 276, in dubitando nimius 270. 271, erga Swintonem iusto iniquior 86.

Digitized by Google

Ennae Siculae nomen num in numis Phoeniciis legatur 296.
Epiphanii locus de vetere scriptura Persica 83.
Erycina inscriptio 158.
Esmunus s. Aesculapius Phoenicius, 136. 137.
Etruscorum litterae 71, his scripta ab Hamakero pro Phoeniciis habita 246.
Etymologicum Magnum, Phoenicia saepe male interpretatur 382. 388 a. 389 a. b.
Eumalus Cyrenaeus, scriptor nuper suppositus 258.
F littera orta ex *Baῦ* Graecorum, Vav Phoenicum 66.
Gabriel Fabricy 1. 129. 360.
C. T. Falbe, monumentorum Carthaginensium editor 8. 176. 181. 202. 316. 317.
Feminini forma apud Phoenices plerumque est ת— 439, rarius א— 440.
Festus 387.
Fortia d' Urban, eius fraudes litterariae 247—250.
Fourmontius, quid praestiterit in Phoeniciis interpretandis 95, inscriptio eius adulterina 260.
G in Africa saepe pronunciatur pro ק 433.
Gades Hispaniae, numi eius 304 sqq.
Gaulos insula, nomen eius Phoenicium et Graecum 301—303, numi eius 301—304.
Gazzera 161.
Geminatio litterarum apud Phoenices 433. 434.
Genitivus quomodo exprimatur 444.
Gephyraei Athenis, num Phoeniciae originis fuerint 112.
Gerbe insula, inscriptio ibi reperta 219.
Gimel littera, eius figurae 22. 23.
Graecorum prisca scriptura, Phoeniciae simillima 65—70.
G. F. Grotefendii litterae de monumentis babylonicis 76, eiusdem de numis Phoeniciis coniecturae 295. 325.
Ian. Gruteri inscriptiones nomina Punica continentes 396. 397.
H. A. Hamaker, eius scripta de litteris Phoeniciis 8, eius alphabeta examinantur 16, errores eius palaeographici 31. 32. 34. 37. 43. 284. 308, observationes eius in inscriptiones examinantur 107. 110. 124. 142. 145. 146. 148. 149. 151. 163 sqq. 177. 178. 184. 204. 207. 214. 217. 224. 227 sqq. 233. 249, in numos 266. 272. 278. 279. 280. 281. 284. 290. 296. 298. 299. 302. 306. 307. 310. 312. 317. 319. 320. 323. 324. 325, falsa eius de linguae Phoeniciae habitu sententia reprobatur 332—335, de nomm. pp. explicandis merita 397 sqq. 419 sqq.
Hamilcar, scriptor Poenus 344.
Hannibalis magni inscriptio Punica 90. 345, num titulus sepulcralis eius exstet 106. 118.
Hanno, scriptor τοῦ Περιπλοῦ 344.
A. Th. Hartmannus 1. 161.
He littera, eius figurae 25. 103. 449, extremis vocibus subinde abiicitur 58, ponitur pro graeco *E* 121.
Hebraeorum prisca scriptura 78.
Heraclea Minoa, eius numi 292 sqq.
Io. Godofr. Herderi de lingua Punica iudicium 332.
Herodotus emendatus 410 b.
Hesychius, glossae eius Phoeniciae explicatae 384 a. b. 385 a. b. 386 a. 387. 388. 390. 391.
Hiempsal I., Numidiae rex 198, gentis stemma ibid.
Hiempsal II. 203, eius liber de originibus populorum Africanorum 345.
Hieronymus, ecclesiae pater, eius de lingua Punica iudicia 331. 332. 337, vocabula Punica ab eo explicata 385 b. 390.
Himilco, scriptor Poenus 344.
Hippo, num eius nomen Phoenicium in numis legatur 298.
Matth. H. Hohlenberg 93. 118. 176. 202. 217. 228. 274.
Homoeotelenta in Punicis 191. 368.
Honeggerus 449. 456.
I. L. Hug, nonnullae eius interpretationes 77. 145. 168.
I. E. Humbert 9. 162. 163. 178.
Hycsos, reges Aegyptiaci, eorum nomina 397.
Jehovae nomen in papyro Turinensi? 235, in nominibus Phoeniciis 181. 399, cf. 408 b.
Insula (Nasos) Syracusarum, numi eius 296. 297.
Insula Augusti, est Cossura 504.
Jod littera, eius figurae 30—32. 450, plures ab Hamakero Nun esse creditae 31. 284. 380, quiescens saepe omittitur 57.
Josephus 395, nomina regum Phoeniciorum apud eum obvia explicantur 399 sqq.
Irica lingua, quo iure Punicis interpretandis adhibita sit 342.
Iuba I., eius numi explicantur 314 sqq.
Iuba II., eius numi 316 sqq., scripta 345.
Iustinus 409 b.
Keff قاف, Sicca Venerea veterum 204.
Koph littera, eius figurae 43. 44, cf. 20,

Digitized by Google

saepe vel geminatur vel pronunciatur g 433. 434.
U. F. Kopp, eius virtutes et vitia in re palaeographica 7, alphabetum Phoenicium 16, eius errores palaeographici 26. 27. 30. 41. 62, iniquitas in Tychsenium 59, observationes eius ab Hamakero temere impugnatae 34. 61 not. 164, in Numidicis caecutiens 50, observationes eius in inscriptiones 104. 124. 139. 142. 145. 148. 149. 151. 164, in numos 268. 285. 293. 299. 303. 306. 307.
Koppa Graecorum 66.
Lamed littera, eius figurae 33—35. 138, quid differant a Nun, ibid. Koppii lex temere reiecta ab Hamakero 34. 37, pronunciando solvitur in vocalem 431, abiicitur 432.
(Michelangelo) Lanci, scripta eius palaeographica 9. 81. 85, alphabetum Phoenicium 16, Barthelemyum temere castigat 60, observationes eius ad inscriptt. et numos 160. 224. 226 sqq. 237 sqq. 300. 302. 321. 324.
Lud. Lanzi 71.
Laodicea Phoeniciae, eius numi 270.
Leo taurum cervumve devorans in numis Ciliciis quid significet 277. 278.
C. Rich. Lepsius 27. 72.
Libycae scripturae rationes in inscr. Tuggensi indagatae 192—195. 459. 460.
Liby-Phoeniciae linguae ratio 195. 196. 459, locus Liby-Phoenicius apud Plautum 373.
Lilybaeum promontorium, num eo pertineant numi quidam Siculo-Punici 295.
Iac. Chr. Lindberg, eius scripta palaeographica 9, alphabetum Phoenicium 17, observationes palaeographicae probae 37. 79. 308, errores palaeographici 20. 26. 31. 32. 40. 45. 56. 274, animadversiones in inscriptiones 97 sqq. 153. 161. 176. 181. 214, in numos 272. 274. 279. 282. 285. 288. 290. 293. 294. 297. 299. 302. 305. 308 sqq. 312. 314. 320. 323—26.
Lingua Phoenicia v. Phoenicia, Libyca vel Liby-Phoenicia v. Liby-Phoenicia, Melitensis v. Melitensis.
Litterae Phoeniciae, earum forma nativa 17, mutationis variae caussae 18, connexae 52, finales 49. 461, fractae 48. 49, ad dextram currentes, ut apud Graecos 59. 290, geminatae 433. 434: ex Phoeniciis ortae 63, ut Graecae antiquiores 65 sqq. Etruscae 71, Umbricae 71. 72, Oscae et Samniticae 72, Celtibericae 73, Romanae 73, Hebraeae priscae 78, Samaritanae 79, Palmyrenae 80, Sassanidarum 83, Aethiopum 85.
Litterarum nomina apud Graecos 67, Aethiopes 85, Phoenices 17. 19. 21. 22. 23. 26 cet.
Livius 401 a. 409 b. 414 b. 419 a.
Lusus verborum in Phoeniciis 189. 190.
Macrobius 385 a.
Mago, scriptor Punicus de re rustica, quis fuerit 344.
Ang. Maius 362.
Makkeph num in Phoeniciis habeatur 188.
Malaca (hodie Mallaga), eius numi 312. 313.
Malga vicus in ruinis Carthaginis unde dicta sit 162.
Manus elata quid significet 173.
Marathus Phoeniciae, unde dicta 274, numi eius 271 sqq. annorum computatio ignota 273.
Alb. della Marmora 9. 107 not. 154. 160. 161. 298.
Massyli, Numidarum nomen domesticum 199.
Matris i. e. metropolis nomen urbibus tributum quid valeat 263.
Mazara Siciliae, num nomen eius in numis Siculo-Punicis legatur 297.
Ed. Meieri de inscriptionibus Atheniensibus iudicium 111.
Melcarthus i. e. Hercules Phoenicum 96. 97.
Melita, num numi eius exstent Punice inscripti 304.
Melitensis linguae ratio 252, num Punicae linguae vestigia in ea lateant ibid. et 341, eius abusus ad fraudes litterarias Melitensium 250—253.
Mem littera, eius figurae 35—37, quid differat a Schin 36.
I. E. Mionnet 6. 16. 274.
Bern. Montfaucon 2.
Motye Siciliae, numi ei vindicantur 297.
Car. O. Muellerus 71. 72. 73. 182. 211.
Frid. Muenter 178. 179.
Nasos s. Insula Syracusarum 297.
Neitha Aegyptiorum, num eadem quae Tanaïtis 172.
Nepotes saepe avis cognomines 100.
Nominum Phoeniciorum variae formae 441, nomina composita 443, nomina propria in inscriptt. punctis distinguuntur 55, ea interpretandi difficultas 397—99.
Nora Sardiniae, inscriptio ibi reperta 154.
Notae et siglae 53. 450.
Numeralia signa Phoenicum 85. 270. 300. 451.
Numi Phoeniciis litteris inscripti, prius in-

Digitized by Google

venti quam inscriptiones p. 1, eorum virtus in re palaeographica 91, epigraphae eorum explanatae p. 261 — 328, bilingues i. e. Phoenicii et Graeci 262. 264. 269. 270. 292 (?). 456. Phoenicii et Latini 301. 310. 312. 314. 317. 319. 320. 324. 327.
Numidia appellatur regnum aeternum 199.
Numidica lingua, eadem est atque Phoenicia 50. 338.
Numidica scriptura, est Punicae litteraturae species, sed negligentior et contractior 8. 49 — 52, inscriptiones Numidicae 182 sqq. numi Numidici 314 sqq.
Numina Phoenicum ex parte ab Aegyptiis petita 172.
Nun littera, eius figurae 37 — 39, quid differat a Lamed 34. 37.
O Graecorum ortum ex Ain Phoenicum 66.
O' Connor, scriptor Hibernicus 342.
Oculus Regis quid sit 282. 283.
Omanus deus apud Strabonem 171.
Oscae litterae 73.
Palaeographia Phoenicia 15 sqq. comparata 63 sqq.
Palmyrenorum litterae 80 sqq.
Panormus, eius nomen Phoenicium 288, eius numi 288 sqq. bilinguis numus 468, Panormus Romana 291, *νέα πόλις* Panormi ibid.
Io. Phil. Pareus, Plauti editor 357. 363.
Pausanias 127. 409 a.
Ios. Pellerin (numismatologus) 4. 294. 320. 324. 338.
Sam. Petitus, eius curae in Punica Plauti 357. 358.
Amadeus Peyron 161. 278 sqq.
Phe littera 41, Koppii in ea errores 140.
Phoenices, etymon nominis 338, Athenis degentes 111, coloniae eorum in Africa 10. 322, in Melite insula 92, in Cypro 122. 123, in Sardinia 154, in Sicilia 288. 292. 297, in Hispania 304. 310. 311. 312, nonnunquam incertae 268, scriptores eorum deperditi 343.
Phoeniciae linguae indoles et historia 329 sqq. species habitusque 335, orthographia 56 sqq. pronunciatio 430 sqq. quid differat a Punica 337, quibus in regionibus et ubi viguerit 339, eius reliquiae in monumentis 346 sqq.
Plantarum nomina Punica 385 sqq.
Plautus, Punica in Poenulo eius explicantur 366 sqq. aliorum interpretum conamina 357 sqq. scripturae varietas in codd. 361 sqq. quomodo linguam didicerit 367.
Plinius 411 a. b.
Pluralis forma apud Phoenices 442. 443.
Plutarchus 385.
Poenus, *Punicus*, proprie i. q. Phoenix, Phoenicius 338.
Richardus Pococke 123.
Polybius 412 a.
Porterus de Thaxted, 123. 124. 142. 147.
Principes Carthaginensium qui fuerint 453.
Priscianus 332.
Procopius 90. 341.
Pronomina Phoenicia 437. 438, eorum syntaxis 444.
Pseudo-Phoenicia 246. 334.
Puncta vocibus interiecta apud Phoenices 55. 464, apud Graecos 70, nominibus propriis designandis inserviunt 156.
Steph. Quatremere jun. 165. 184. 416.
Quinctilianus explicatus 393.
Quintinus Heduus 92.
Reade (Sir *Thomas*), inscriptt. ab eo ex Africa advectae 449 sqq.
Reay Oxon. 126. 162.
Thom. Reinesius 330. 332. 468.
Resch littera, eius figurae 44. 45, quid differat a Daleth et Beth ibid. solvitur in vocalem (*ar* in *o*) 431.
Iac. Rhenferdus 2. 85.
Robiani comitis curae in Plauti Punica 360. 367.
Rogersii lapis 232.
Bern. de Rossi 154.
Roma, *Romani* in cippis Punicis memorati 211. 216.
Sabratha, opp. Africae, eius numi 322. 323. non est eadem quae Tripolis 456.
Sacrificia humana in cippis memorata 446 sqq. 452 sqq.
Silv. de Sacy 51. 129. 252.
Sain littera, eius figurae 27. 121, inde ortum Zeta ibid.
Samaritanorum litterae 79.
Samech littera, eius figurae 39. 114. 324. 445, ponitur passim etiam pro ר et ש 432. Samech Hebraeorum quomodo ortum sit 72. 83.
San littera Graecorum 66.
Sanchuniathonis fragmenta apud Eusebium 342. 343, nomina Phoenicia in iis obvia explicantur 387 a. 389 a. 391. 393.
Sappuhni curae in Plautum 359.
Sarapis 100.
Sardiniae primi coloni 154.
Sardus pater, num inveniatur in inscriptione 155.

Digitized by Google

Sallustius 345. 410 b.
Ios. Scaliger 2. 332. 357.
Scheelius Danus 176. 202.
Schin littera, eius figurae 46. 47, quid differat a Mem ibid.
Schwa mobile quomodo exprimatur 437?
Scriptura v. litterae.
Septimius Severus, Poenus et Punice loquens 13, arcus triumphalis ei positus cum titulo Punico 215—17.
Servius ad Virgilium 391. 392.
Dom. Sestini 6, singularis eius error 305.
Sexti, urbs Hispaniae, eius numi 308.
Sicca, num eius numi Punici exstent 325.
Sidon, eius numi 264 sqq.
Siga, urbs Africae, eius numi 324. 325.
Siglae 53.
Sigma Graecorum quomodo ortum 66. 69.
Signa vocalia num Phoenices habuerint 56, signum diacriticum 179 cf. 45 not.
Signa distinctionis 56.
Spatia vocibus interiecta 55.
Spatium inscriptionibus concessum quam vim habuerit 18.
Spicae uvaeque emblemata in quibus numis reperiantur 317.
Strabo 115.
Sufetes in municipiis 214.
Syracusae, huic numi vindicantur Punice inscripti 294 sqq.
Io. Swinton palaeographus, eius virtutes et vitia 3. 4, eius alphabetum 15, signa numeralia ab eo reperta 86, litterae Palmyrenae indagatae 81, animadversiones eius in inscriptiones 102. 103. 124. 129. 134. 135. 142. 148, in numos 278. 302. 314. 320. 324.
Tachygraphiae studium quid effecerit 18.
Tanaïtis dea eadem quae Anaïtis, phoen. תנת 115, illa forma ex codd. vindicatur ibid., fortasse eadem quae Neitha 118, apud Carthaginenses Caelestis appellatur 168. 169.
Tarsus Ciliciae, numi eius 276. 277.
Tau littera, eius figurae 48. 450, passim abiicitur 433.
Temple (Sir Grenville) 9. 184. 197. 219. 220.
Tet littera 30, Ain litterae similis ibid. cum Schin permutatum 451.
Tholad et *Tholath*, numinum nomina ex falsa lectione orta 114. 115. 163. 167 not.
Tiberius in numis bilinguibus 310. 320. 324.
Tingis, numi eius 309. 310.
Tripolis, inscriptiones ibi repertae 213. 217.
Triquetra in lapidibus Numidicis 206.
Tucca (Dugga), mausoleum ibi exstans cum titulo Phoenicio 183. 456 sqq..
O. G. Tychsen 5. 59. 79, observationes eius ad inscriptt. 95. 103. 113. 161, ad numos 266. 278. 302. 306, de lingua Punica 332. 341, in Plautum 378—380.
U Poeni saepe efferunt pro O, 435.
Umbrorum litterae 71.
Vacca s. *Vaga*, Africae urbs, etymon eius 319 cf. 456, eius numi 319—21.
J. Foy-Vaillant 1.
Valerius Maximus 91.
Car. Vallancey, eius somnia etymologica 342. 361.
Vasconum lingua Punicis interpretandis adhibita 361.
M. Ant. Vassalli 253.
I. S. Vater 131.
Vav littera, eius figurae 26, quiescens omitti solet 57.
L. J. Velasquez 7. 73.
O. Verbrugge in Plauti Punica 360.
Verbum regulare Poenorum 438, anomalum 439.
Vocales, earum ratio in lingua Phoenicia 434 sqq., omittuntur scribendo etiam a veteribus Romanis 73.
G. Wahlii de rebus Phoeniciis iudicia 337. 367.
L. Wihl 9, eius observationes 131. 222. 294. 333.
Y littera Romanis in Punicis scribendis familiarissima 434—36.
Zade littera 42, quomodo distinguatur a Tau ibid. quomodo a Graecis et Romanis exprimatur 432.
ו copulativum pro *cum* 99.
בֶּדֶן iudicis ignoti nomen 1 Sam. 12, 11 i. q. עַבְדֹן 174.
זכר proprie i. q. סכר 114.
ל post quae nomina frequentetur 199.

Digitized by Google

ERRATA.

Pag. 6 lin. 10 et pag. 120 lin. 13 lege: *Rud.* pro *Lud.*
Pag. 38 lin. 18 lege *E* pro *D.*
Pag. 50 lin. 15 lege *litt. F* pro *litt. C.*
Pag. 107 lin. 17 et pag. 108 lin. inf. lege: *de Marmora* pro *de Murmara.*
Pag. 133 ad Cit. 3 lin. 4 lege: בראשמן et lin. 6 *Bad-Esmuni.*
Pag. 139 lin. 29 lege: desperarunt.
Pag. 159 lin. 8 lege נגיח pro נגיד.
Pag. 188 lin. 11 ab inf. lege: *quidam* pro *quidem.*
Pag. 213 lin. 28 lege: *repraesentanti.*
Pag. 223 lin. 19 lege יממי pro ימני.
Pag. 234 lin 21 lege: *est* (al. *Jehova*).
Pag. 243 lin. 8 ab inf. litt. 1 lege: ד.
Pag. 257 lin. 13 repetita, *quam.*
Pag. 261 lin. 8 post *superstes* adde *praeter numos Ptolemaidis.*
Pag. 269 lin. 9 CXLVII pro CXLVI.
Pag. 293 lin. 3 a fine lege: *tum* graeco more .... currunt *tum* inversae sunt.
Pag. 318 lin. 17 lege: *stella* cum epigraphe.
Pag. 368 in loco Plautino vers. 2 legendum *lacchun* pro *lacchu.*
Pag. 369 lin. 14 extr. post *indicavit* adde *mihi.*
Pag. 373 lin. 16 lege: *a* Punicis.
Pag. 377 lin. 3 lege: *minuchoth* pro *menuchoth.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

3/30/33

Digitized by Google

Digitized by Google